iectum humores sunt: pestilentis verò cordis corpus cuius rei, al. libris De dif. feb. nullam penitus mentionem fecit: ceterum febres hecticae, a totius corporis vnaquaq; parte oriri trahere possunt, potissimum tamen à corde initium habet. secundario à iecore, tertio verò ab stomacho nam à pulmonibus rarissimè eas pullulare percipimus: quia continua flabellatione, ut meminit Galen. libro de Marasmo refrigerantur. Secundus modus gignendarum febrium hecticarum est, quando à principio, nullo precedente altero morbo: febres hæ hecticae corpora inuadunt humana, & tunc similem cum ephemeris habent ortum: videlicet, aut ex ira, aut tristitia, aut lassitudine insigni, aut ardore solis, aut longa contracta in balneo mora, aut huiusmodi aliis variis, quæ longum esset percurrere. Sed huius generis hectica natura sicciores homines potissimum inuadunt, ac praesertim si temperiem etiam calidiorē sortiantur, vitamq; degerint in laboribus, vigiliis, curis, tenuiq; victus ratione, ac magis in aestate, statuq; temporis calido & sicco, & loco consimili. Ceterum, tamen si febres hæ in initio perceptæ & cognitione difficiles sint, curationis verò facilima, successu verò contrario modo: eas tamen inuestigare & dignoscere docuit idem Gal. citato De dif. feb. lib. quæ his paululum interpretari, ut tyrones addiscant, nos ab re fuerit. Si quis igitur febre corripiatur, quam præcesserant, conspicua & procata recte
causa

cause, videlicet ira, vel tristitia, dolor ingens, vel
 immoderatus labor, aut ardor æstivalis, vel hu-
 ius farinae aliqua causa: tunc si febris ipsa ad se-
 quentem extendatur diem, neq; integrè desinat,
 neq; exasperetur magis, ariditatem tamen maio-
 rem in corpore repræsentet, talem hæticam futu-
 ram suspicaberis: quod si & in tertio die sine cibo
 permanere voluerit æger, donec tertianæ acces-
 sionis præterierit horas suspectas, nihilq; effatu
 dignū priori accesserit febrī, aut imminutum fue-
 rit, sed tantūmodo quadā exiguae reliquiae pri-
 mæ febris procedant, permaneantq; cū ariditate
 corporis & caliditate, quæ primo quidē tactu mi-
 tis sentiatur, pœssu verò acris, mordax & siccat:
 huiusmodi febrē hæticā esse existimādum est:
 sed id indubitatē, si accepto cibo æger incalesce-
 re tradatur, quæ progressu tēporis citō ad tabidā
 cōuertetur, nisi rectē curetur. dignoscetur porrō
 primi huius gradus in secūdū lapsus, quū primū
 citate notæ potēiores fuerint redditæ: item quia
 pulsus debiliores, & duriores indies percipiūtur.
 quibus adde, quod medio primi gradus, & ini-
 tio secūdi, ea quæ per aluum & urinā mittūtur,
 pingua sunt à corpore colliquata, quæ temporis
 successu non amplius cernuntur: quia adeps &
 molles carnes iam defecerunt, & tunc præduræ
 & ægrè liquabiles carnes exsiccantur, à quibus
 ob ariditatem nihil vel notatu dignum defuit,
 & tunc marasmus præualeat, certa ad obitū via

AMATI LVSITANI

Sed iam nunc illustrioris doctrinae gratia inquiramus, an Galenus tres hecticarum in sua doctrina perscripserit species, vel duas tantum, aut duntaxat unam, per gradus tamen distinctam. I. primis qui unam tantum hecticarum specie esse contendunt, huic innituntur rationi: quia ut varia sint species, variis adhæreant corporibus, vel saltē distinctis subiectis opus est. At quā febris hectica corporis solidas partes comprehensas habeat, vel potius cordis corpus, consequens est, eius unam tantum esse speciem: si quæ tamen in ea comperiuntur differentia, eas maiori vel minori tribuunt exiccationi, numero tres. Verum enim uerò, qui duas tantum admittunt species, huic innituntur rationi, quia quum febris hectica secundum in corpore vigentes humiditates fiat, & apud Galenum due tantum secundæ humiditates circumscribantur, altera roralis, altera verò innominata, glutinosa merito appellanda. quia ut nutrimentū membris similetur, prius illis agglutinetur necesse est, fit inde ut due tantum species ad eius mentem reponantur. Porro qui hecticarum tres species, per tria corpora, siue subiecta, forma substantiali distincta, cum Galeno distributa admittunt, ij mea sententia cæteris cordatius loquuntur, ut ex ipsius dogmatibus in præsentē indicabimus. Quamquam Paulus Aegineta maximus Galeni imitator, nihil de hac re, præter eius cōsuetudinem, operi suo inserue-

seruerit, fortè Galenum dubium hac in re aduer-
 tens. Nos igitur rem, vt decet, monstraturi, Gale-
 num ipsum in primis adducamus, ex libro deci-
 mo Methodi medendi, ubi heclice febris tres de-
 scribit species, primam quādo febris hęc propriā
 partium humiditatem ex qua nutriuntur depa-
 scit, secundam quādo carnes consumit, tertiam
 verò, quando solidas populatur particulas: Sic
 enim pro coronide Galenus loquitur. Etenim pri-
 mū eiusmodi febris propriam partium humidi-
 tatem ex qua nutriuntur depascit, hinc transit
 ad genus carnosū, deinde solidas populatur parti-
 culas. Vocatur autē caro tātū ea quę in musculo
 est, tā q̄ in visceribus conspiciuntur, nō carnes, sed
 parenchymata nominātur. porrò singularū par-
 ticulārū substantia mellis ex tali maximè cōpleta
 est natura, quę perire & regigni possit. At verò
 nec fibrosa, nec nervosa, membranosāve natura
 eandem generationem habere cernitur: nec fas
 est eiusmodi singularum partium fibras à fibri-
 bus malignis liquari, perinde vt carnes, quando
 animal ipsum priusquam hęc prorsus sint exsic-
 cata in cremem. hucusq; Galenus, qui ita cla-
 re & ob oculos tria genera febris heclice descri-
 bit, vt nulla altera prorsus indigeat probatione.
 Nam primam speciem siue primū genus in pro-
 pria quādam partium humiditate membra nu-
 triente ponit, quę humiditas, ros, siue roalis hu-
 miditas membrarum perositatibus insita appel-

AMATI LVSITANI

latur. Secundam speciem, in mollibus carnibus
 & pinguedinibus, quæ facile eliquantur & cō-
 sumuntur collocat, in qua foris gluten humidita-
 tem ab eo innominatam colligari intelligit, ter-
 tiam autem solidioribus, utpote fibris, membra-
 nosisve, ac nervosis particulis inesse tradit, quæ
 difficillimè eliquantur, & tunc marasmus mor-
 bus incurabilis consequitur, pro quo curando si
 quis ingenium inuenerit, facile ingenium pro cui-
 tanda morte inueniet, ita enim se habet prima
 species & secunda ad tertiam, sicut porci dome-
 stici carnes ad apri, id est, sylvestris porci quæq;
 carnes. Nam si cicuris siue domestici porci car-
 nes, quæ plerumque pingues sunt, ad prunas ad-
 moueris, ex eis multum liquaminis & pinguedi-
 nis defluere percipies, id quod à feri suis carni-
 bus etiā si ad æquales prunas exassentur, efflue-
 re non videbis: sicciore autem sylvestris suis car-
 nes sunt, & pinguedinis expertes, hoc verisimile
 esse, vel inuitis nobis, qui artem medicam exerce-
 mus, fateri habemus, quia prima & secunda he-
 tica specie vigente, multa pingua & adiposa
 in egestionibus & urinis à carnibus colligata,
 mixta percipimus: quæ omnia succedente tēpore
 delitescunt, & quasi ex toto cōsumpta nō excernū-
 tur, nec amplius apparēt: ut ex Galeno quis de-
 promere poterit, lib. decimo Methodi medendi pro-
 pe finē, ubi differentiā facit inter febres colligā-
 tes, & marasmodos, de quibus ut summam di-
 cam,

cam, ita habeto. Marasmodies febres ex earum sunt genere quæ colligunt, sed in eo differunt, quòd in iis quæ portio carnis colliguntur, ea semper vaporis vice digeritur: in marasmodib⁹ verò defluit in ventrē. Ceterum, ut superioribus verba nectamus, quòd tres febris heclicæ apud Gal. describantur species, faciunt quæ ab eo lib. primo De differentiis febrium sunt conscripta, & ita habent: quum enim naturalis cordis temperies primū everti inceperit, nec nativa humiditas p̄tin⁹ aboletur, neq; virtus plurimū laborat, sed primò fit velut quedam efferuescētia humiditatis, quo in tempore facile est huiusmodi febrem sanare: tanquā nihil adhuc virtute perpeffa, tunc, suppletu, prima erit heclicæ febris species, & subdit textus ab Augustino Ricco Lucensi, viro doctissimò restitutus, deinceps & consumptio quedam efferuescētiā sequitur: per quæ verba, secundam speciem Galenus intelligit, & paulò inferius inquit, atq; hac in longum protracta, & ipsa similaria corpora quæ sunt cordis veluti elemēta sicciora, & minus nutriendo idonea redduntur, in quibus verbis Galenus tertiam speciem exponit. Et ut verò Galenus ipse rem clarā ac manifestam reddat, subdit, ac tantū virtus laborat, quantū siccitas ac caliditas in ipso corde inualuerit, quarum altera exuperās ex se virtutem imbecilliorē reddere potuit. huiusmodi febris iam quodammo do ad utranque partem declinat, ac medium

AMATI LVSITANI

obtinet locum inter eam tabidam febrem, quæ penitus curam non admittit, atque illam de qua paulo antè diximus, quæ facillimè in principio curari potest. Sunt autem & in hac latitudines multe, quoniam & dispositionis ipsius multa in eo quòd magis ac minus diuersitates. Quæ igitur equaliter distat ab vtraq; & ea scilicet quæ exquisitè tabida existit, atque illa in qua nihil est adhuc tale, media quodammodo se habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momento. Quæ autem tabidæ proximior existit, est etiam periculo vicinior, quum quæ alteri primæ magis adheret, non parvam salutis spem possit afferre: ex vñ autem Galeni verbis, luce meridiana clarius claret, ab eo hæctica tres species signari, de ea verò hæctica quæ inter primam facili curationis, & tertiam curationem non admittentè, mediat. hucusq; Galenus loquutus est, in qua plures latitudines reperiri euidentioris doctrinæ gratia tradit, quæ si ab vtraq; equaliter mediat, media quodammodo se habet ad curationem: si verò tertie tabidæ dictæ proximior existit, est etiam periculo vicinior, & difficulter curatur, si verò primæ magis adhaerit, non difficulter curabitur. Hæc enim in totum cum tribus superioribus ex Methodo medendi decerptis speciebus conueniunt, non est ergo quòd quis in hoc negotio anceps dubiū sive deinceps euadat, quādo in hanc eandem sententiā Aëtius Galeni quoq; maxima

maximus imitator eat, diuerso modo tamen, quā
 pro prima specie secundam describat, & vice ver
 sa, pro secūda primam, vt facillē quis ex eius ver
 bis deprehēdere poterit, quæ Sermone quinto sue
 medicinae, capite nonagesimo secundo, ita habent:
 Hectica, hoc est, habitualis nominatur febris, quā
 ad tantam immodestiam venerit caliditas præ
 ter naturam, vt in habitu sit ipsius solida essen
 tia similis corporis cordis, & propterea egrē so
 lubilem habet structuram, primum igitur calor
 præternaturalis eliquat, & resiccat, ac consumit
 essentiam in partibus velut ex humore concre
 tam, qualis est pinguedo & caro, deinde verò
 propriam humiditatem consumit, ex qua corpo
 ra nutriuntur, quæ sanè circumfusa est, ac inftar
 roris dispersa circa omnes animalis partes, hinc
 autem transit ad carnosum genus, quod fibræ &
 membranosis partibus solidorum corporum insi
 tum est, quod sanè discindentes coqui tollunt, fi
 bras verò abuciunt. Exactum autem eius com
 plementum in hoc est, si ipsa solida similium par
 tium essentia siccior facta est, quando & tabida
 febris vocatur. Hec Aëtius. Ex quibus liquido
 constat, tres apud eum hectice febris species, va
 riè tamen à Galeni mente descriptas, reperi, sed
 id fortè in causa est, quia Galenus vt de hac re
 diffusè loquutus fuit, ita admodum cōfusè. Au
 cenna tamen in ea præ ceteris clarius & lucu
 letius loquitur, quum Fen prima libri quarti sui

AMATI LVSITANI

Canonis, tres huius febris specie differentes gradus egregie describat, tres potissimum ex secundis humiditatibus proponendo: quarum prima (ut ab eo innominata pretereamus) ros appellatur, & illius Galenus quoque meminit. secunda cambium, tertia vero gluten, cum quibus hanc quoque in hoc morbo adaptat similitudinē, ut ros in membris ita se habeat, sicut oleum in candela contentum, & ita cambium, & oleum funiculo imbibitum, & ita gluten, sicut funiculi extrema pars flamma exarsita & torrida. Quum igitur ex tribus citatis humiditatibus, prior in corde, & consequens per universa membra, teralis sparsa inflammatur, ac consumitur, veluti oleum candela contentum, tunc prima insurgit hectica species, quum vero calor febrilis intimus depascitur, & cambium occupat, quod veluti funiculo heres oleum similatur, tunc secunda euadit species, quae ut ex Galeno imbibitum, Avicenna adnotat, magnas habet latitudines, scilicet, principium, augmentum & statum. Et quum vero augmentum, sed verius statum attingit, febris marasmoidea, siue febris tabida dicitur. At vero ubi res eodem discrimini iam peruenit, ut nihil ex tali humore supersit, & gluten humorem depopulatur, tunc marasmus siue tabes absolute, morbus vel idioticus & tonsoribus satis notus, constitutus est, quia quum primum pulsum & agrotantis calorem perpendas, eius videbis oculos immodice concauos, ac veluti in foveas quasdam reconditos exhausto

hausto iam vniuerso ipsorū humore, ita vt osiū,
 quibus palpebrae coherent, eminentia cernatur.
 Sordes praeterea in ipsis siccae ostenduntur, & quae
 dam veluti squallida dispositio, qualis maximè
 inest iis, qui toto die sub solis ardore per puluerē
 iter longum fecerunt, quinetiam in eis est coloris
 flos vitalis extinctus, frontisq; & faciei cutis ri-
 gida ex siccitate. & squalida, sed sic affecti, fre-
 quenter palpebras contrahunt dormitātium in-
 star, non tamen affectus eorū est somnus, sed po-
 tius vigilandi impotentia praemacie: sunt etiam
 illis collapsa, & concava tempora: nihilq; in eorū
 corporibus cernitur praeter cutim atque ossa, pul-
 sus autem tenuis, durus, debilis, atque frequens
 apparet, caliditas verò quum primum admoue-
 tur manus, languida est, paulatim autem ac redi-
 nem atque erosionem ostendit, ac magis quum
 tangendo plus immoraberis, quae omnia in tri-
 bus seruauimus aegrotis, aliero vxore prebī viri
 Ioānis Pauli Corbetæ Mediolanensis, altero fra-
 tre illius, ad quē in Ancona veredarius cū literis
 Roma directē diuertit, & in foro fontis habitat.
 Altero verē vxore Manuelis Pinti: sed haec hoc
 in morbo ingēti siti semper cruciabat: ante obi-
 tum verò per mensem, eius vrina alba erat, in
 qua quaedā furfuribus similima cōspiciebantur,
 non nisi à carnibus eliquata. Signa proculdubio
 letalia & mortifera, & eo magis quando cru-
 ra tument, & ungues recurui fiunt, & capilli

AMATI LVSITANI

decidunt, & fluxus ventris adest. ceterum mor-
bus is marasmus calidus & siccus est, ac ob id
ab hectica senectutis, siue senecta ex morbo di-
cta differens, quia senecta ex morbo non ob ca-
liditatem fit, sed verius ob vehementem frigiditatem,
ac inmodicam siccitatem, quae praecipue
iis qui secundum naturam ad extremam senectutem
citra febrem perueniunt, paulatim extinguitur
in ipsis insito calore euenit. Sed nunc maioris
elucidationis gratia scire decet, quod Galenus li-
bro De tabe, siue Marasmo, capite sexto, tres ma-
rasmi species describit: alteram quam senecta co-
parauimus, & praeter humectationem pro sui cu-
ratione calfactione indiget: aliam torridam,
per hecticam intromissam, quae praeter quoque hu-
mectationem refrigerari postulat, cuius supra quo-
que meminimus: tertiam vero ex animi defectu
proficiscientem, mixtam curationem postulantem,
de quibus omnibus lectorem ad praedictum de
tabe librum remittimus. Ceterum ne à maras-
mo de febre, morbo calido & sicco, qui per hecti-
cam saepe intromittitur, imò cum hectica tertia
speciem nominamus, sic discedamus, scire decet,
quod tamen si marasmus incurabilis morbus ab
omnibus dicatur, & nos quoque cum eisdem ita
supra dixerimus, à Galeno tamen summo medi-
co, eius cura describitur, imò ex hoc morbo affe-
ctos nonnullos curasse homines meminit. Vbal-
dus. Abi sis Amate, ne illud dixeris, putato &

nos Galenum legisse, & eum perlostrasse, apud quem hoc reperiri tantum abest credam, quam quod ab eo nunquam perscriptum fuerit. Amatus. Ne excandesceas Vbalde mi, & aures ut soles dignare mihi prestare benignas: nam & ego Iuriconsultorum axiomate uti soleo, erubescimus quum sine lege loquimur. audi igitur, & Galenū nobiscum sentientem percipies. Vbald. Putato rem gratam & mihi non auditam auribus instillare meis, si modo, ut ais, rem indicaueris.

Ama. Galenus libro duodecimo Methodi medendi, ubi de balneis, hectis & consuetudinibus agit, marasmo confectos curasse tradit, hac tamen conditione, & successu, ut febrili calore deposito, ingens illa siccitas, qua egri infestari solent, maneat, adeo ut ex marasmo morbo calido & sicco, marasmus frigidus & siccus resultet, quem nos medici ex morbo senium appellare solemus, & eo sic affecti egri non solum plures dies, sed plures menses & annos perdurare solent, ut ex iuuenis historia inibi ab eo enarrata, doctus euades. Vbaldus. Quomodo eos tractat & curat?

Ama. Ad balnea eos, quia debiles sunt, in sindone per quatuor iuuenes deferri mandat, et inibi ut decet tractari, ut tu signato loco percurrere poteris. porro quantum ad eorum victum attinet, iubet Galenus eo tractentur modo, quo senes tractari solent, & cibis calidis & humidis rescantur, ut libris De sanitate tuenda amplius dequit,

AMATI LVSITANI

ad quos ipse lectorem remittit. *Vbal.* Sape Galeni locum illum perlegi, sed non ea animi attentione, ut ex eo hoc perciperem, sed vnum est hac in curatione mihi perdifficile. *Ama.* Quid nam? *Vbal.* Quod vice caliditatis, pro morbo hoc propulsando, à Galeno frigiditas introduci-
tur, quæ siccitati iuncta in totum vitæ contraria-
tur, ita ut magis prædictis qualitatibus calidis
& siccis videatur egrum perdurare posse, quàm
de nouo introductis frigidis siccitati coniunctis.

Ama. Sapienter ô *Vbalde* & argutè pponis,
verum enim uero ut Galenum interpretemur, au-
di ut febrilis calor expellatur, per frigida medi-
camenta expellatur opus est, quia contrariorum
contraria sunt remedia, non tamen ita intensa,
ut post expulsam caliditatem, ibi frigiditas infi-
xa maneat præcipuè remediorum. Nam frigidi-
tas antea in corpore ob spirituum & calidi inna-
ti potentem resolutionem comperta inibi manet,
vnde egri ij tanquam senes cibentur suadet Ga-
lenus, minus autem morbi sic marasmo affecti
patiuntur, quando febrilis calor ab eis depositus
est, quàm quando caliditas febrilis siccitati con-
iuncta est, & hac de causa Galenus sapientissi-
mè pro marasmoide febre curanda febrilem ca-
lorem summo studio deponere conatur, quo de-
posito, ad longius tempus egri perdurant, quoad
solide eorum partes reniti aduersus summam
siccitatem valebunt. *Vbalde.* Pergratum sanè
fecisti

fecisti Amate dulcissime hoc indicare, & quū
 primum Fanum fortuna mihi propriam pa-
 triam peruenero, Fanenses medicos de hac re
 adhortabor, & tuo nomine illis salutem dicam.
 Sed ne quid in hac tractatione desideretur, in-
 quiramus, cur hectica laborantes calorem fe-
 brilem non persentiant, adeò ut saepe loquentes
 eos absque dolore mori seruemus, nos more no-
 stro, absque ambagibus & verborum circuitu
 respondemus, calorem febrilem hectica innati
 calidi lares subintrasse, imò eius fontem ita so-
 pitum habere, & oppressum ut calor innatus
 uictus & superatus sit, cuius vices præterna-
 turalis calor supplet, qui factus iam est, neque
 contrarietatem ullam habet, neque ullus de hac
 mirabitur re, quum viderit ipse, imbecillibus,
 & quibus pauculus inest innatus calor, æstima-
 ualem, & præternaturalem calorem multum in-
 uare. huius etenim rei exemplum est, quòd in æsta-
 te exangues & debiles melius habent quàm hye-
 me. Plura verò si quis de hac re cupit, legat se-
 quentem curationem in qua de equali intempe-
 ri agitur. Secundo, egregio quodam dubio in-
 quiritur, Galenus inquit in hectica indubitatum
 signum esse post assumptum cibum egrotum ca-
 loris incrementum sentire, ac alterationem ipsam
 tandiu perdurare, donec distributus cibus appo-
 situsq; humectauerit cordis ariditatem, & ita
 euenire sicut calci, & lapidibus calefactis aqua

AMATI LVSITANI.

repperis, sed dicit vir medicus studiosus, signum hoc non iustificandum, quia omnibus febricitantibus post assumptum cibum, similem vel communem alterationem fieri Galenus testatur libris *De diff. febr.* difficile igitur per hoc signum febris hectica à putrida distinguetur. Huic proposito dubio, Galenus vir post Hippocratem admirandus tacite respondet, quod medicus ut febrem dignoscatur hecticam, non simpliciter signo hoc contentus euadere debet, sed multis aliis duntaxat iunctis, à nobis supra citatis. Porro Gemilis de Fulgineo, vir mea sententia doctus, & cuius lectioni olim ipse assiduus eram, quum apud Salmaticenses agebam, huic, si recte teneo, dubio sic respondet (nam eius opera cum nostra perampla & instructa bibliotheca, apud Amuerpienses reliquimus) quod & si in putridis febribus post assumptum cibum calor febrilis intendatur, antea quoque intendebatur, id quod hecticis euenire nullus vnquam vidit, aut percepit febribus, nisi cum eis alterius febris fuerit complicatio, ut Catharina Gondulana nobili Racusine, prima harum curationum ceterura, euenisse meminimus. Item quum inter notas pro dignoscenda febre hectica, quæ ab vrina desumitur, præcipua est, ut omnes fatentur medici, cur est quod Galen. lib. iij. De præcognitione ex pulsibus dicat, hecticarum febrium notitiam ex vrina inuestigari non posse, quum in iis vrina anceps sit colore, & sedimento naturali similis,

milis, ut in pestilentia diuturna sexcentis eue-
 nisse Galenus ipse observavit, ubi medicos indo-
 ctos quoque carpit. Nos huic quoque dubio responde-
 mus, initio febrium hecticarum, earum præcipue
 quæ subintrarunt ephemerarum modo, neque vri-
 nam nec pulsum, certi quicquam portendere, &
 hoc fortè eo citato loco Galenus intelligit, ut eius
 indicat phrasis, & dicendi modus, successu verò
 temporis urina maximum est signum, quum in
 ea plerumque sublimamenta, quæ aranearum latas
 telas referunt & pinguedines, ac liquamenta cõ-
 spiciantur, de qua dixit Hippocrates diuinus lib.
 secundo Predictionum, textu trigesimo quinto,
 si pinguedo desuper natas aranearum speciem re-
 ferat, damnandum est: indicat enim consumptio-
 nem, quanquam à renibus vel vesica id plerumque
 decidat, suadet idem Hippocrates sequenti trige-
 simo septimo textu. Nam & bona vigente vale-
 tudine, quandoque in urina pinguedines hæ appa-
 rent, quas medicus imbecillus detestantur, & in ma-
 lam reiiciunt partem, quum tamen caloris natu-
 ralis victoriam ostendant, ut huius rei testis est
 Galenus libro quarto De sanitate tuenda, dicens,
 At ubi sanguis concoctus est, hæc in urina appa-
 rent, atque etiam nubecule quædam desuper te-
 nues superstant, veluti quod in summo lacte col-
 ligitur, & quod in summo refrigerati iusculi cõ-
 creuit. In iis igitur vult Galenus quod quam
 adipis & pinguedo ex sanguine bene cocto &

AMATI LVSITANI

elaborato fiant, consequens sit, eius aliqua portio super urinam innatet, referens quale pinguioribus iusculis refrigerantibus supernatat, vnde Galenus Commentario tertio in librum tertium De morbis vulgaribus, enarratione 72. tradit, se per sepe urinam vidisse colore & substantia oleo similem, citra tamen vllum agri detrimentum, imò verò interim planè contrario, cum ipsius morbi concoctione: aduertant ergo medicam artem exercentes, ne quum urinam oleosam viderint, malum præsagiant.

De æquali intemperie, & inequali intemperie, quæ potius appendix dicenda superiorum scholiorum est,

CVRATIO II.



VT de hectica sermo cōpletus & absolutus sit, de æquali intemperie & inequali intēperie agamus decet, proinde absq; proœmio, Hippocratis & Mathematicorum more, sic accipito. Aequalis intemperies, siue vniformis intēperies, solū in hectica febre cōperitur quū iam facta sit, & nihil in fieri habeat. dicitur autem æqualis, quia æqualiter & vniformiter affligit, vniformiter aut affligit, quia nullā habet cōtrarietate ex qua dolor, aut accessio eleuari poss

ri possit: vnde Galenus libro huic dicato negotio, De inæquali intēperie, ita de hec- tica, siue æquali intemperie tradit, Quū verò oēs corporis solidæ particulæ exal- factæ ad absolutionē iam sunt, eiusmodi febrem hecticam Græci uocant, ceu non amplius iam in humoribus & spiritibus, sed in corporibus iis, quæ habitus ratio- nem habent comprehensam, hæc doloris est experta, putantque qui ea febricitant, omnino se febre carere, neque enim sen- tiunt eius laborem, omnibus scilicet eo- rum partibus æquè percalfactis, sed & cō- uenit de iis inter naturalis sciētiæ profes- sores, in iis quæ de sensibus produnt, nec enim citra alterationem est sensus, neq; in iis quæ iam ad perfectionem sunt alte- rata, dolor. Itaque etiam hecticæ febres omnes tum sine dolore sunt, tum nec sen- su ab his qui ipsis laborant perceptæ. Nō enim ex eorū particulis hæc agit, hæc pa- titur, quū oēs inter se iam similes sint red- ditæ, ac vnicam habeant consentientem temperiem. Haftenus Galenus, qui mea sententia ita clarè rem ob oculos ponit, vt pluribus non optis fuerit verbis, modò dictis hæc adiiciamus paucula, si in hæcti- ca febri tantum æqualem intemperiem reperiri diximus, nunc eam quoque in nō

AMATI LVSITANI

nullis pestilentibus inueniri dicamus, pestilentibus scilicet febribus, intelligatis uelim, quæ præcipuè cordis substantiam magis comprehendunt, & sæpè hecticae sunt, ut refert Galenus, libro tertio de præcognitione ex pulsibus, capite tertio, & quarto, quæ quum sic cordis substantiâ occuparunt, plerunque interficere solent secus autem illæ quæ cordis contenta obsident, ut citato loco idem monuit Galenus: inæqualis verò intemperies ea dicitur, quæcunque in fieri aliquid habet, unde quia contrarietatem habet, ex ea dolor oboriri potest, & accessio & paroxysmus, ut omnibus ferè morbis præter hecticam euenit, quemadmodum meminit Galen. libro De inæquali intemperie, & Marasmo. Cæterum, Galenus libro De morborum temporibus, inæqualitatem inter sex paroxysmorum tempora descripta enumerat, quam inter principium & augmentum in paroxysmo collocat, non minus quoque temperiem inæqualem reperiri tradit, in iis præcipuè, quos frigus, aut rigor inuadit, nulla subsequente febre, ut memorie commendauit lib. De inæquali intemperie, quæ inæqualis intemperies siue frigus, in nonnullis mulieribus crudis & vitreis humoribus refertis, à nobis seruat.

seruatum est, nulla secuta febre, vt demũ comprehensum sit, falsum esse id quod Hippocrates & antiqui in hac re scripserunt, rigori febrem necessario superuenire, vt quoq; annotauit Galenus, & sui congerrones affirmabant. Plura verò qui huius tractationis legere cupit, Gentilem de Fulgineo percurrat, altera suarum extruagantiũ quæstionum, ea precipue (si rectè teneo) in qua de febribus agit. Cæterum quum eius & similium hodierni medici stomachis delicatiores respuant doctrinam, prædictis Galenianis contenti, nunc his supersedeamus.

De capitis destillatione, cum ipsius capitis ingenti dolore,

CV RATIO III.



Reuerendissimi Cardinalis Farnesij domus præfectus Titius, vir probus & doctus, quũ quadã capitis mala intemperie affligeretur, quam ex Germania contraxerat eo tempore, quo præfatus Cardinalis ad Cæsarem inuisendum contenderat, contigit quòd quum variis obrutus esset negotiis, & nunc calidus, nunc verò frigidus euaderet, humor ob malam inibi intemperiem congestus, intensissimum dolorem

AMATI LVSITANI

cum suffocationis periculo repentinè efficeret. Nam ad fauces humor defluerat, quibus febris non admodum vehemens apparebat, grauius tamen totam noctem transiegit, & insomnis perdurauit, in aurora verò ad illum vocatus omnia citata contempnor, ac ob intensissimum dolorem, quem grauius ferebat, de cephalica aperienda contendebamus. At ille timens venæ sectionem renuit solo contentus clystere: cibum porro tota illa die nullum gustauit, sed in nocte tribus à cœna horis, quæ parua vel nulla fuit, bolum hunc deglutiuit, & intra triduum sanus est factus: habet autem bolus sic,

℞. Pulpæ cassiæ nouiter extractæ drachmas x. agarici nouiter parati, drachmam vnam, pulueris hieræ Galeni scrupulum vnum: saccharo excipiantur omnia, & fiat bolus, quem prædicta hora comedit, & eodem multa egeffit, & illico melius habere dixit, ut postea paucis adhibitis remediis, ex integram sanitatem obtinuerit.

SCHOLIA.

DE agarico in hoc bolo admittendo dissidium fuit. Nam ipse nequaquam iniiciendum contendebam. Franciscus verò Nursinus, famigeratissimus Romæ medicus audacter illum adijciendum refragatus est, de febris autem incendio timor apud me erat.

De vlc

De ulceribus à morbo Gallico contractis, simulq; de symptomatis obortis ob uini potum, in unctione unguenti ex argento uiuo confecti,

CV RATIO IIII.



Euerendissimi Cardinalis Farnesij famul⁹ iuuenis robustus, & qui in horto transtiberino platanorū ingētiū & citrearū arborū curā tantū habet, quū vlceribus antiquis à morbo Gallico cōtractis scateret, & à multis tractatus incuratus maneret, illū multis antea peractis euacuationibus, vnguēto ex argēto uiuo cōfecto quinquies illiui⁹: qui prēter varia emissā spūta, sanguinē per os reiecit: cui symptomati bolo Armeno ebibito occurrimus, & bene habuit: at quū vinū, quo illi interdixeramus, clām in magna biberet quantitate, denuo os illi inflatum est, & ipsius oris vlcera de nouo recrudescere cōperūt, imò ex pectore sanguis, vt antea, erupit, quem per os emittebat: tandem abstemius factus, & dictis innouatis, intra quadraginta dies bene sensit, sanitati tamen integrę colophonem addidit buxi decoctum per viginti dies ebibitum.

AMATI LVSITANI

SCHOLIA.

Vnguentum, quo is curatus fuit, prima Centuria harum curationum medicinalium comperies, præcipuè curatione 49. & 54. & 76. adueriendò tamen quòd ubi plus gummositatũ & tuberculorum reperitur, plus pinguedinum vnguento addimus, ubi verò plus pustularum & ulcerum, plus puluerum apponimus, vt in hoc actitatum est egrotante. Ceterum scire decet, lignum buxum Europæis frequens, & cerdonibus satis notum, lignum Guayacum esse, quòd superioribus annis ex Peru & insulis nouiter repertis assortari cœpit: quod tamen ex insulis ijs adfertur pinguius, & consequens calidius est, nostrum verò moderatiorem sortitur temperaturam, ac proinde ijs, qui calidiori sunt temperatura, & morbo calidiori affliguntur præcipuè in æstate, liberalius eius decoctum damus, Guayaci decocti vice: nec enim inter se arbores hæ differunt, quàm soli diuersi ratione: nostrum verò hoc lignum buxum unicè iecur plus iusto calidum emendat, & sudorem egregiè euocat, vt sæpè experientia compertum habuimus.

De podagra curata sola præuisione,

CURATIO V.



Octor Castillius, vir probus, podagra morbo familiari singulis annis per duos aut tres menses affligi solebat, at quũ
ante

ante statutum tempus, in quo eum morbus inuadere solebat, per vomitum purgaremus, factum est, quod quum per tres, ut diximus, menses prædicto morbo torqueri soleret, leuiter per tres dies ab eo tantum corriperetur: cæterum hic grauibus & difficilimis in vesica obortis vlcerationibus, me absente obiit, nõ sine tamen multorum dolore, probus etenim vir hic erat, & doctus.

SCHOLIA.

Solebat olim Galenus huiusmodi rebelles morbos sola præuisua curatione depellere, quandoque sanguinis missione, quandoque purgante adhibito medicamento, quandoque verò euocato uomitu, & id plerunque ueris initio, aut eo tempore quo sol libram ingreditur, ut libro de sanguinis missione, & Methodi medendi sæpè inculcat. Cæterum quum varia sint medicamenta quibus vomitus proritatur, nos tamen hoc sequenti utebamur, quo opus cõplebamur, & ager ipse exactè absque dolore vlllo & anxietate aliqua manebat. Sic autem vomitorium medicamentum habet: Raphanum arundine crebris & multis foraminibus perforamus, quibus veratri albi & boni radices inferebamus, quem sic transfixum per noctem sub cineribus calidis manere sinebamus: in aurora verò veratri radiculis extractis ac proiectis, Raphanum ipsum minutim

AMATI LVSITANI

concisum in oxymelitis lib. media, per quatuor
horas macerari permittebamus. postea verò oxy-
melite à Raphano percolato, eius duabus vncijs
aquã ex decoctione anethi superinfundebamus
pondere unius libræ: quem potũ tepentem quan-
doque ieiuno stomacho, nonnunquã verò à pran-
dio accipiebat, & multa euomebat: octo autem
diebus ante morbi decretum tempus & eius ad-
uentum solitum euomere incipiebat, quod non
continuis sed alternis diebus faciebat, & vomitum
repetebat, & optimè habebat: porrò vlcera-
tionibus vesicæ superuenientibus, vt audio, sexa-
genarius obiit.

**De medicamento quodã hæmorrhoi-
darum dolorem sedante,**

CVRATIO VI.

R Euerēdisimus ille, qui ab hæ-
morrhoidum dolore grauter
cruciabatur, post multa & va-
ria à medicis tentata præsidia,
hoc remedio à nobis præsentato vsus fuit,
& breui ab illo infestissimo dolore liber
eua sit. Habet autem remedium hoc topi-
cum, siue locale dictum medicamentum,
(quòd extrà admoueat,ur,) sic.

R. Arantium pomũ, & id cultro excava,
in quo oleum rosaceum & pseudonardi,
lauandulæ dictæ semina infunde, & ad ci-
neres

neres calidos admoue, & calidum applica, & sæpe innoua, est enim mirum.

*De ingenti quodam capitis dolore,
post oculum confossum superueniente.*

CV RATIO VII.



Arius, vir natus quinque supra triginta annos, quum domi familiariter inter domesticos & amicos ageret, à Romano iuvene de repente percussus, per ampla quadam sica in capite vulneratus fuit, ex quo vulnere illi oculus sinister fuit confossum, à vulnere verò quinque interpositis diebus, de capitis grauissimo quodam dolore oculorum regionem comprehendente conquestus fuit, adeò vt in oculi fouea pugionem infixum esse, & alterũ foras saltare clamaret, ego verò præsens tanti symptomatis sæuitiam videns, illico cephalicam venam confossum oculum respicientem secare iussi, sanguinisq; vncias octo demere. At quũ æger hac sanguinis missione melius, non tamen ex toto à dolore liber euaderet, secũda noctis hora post ventris cum balano respondentiam, totidem sanguinis vncias per prædictum vulnus effluere permisi, & cõfestim dolor ex toto euauit. Topica verò medicamenta

AMATI LVSITANI

parum iuuerunt : sed primò , ne silentio præteream, neque lector ignoret, ager bolum ex cassia deglutiuit , & victus ratio subtilis admodum fuit.

De casu ab equo calcitrone,

CVRATIO VIII.



Iuus Alfonsus Alencastrensis, supremus apud Lusitanos commendatarius, & apud Iulium tertium pontificem maximum Orator grauisissimus, intra domum, quam trans Tiberim habitat, ex equo calcitrone cecidit, ex casu in costis versus spinam doluit, quem locum, etsi nullus in eo apparebat tumor aut liuiditas nigritiesve, ex oleo myrtino adiectis pulueribus myrtillorum & rosarum inungi feci, ac fascia optimè fasciari : sequenti verò die, simili modo quum eundem locum doleteret, internam eiusdem lateris, vbi erat dolor, aperire feci venam, & ex ea sanguinis uncias quinque fluere, à qua sanguinis missione paulatim conualescere cœpit, donec integram cōsecutus est sanitatem : porrò, vt arbitror, infelicia tunc astra domum illam respiciebant. Iosephus, Cur sic? Amatus. Quia post huius illustrissimi viri lapsum interea cubiculo eramus oclusi

occlusi, vt locum affectum contemplarer,
 & illi remedia adaptarem, diuus Fran-
 ciscus à Soto maiori, qui tunc post cœnā à
 nobis discesserat, ab eius patruale Fran-
 cisco Syluio, prope ostium interfectus
 fuit. Ioseph. Papæ, quid audio? Ama. Ita
 res habet. Iose. Perceperásne frater mi,
 cur ipsum interfecerat? Ama. Maximè, lis
 antiqua inter eos erat de non contēnen-
 do sacerdotio, &, vt ipsi aiebant, gentili-
 tio, quod vulgò de lure patronatus dici-
 tur, ob quod ambo ex Lusitania Romam
 venerant. Iose. Quomodo ipsum inter-
 fecit? Ama. Hæc missa faciamus. maiori
 otio vacare oporteret, si hæc ad vnguem
 enarrare vellemus: nouit ea accuratius
 Fernandus à Turribus, nobilis vir Hispa-
 nus, & Reuerendissimi Archiepiscopi Sa-
 lernitani nepos, qui eodem equulo infe-
 lici cum iuvene mortuo simul equitabat,
 & ambo, tunc tūc, tertia hora noctis post
 cœnam à nobis discesserant. Iose. Quid
 tunc clarus, & regia stirpe ortus Diuus
 Alfonsus, quum hæc domi suæ facta vide-
 ret, loquebatur? Ama. Ea, vt est vir pru-
 dens, æquo ferebat animo: sed eius filius
 magnæ spei iuuenis diuus Dionysius, cū
 indignum hoc videret facinus, & misellū
 corpusculum tribus confossum vulneri-

AMATI LVSITANI

bus conspiceret, à lacrymis oculos temperare non valuit, sed præ cæteris ægrius tantum malum tulit doctissimus iuxtà ac sapientissimus Balthesar à Faria, Orator quoque vigilantissimus: & qui tunc in Lusitaniam iter parabat. Iose. Nouitne hæc summus pontifex? Ama. Illico eadem nocte & sequenti die publico præconio euulgatum fuit, quicumque traderet Franciscū Syluium, quingentis aureis ducatis donaretur. Iose. Fuitne captus? Amatus. Romæ non, sed extra urbem his, & amicorū auxilio liber euasit, præcipuè Senis, ubi in carcerem coniectus fuit. Iose. Nouerisne Franciscum Syluium? Ama. Noueram, & mihi charus ille erat amicus, adeò ut dum vixero, nunquam mihi è pectore decidat.

De pueri cuiusdam casu,

CVRATIO IX.

Puer natus annos circiter octo ex fenestra cecidit alta, ex quo lapsu per duos tanquam emortuus iacuit dies: ad quem accedens ipse protinus quū totum conspexissem, & nullibi vulnus aut fracturam luxationemve habere deprehendissem, ipsum in sindone vino styptico & bene calido
immerfa

immersa, ac paululum manibus expressa
 obuolui, & in lecto optimè cooperiri feci,
 quo remedio copiosissimè sudauit, & sa-
 nus factus fuit. Est autem huius generis
 remedium apud Hispanos in omni lapsu
 admodum frequens, & vsitatum ab scri-
 bētibus de casu & offensione prætermis-
 sum, quum tamen potissimum sit: si tamē
 æger ebibere pro tunc aliquid potest in-
 ter tam multa ab authoribus scripta, &
 ab Argelata in sua chirurgia citata, ad pul-
 ueres Mesuæ capite de Rhabarbaro con-
 scriptos confugimus, quos in potu tribui-
 mus, & ita habent. *℞.* Rhabarbari bo-
 ni acerbi, drachmam vnā: mumia græ-
 na duo, rubeæ tinctorum, vel, vt alijs pla-
 cet, grana tinctorum, granum vnum &
 mediū: omnia puluerizentur, & vino sty-
 ptico excipiantur, & bibat: porrò vinum
 stypticum, in quo sindon imbuta fuit, sic
 conficitur. *℞.* Vini rubri, vel fului bo-
 ni, libras decem, cui superadde rosarū ru-
 bearum siccarum, roris marini, summita-
 tum myrti, añ. manipulos duos, in cacabo
 vel caldario, ad ignem fiat decoctio. In
 quod vinum sindon vel stragula immer-
 gatur, & parum manibus exprimatur, &
 eo calido optimè æger inuoluatur.

AMATI LVSITANI

SCHOLIA.

Quomodo stypticum hoc vinum sudorē euo-
cet percōtabitur optimus medicus, quū
sua adstrictione id corpus constringere potius,
quā dilatare ratio dīctet. Nos huic dubio re-
spondentes, dicimus ita huic vino euenire, veluti
oleo rosis cōcinnato, & inde rosaceo dicto, quod
ob contractam à rosis stypticitatē penetrantius
fit, quā per se oleum: sic & acetum ob partes cō-
stringentes, eius subtiliores impellantur, & ma-
gis penetrat. Vinum igitur hoc per expiramenta
ingressum commotos ex lapsu humores subtiliat
& extenuat, quos sic extenuatos, & in vapores
redditos, per expiramenta siue exiguos omnes
corporeæ molis meatus (ωῖπρς Græci uocant) na-
tura eūcit, qui postea in cute frigiditate conden-
sati, in aquam vertuntur, & sudor resultat. Vel,
si magis placet, dicas naturam vini stypticitate
roboratam, ad cutem eos humores, qui membrū
obsedere aliquod erant dispositi, transmittere, ex
quibus sudor consurgit.

De casu,

CVRATIO X.



MOrena Hispana meretrix Ro-
mæ famosissima, quum domū
instaurare faceret, quam pau-
cis antea diebus mille & quin-
gentis aureis ducatis emerat, contigit ex
quadam

quadã eius parte caderet, à quo casu vni-
 uersum eius corpus contusum fuit: imò va-
 rijs in locis signa quædam apparuerunt,
 quæ Græcis hypopiasmata, Romanis fu-
 gillata, & liuores ex ictu proueniētes, aut
 vibices appellantur. Ad hanc igitur acci-
 tus ipse, illico pedis venam, saphenam di-
 ctam, secare feci, sanguinisq; vncias quin-
 que fluere, à qua sanguinis missione pul-
 ueres prædicta curatione descriptos, ebi-
 bendos quoque illi dedimus, & stragula
 vino rebus stypticis confecto immersa, ac
 manibus expressa, eam obuolui fecimus,
 & cubili optimè cooperiri, quibus optimè
 sudauit, & intra quinque dies sana euasit:
 porro à vino ijs diebus semper abstinuit,
 & pro victu panatellam, vel panem lotū
 saccharo coopertum, aut huius generis si-
 milem cibum accipiebat. Cæterum vibic-
 es ex tapfia ceræ mixta remedio, si Pli-
 nio credimus, Neroni satis familiari, bre-
 ui ex toto euanuerunt. Nam & cerusa ra-
 phani succo excepta ad eadem multum va-
 let, vt albumen oui per se, aut constringē-
 tibus pulueribus mixtum, vt cætera alia
 varia præteream remedia, secundum va-
 ria tempora morbi adhibenda.

SCHOLIA.

H *Virus morbi curationem prosequitur Ga-
 lenus*

AMATI LVSITANI

lenus libro quinto De comp. medicamentorum per loca, capite primo: ex quo paucula hic subi-
ciam verba, vt neoterici noscant quanto errore detineantur in ijs curandis vibicibus, quā illico morbi initio balauſtjjs, corticibus granatorum, myrto & alijs conſtringentibus remedijs & po-
tentioribus utantur, quod quā à Galeno alie-
num ſit, & à vera curandi methodo, hæc ipſa Galeni verba ex loco citato teſtantur, & ita ha-
bent. Dictum etiam antea à me eſt, quòd ex diſ-
cuſſorijs medicamentis in principio præſtantiora ſunt, quæ modicam aſtringendi vim complectū-
tur: qualia ſunt roſa, & melilotum, & crocus: nō tamen ex eiſmodi pharmacorum numero eſt myrtus, vtpote vehementer aſtringens, quapro-
pter ego nunquā ipſa uti auderem, præſertim ſi iam liuidus ſit color ſugillationum. Hactenus Ga-
leni verba, per quæ ſatis percipitur, myrtum à Galeno pro ijs curandis vibicibus vituperari.

De quodam præceptis medicis non
obediente,

CVRATIO XI.



Lluſtriſſimus Dominus Camil-
lus Columna, grauiffimis & ſæ-
uiſſimis morbis torquebatur,
præcipuè capitis deſtillatione,
nephritide, diuturna podagra, & chira-
gra, cuius curam ſuſcipiens ipſe omnia,
vt dee

vt decet, cum debito victus ordine describo. At ille omnibus astare, vel facto iuramento promittit, Deus bone, vix sextum ebiberat syrupum ea intentione vt per catapotia purgaretur, quando frixa oua, & ostracorum nescio quod genus pro arbitrio in cœna comedit, sed non sine culpæ pœna. Nam ea nocte ita colico & renum dolore afflictus fuit, vt eum mori domestici crederent: in aurora verò ad eum accedens, vix ex mula descenderam, quando eius plures clientuli omnia examusim mihi referunt. Sed eorum vnus cubicularius, & qui victum porrigit, rem ex toto aperuit. Decet autem medicum priusquàm ad ægrotum veniat, domesticos interrogare, & de eius statu ac dispositione percontari, quo facto rarò vel nunquàm aberrabit, hac enim via incedens Gal. multa præterita ægrotantibus obijciebat, quæ tanquam miracula ab eis habebantur, ac postea maiori cum animo sese illi concredebant, vt ex libro De præcognitione facile quis iudicare poterit. Quum igitur eum conuenirem, ac ipse de symptomatis nocte antea habitis conquereretur, ego tanquam rei inscius simulo, alioqui quaritans vnde hæc euenire poterant. ille verò omnino ignorare respōdebat, ego verò
in victu

AMATI LVSITANI

in victu ipsum peccasse contestabar, & quum rem ex toto tenerem, quid nam in cœna nocte præterita accepisset, inquirō. Ille nihil noxij aut mali succi respondet. Tunc hominem rogo, quid illud sit, singulatim recenseat. Ille primo capi carnes, à quibus omnino abhorreo, gustare cœpi ait: dein frixa oua mihi apposita sunt, quæ tantillum gustavi: demum ex ostracodermis vnum vel aliud genus lubentissimè comedi, asserit. Tunc ego submissa voce, hæc promissis respondere aio: ac venia demandata recessi, non rediturus ad illū tametsi vnum vel alterum ex suis castris mihi dono daret. Nouit hæc summus pōtifex, nouereq; plures reuerendissimi cardinales, ac alij principes Romani.

SCHOLIA.

L Anguens medico obedire debet, vt mandat Hippocrates primo Aphor. & libro primo De morbis vulgaribus, vnde iis qui medicorum præceptis non obsequuntur, medicinale consilium dandum non est, vt suadet Galenus libro de sanguinis missione, & sexto De tuenda valetudine, & primo De diebus decretorijs: nec enim apud me pecuniæ, quas illustrissimus vir hic mihi liberaliter elargiebatur, tantum vnquam valere, vt eas artis medicæ nobilitati & excellentiæ anteponerem, sciens vtique, quòd sapientiâ propter seipsam

seipsam expetenda est, non verò propter lucrum,
 ut suadet Galenus libro illo, cui titulus est, *Quòd*
optimus medicus sit & philosophus. & secundo
Methodi medendi, veluti sexcentis alijs locis.

De colico affectu, simulque de lupino
 stercore,

CV RATIO XII.

Nobilis Romanus, qui prope ca-
 pitoliũ non procul ab Ara cœli
 cœnobio lignipedũ Francisca-
 norum habitat, colica affectio-
 ne gravissimè torquebatur, ad quem plus
 minus quinque vel sex medici inuisendũ
 venimus: cõtra quem dolorẽ quum mul-
 tis & selectis medicamentis vñ essemus,
 præcipuè per clysmos iniectis, nullũ præ-
 stantius, aut diuinius remedium pro eo
 propulsando inuenimus, quàm lupi inte-
 stinum: in pollinem etenim redactum, &
vinò generoso exceptum, ac calidum epo-
tum, breui opus suũ confecit, & ipse æger
sanus euasit. Curent igitur medici intesti-
 num hoc apud pharmacopolas semper vt
 habeatur.

SCHOLIA.

Lupinum stercus cãdidum, quale vbi ossa edo-
 rant, lupi excernere solent, præcipuè super
 repres, spinas, frutices, & præciores herbas in-
 d

AMATI LVSITANI

uentum. Galenus decimo libro De facult. simpl. med. nō solum cum vino ebibitum, sed ilibus appensum uinculo confecto ex lana ouis à lupo laniata, aut ex ceruina pelle, summopere colicis affectis prodesse tradit. Auicenna uero Fen sextadecima, libri tertij canonis, capite 14. quarti tractatus, lupi intestinum exiccatum magis quàm eius stercus laudat, id quod hodie & sepe experientia ita esse à nobis comprobatum est. sic enim Auicēna citato loco tradit: & dictum est, quod corpus intestini Adib quum exiccatur & teritur, est magis vltimum iuuamētum quàm stercus eius, & illud quidem non est longinquum, hætenus Auicenna. Super cuius verba animaduertendum duximus, quod Adib apud Auicēnam in vniuerso suo canone pro lupo accipitur, vt conferenti ea quæ à Galeno de lupo & eius membris, ac iuuamētis inscribuntur, cum ijs quæ ab Auicenna de Adib tradūtur, notum euadet, quum tamen reuera Adib apud Arabas longè aliud animal sit à lupo, vtpote gregale, apud Africam frequens, quod effigie & magnitudine inter lupum & vulpem cernitur, animal in totum iners, adeo vt victum sibi captare nesciat, sed præda à leonibus derelicta plerunque vescatur, qua de causa leones semper comitatur, de quo latius à nobis super Dioscoridem proditum est.

De

De nonnullis, qui ex Lusitania Romam uenerunt, & egrotarunt.

CVRATIO XIII.

DIui Alfonsi Alencastrēsis famuli & serui, qui ex Lusitania per nauim Romam uenerunt, ferè omnes egrotarunt, & febribus varijs sunt vexati, sed debitis adhibitis re medijs omnes per nos adeò sanitati sunt restituti.

SCHOLIA.

AEgrotarunt ù, sed non aëris varietate, quippe Vlyssipponensis aër, à quo ù soluerant, non multum à Romani aëris qualitatibus distat: quinto autem in climate Roma vrbs antiqua situatur, adeò vt per eam parallelus denominationem accipiat, & *Διαίγομεν* appellatur. Vlyssippon quoque eidem climati subiacet, imò vtraque easdem ferè polares eleuationes habet, quæ polares eleuationes vere distantia sunt ab equatore, quum quanta est eleuatio poli ab hemisphærio nostro, tãta est Zenid capitis nostri ad equatorē equa distantia: habet autē Vlyssippon polaris eleuationis gradus ferè quadraginta, Roma verò quadraginta vnū, quibus adde ea quæ medicus præcipuè pro regionū, & ciuitatū, aut locorū venanda temperatura seruare debet, scilicet quòd Vlyssippon vrbs est occidentalis, o-

d ij

AMATI LVSITANI

mnium Hispanorum consensu totius occidenta-
 lis plage clarissima, quæ in plano sedet, & eius
 plateis Oceanum mare præterlabitur, in quod
 aurifer Pagus paucis antea stadiis ingreditur,
 & nullis niuosis montibus afflatur, neque vllis
 fœdis syluis, aut paludibus horridis inquinatur,
 non stagnis, non lacubus, non specubus, aut cauer-
 nis, à quibus halitus pestilentes oriri solent, &
 eisdem ciuitates plerunque infici, ut variis Ita-
 liæ & Græciæ ciuitatibus contingit: imò potius
 in circuitu campos fertiles habet, amœnissimos
 hortos, lymphidissimos fontes, clarissimos fluuios,
 iucundissima vineta, fertilissima pomaria, à qui-
 bus omnibus saluberrimus aër consurgit, sum-
 mam temperiem in quatuor anni tēporibus ser-
 uans, quum media vigente æstate, æstus non ita
 furit, vt homines torqueat, neque frigus hyeme
 ita riget, vt ad ignem homines confugere compel-
 lat, vix enim Vlyssippo glaciem aut niuem vi-
 dit, qua de causa simplicissimis vestibus vel me-
 dia hyeme, nullis fulcitis pellibus vestiuntur: per-
 flatur autem ciuitas hæc maiori ex parte sua-
 uissima inspirata aura ab Oceano, omnium re-
 rum, vt Hesiodo & Homero placet, parente. Ro-
 ma quoque omnia fere Vlyssipponi tributa ha-
 bet, sed Orientalis est, quæ austrum quàm septē-
 trionem magis respicit, & ea de causa temperiē
 caliditate & humiditate superat, & ideo destil-
 lationibus, vt Galenus tradit, obnoxia: quā Ty-
 beris

beris fluvius, olim *Albula* dictus, intersecat, & non procul in mare se exonerat, vt merito eandem cum *Vlyssippone* sortiatur temperaturā: quo factum est, vt homines *Romani* cum *Vlyssippone* nensibus & *Lusitanis* ceteris facie persimiles videantur, imò vite longitudine æquales ferè sint, vt paulo inferius docebimus. Ceterum *Auerrois Cordubensis* libro secundo sui collectorij, hominū facies, & capillorum colorem considerans, quintum hoc clima ceteris temperatius dixit, quod verum esse, quicumque septem climata, vel eorū maiorem partem perlustravit, fatebitur, modò collationem climatis ad clima faciat, non verò vnius ciuitatis ad vnum clima: scimus autē nos in vnoquoque climate loca temperata & distēperata reperiri, nam *Castellum album* mihi propria patria, & cuius *Ptolemæus* meminit, æquē ab *Vlyssippone*, & *Salmantica* totius *Europæ* celeberrima *Academia* distans, tēperata est. *Guardia* tamen ciuitas illi propinqua, frigiditate ita pollet, vt media æstate homines in ea algeant: sed id illi ob prominentem montem, hodie ab stella dictum, euenire certius est, quàm quod à me multis probari possit, qui ex directo eam respicit, & ex niue qua semper albicat & scatet, elevato flatu in eam inspirat, collato igitur quinto hoc climate ad quartum, multo plura in eo temperata loca reperiri quā in quarto, certò scimus. Proinde *Hippocrates* (qui ob *Coum* ciuitatem patriam

AMATI LVSITANI

sibi charissimā, & temperie affectam, quartum
 clima ceteris temperatius dixit. In presenti par-
 cat. Scimus autem nos quartum clima plura lo-
 ca ita distemperata habere, ut vix habitari pos-
 sint, quæ de quinto climate minime dici possunt,
 ut ex Ptolemaeo prima Asia tabula, quisq; con-
 iectare potest: si modo ea propriis oculis, & corpo-
 ris sui iactura vnquam vidit. Hippocrati & Ale-
 nus, ut solet, suffragatur, aphorif. lib. tertio, enar-
 ratione quartadecima, veluti libro secundo De
 sanitate tuenda, Avicenna quoq; Fen prima pri-
 mi lib. doctrine tertia, capite primo, in quo de cō-
 plexionibus disseritur, post æquinoctialis habita-
 tionem, quam temperatā esse auguratus est, quia
 nulla in ea aëris mutatio reperiebatur, sed aër po-
 tius similis toto in anno semper erat, quartū cli-
 ma ceteris tēperatius dixit, quem Albumaxar
 secutus fuit, & plures alij viri doctrina, & elo-
 quio grauissimi, quos omnes fouere videtur Ari-
 stoteles libro secundo Meteororum, quū Græ-
 ciam laudet, quæ maiori ex parte sub quarto cli-
 mate sita est: quia, ut tradit Avicenna, huius cli-
 matis habitatores non vruntur, ut qui in primo
 climate, neque valde calefcunt, ut in secundo &
 tertio, neq; multū frigesunt, ut illi qui sunt in
 fine quinti, vel alij latitudine remotiores, quibus
 addunt harmonicam rationē, quæ docet, mediū
 quarti climatis, utpote medium locum inter se-
 ptem tenens, summum habere temperamentum,
 sed hæc

sed hæc tamen si à clarissimis viris prodita sint, ea
tamen falsa esse hodie experimur, videntes utiq;
Rhodum civitatem, per quam quartum clima no-
men sibi vendicat, & *Δία πόδα* vocatur, ca-
lidissimam esse, veluti ceteras civitates & loca in
eodem contenta climate, quæ dubio procul tempe-
riem per caliditatem excedunt. Sed age, esto quod
sub hoc quarto climate habitatio sit temperata,
ut Hippocrates dixit, & à nobis citati viri cla-
rissimi credunt, inter quos Plinium quoq; libro
secundo Naturalis suæ historiæ adnumerare est,
vel quod sub quinto climate temperatius vivitur,
ut Auerrois putat, & nos credimus, habita ex
eisdem experientia: vel, ut Avicenna ait, sub æqua-
tore temperatior sit habitatio, aut, ut neoterici ali-
qui volunt, nullibi temperatius vivatur, quam sub
sexto climate: dignum investigatione erit, an in
iis temperatis locis homines longiori tempore vi-
vant, quam in distemperatis: nos quæsitum hoc
exposituri, ex Hippocrate primo scire facimus,
quod hominum temperatura regionum naturis,
ubi nascuntur, plerunque respondere solent, ut
apud librum De aëre, aquis, & locis sæpe inculca-
tur, quia ubi mutationes temporum contingunt
frequentes, & plurimum inter se diuersæ, ibi for-
mas hominum, & mores ac naturas plurimum diffe-
rentes reperiri necesse est: ubi verò æqualitas &
uniformitas est, ibi homines æquales & tempe-
rati sunt, hoc autem argumento usus Hippocrates

AMATI LVSITANI

Asiaticos Europæis temperatiores prædicto in libro facit, Europæos verò Asiaticis magis distemperatos, sed bellicosiores, tum etiâ quia Europæi suo iure viuunt: Asiani autem regibus & dominis sunt subiecti, quæ duæ potissimæ sunt rationes, quibus Hippocrates per totum eum librum vtitur. Sed primam, utpote nobis nunc deseruientem, percurramus: quæ indicat hominibus tales inesse temperaturæ, quales regiones, in quibus vitam degunt, sortiuntur. Sic enim Hippocrates citato libro inquit, Dico quidem plurimum differre Asiâ ab Europa secundum naturas omnium ex terra nascentium, itemque hominum: longè enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia, estque regio ipsa, hac nostra multo mansuetior, sunt etiâ hominum mores benigniores & cultiores: causa verò horum est temporum anni temperata mixtura, siquidem in medio solis exortu sita est ad aurorâ, à frigidity ac caliditate omni remotior, incrementum autem & benignitatem inde proficisci omnibus in confesso est, quum nihil sit præcellens & cogens violenter, sed per omnia equalitas vigeat, & cetera quæ huic negotio multum faciunt, & consulto prætermittimus, in quibus clarè percipitur in regionibus temperatis homines temperatos gigni, in distemperatis verò distemperatos: quam sententiam Galenus, ut Hippocratis maximus ampliatur, ita eam variis in locis suæ doctrinæ exponit & ampliat

ampliat, præcipue libro secundo, De sanitate tuenda, & ita pro compendio habet. Ceterum, dum proposui hominem eo corporis statu, de quo queri non posset, obiter etiam regionem ipsius potestate nimirum definiui, quum neque optimo temperamento, neq; irreprehensibili omnino membrorum modulo corpus vllum in his regionibus, quæ à temperamenti modo recesserunt, gigni possit, quippe sicci, graciles, & veluti torrefacti in æstuosis tractibus homines fiunt: rursus frigidioris plagæ incolæ, inæquali temperamento visuntur. vt in quibus externa frigeant, interna impensè caleant. Itaq; apud Gallos, Scythas, Aegyptios, Arabas, ne per somniū quidē vsquā est vidisse id corpus, quod veluti Polycleti regula existit, cui in nostro situ nō pauca similia videas, siquidē nostræ regionis, quæ in latitudinem nō paruā extēditur, id quod in medio habet, optimè sanè temperamentū est, cuiusmodi patria est Hippocratis. Hactenus Galenus, qui corpus temperatum, siue optimè constitutū, in regione temperata gigni posse, secus autē in distemperatis fatetur. Ceterum quū corpus temperatū longiori tēpore viuat, quā distemperatum, consequens est, quod homines in regionibus temperatis geniti ceteris diutius uiuant, quod an verū sit paulisper regiones percurrendo, inuestigabimus, & primo ab æquatore initiū sumentes, sub quo, vt Auicenna placet, habitatio tēperatissima est, subiacet hodie

AMATI LVSITANI

sancti Thomae insula æquinoctiali, quã Lusitani nostri, utpote regi nostro parente, multum frequerant: saccharum inde in Lusitaniam transferentes, & inde in varias orbis regiones: quã Aethiopes homines nigri incolunt, magna ex parte incolumes, & sani viuentes: quia apud eos nullæ temporum vicissitudines aut mutationes fiunt, sed caliditas vniuersalis potius semper apud eos viget: vnde sexagesimum vix vite annum attingunt, quia eorum radicale humidum pauculum & exustum est: quod attestatur, quia sicci, graciles, & veluti torrefacti sunt, ut in quibusvis æstuosis aliis tractibus homines fieri cõtingit, ad hæc imbelles, timidi, & effæminati. Sed ad quintum clima descendamus, quo cæterorum nullum, ut Auerroi placet, temperatius existit, & ex illo Romanam & Vlyssipponem ut præcipuas & magis temperatas ciuitates cõtemplemur. Nam Roma de qua Plinius tot & tanta laudibus extollit, libro tertio Naturalis sue histõriæ, capite quinto, & Galenus libro primo De articulis, enarratione 24. ex Polemone eam totius terræ habitabilis compendium vocat, in quam ipse Galenus ætatis sue trigesimo secundo anno peruenit, & in ea hæc hodie literis mandamus, ita suorum pessima nouerca existit, ut Romanorum ciuium perpaucos nunc ad senectutem venire nobis contingat videre, perpauci autem ex ciuibus genuinis & veris Romanis sexagesimum attingunt annum,

non

non minus ac exteri etate maieres ad eam con-
 fluentes, qui quoq; breui intercipiuntur, vt qui
 hac contemplantur, norunt. Neq; minus hodie et
 sepe Vlyssipponensibus euenire certò scimus, qui
 maiori ex parte iuuenes è vita decedunt. Quid
 verò de quarto climate dicemus: in quo plures
 homines temperatos reperiri Galenus est autor:
 quum tamen eodem autore, libro de Historia
 philosophica, ex Asclepiade, vt Aethiopes ex o-
 mnibus nationibus citius ad senectutem perue-
 niunt, ita Angli præ ceteris diutius viuunt, &
 ad vigesimum supra centesimum annum solent
 vitam ipsam protrahere, quia eorum genuinus
 calor cum subiecto humido tandiu per frigus as-
 seruatur? Est autem Anglia regio insularis fri-
 gida, olim Britannia dicta, septimo subiaccens cli-
 mati, cuius parallelus sextusdecimus est, diem lō-
 gissimum habens, sexdecim horarum cum dimi-
 dia, & quæ inter septentrionem & Thraciā, siue
 Circium dictū ventū locatur: vel, vt Metellus viro
 graui placet, inter septentrionem occidentēque
 profecta, grandi angulo Rheni ostia profficit,
 deinde obliqua retro latera abstrahit, altero
 Galliam, altero Germaniam spectans, tum rur-
 sus perpetuo margine directi littoris ab tergo ab-
 ducta, iterum se in diuersos angulos cuneat tri-
 quetra, & Siciliae maximè similis, & cetera. Si
 igitur ita est, quòd in hac insula homines in tam
 longum vitam contrahunt tempus, videtur tem-

AMATI LVSITANI

periem ad vitæ longitudinem nihil conferre, imò homines distemperatos longiori tempore vitam ducere quàm temperatos esse aſtruendū, id quod nunc à nobis pro verò firmandum eſt, quum par quoque animalibus diſtemperatis euenire contemplemur, videlicet cornicibus, coruis, & ceruis. Quapropter Theophrastus, vir ingenio pluſquàm humano præditus, meritò humanum genus de vniuerſali natura cōqueri poſſe meminit, quum animantibus iis tam longam elargita fuerit vitam, hominibus verò tam breuem & curtam, ac ipſam quidem miſerrimam conceſſerit: nihil igitur aliud optata temperies in homine mollitur, quàm quòd omnes in eo virtutes & actiones ſimul exactæ ſint & perfectæ, & reſpondentiam ac coalternationē viciffitudinariā inter ſe quādam habeāt, quod eſt, vt earum nulla opus ſuum aggrediatur, antea quàm prior, cui vicaria ſuccedit, ſuum obierit munus. Vt ergo Aethiopes calidam regionem incolentes breuis ſunt vitæ, quia maximo calore exuſti eorum innatum calidum cum ſubiecto humido citò exoluitur, ita Angli & Dani, ac apud Belgas Olandi, frigidam regionem habitantes, cæteris diutius viuunt, mediū verò inter eos commorātes, medio modo viuunt, vt Hiſpani & Galli, quibus addimus Italos, & Græciam habitantes Turcas. Sed vitæ longitudinem Angliſ & Daniſ ac frigidam regionē incolentibus euenire: quia hominis temperatura ad

caliditatem declinet, quæ frigore contemperatur, in dubium verti posset. Simul quia calor innatus per frigus magis servatur, nec ita exolvitur ut aliis in regionibus. At licet Galeni ex Asclepiade axioma verum esse certò sciamus, hodie tamē Venetos Anglis & Danis, ac quibusvis aliis nationibus longiori perfrui vita observamus, nusquam enim tot senes, tamq; venerandam canitiem spectabis, quot Venetiis, apud quos fructus succosi, & carnes incorruptæ diu asseruantur, Ut receptui igitur canamus, ū de quibus curatio nostra agit, non aëris, aut cœli, aquarūve varietate egrotarunt, sed magis ob contractos à naui labores, in qua eos (ut fieri solet) miserè passi sunt: solent verò qui ex regione contraria proficiscuntur, & in alteram veniunt, sepe non solum egrotare, sed mori, ut Aethiopibus sub æquatore, et sub primo quoque & secundo climate habitantibus, in Hispaniam aduectis euenire videmus, & eo magis, si in frigidiorē regionem trahantur, id quod Auicenna dixisse videtur, Fēn prima, libri sui canonis, quī dicat, Aethiops enim si ad Germani temperaturam se transferre tentet, egrotabit quidem, vel morietur. Hec autem hucusque à nobis deserta de septem climatis à priscis constitutis, dicta esse intelligatis velim, quæ inter æqui noctialem, & septentrionem continentur: quam illis hodie duo & tria, quatuor, & plura alia addere possemus, si modo terræ portiones ha-

AMATI LVSITANI.

bitabiles priscis ignotas quoque partiamur, ab eo
 puncto ubi Ptolemæus primum clima describe-
 re cœpit, ad æquinoctialem vsque dimensum fa-
 cientes. neque minus terræ tractum, ab eo pun-
 cto ubi septimū definiuit, versus septentrionem
 siue polum arcticum, sub quo hodie plurimæ &
 potentes gentes viuunt, vt sunt Dani, Gothi,
 Norduegij, Suedi, Finladi, Prutheni, Rutheni,
 et ferè sub ipso polo Lapones: nam de quinq; aliis
 orbis sectionibus siue climatis à neotericis nuper
 inuentis, quæ ab æquinoctiali ad meridiem pro-
 trahuntur, sermo noster non est habitus, in qui-
 bus, vt à fide dignis accepimus, regiones tempe-
 ratissimæ comperiuntur, & homines longa vita
 præditi. Ceterum, vt candidus lector nobiscum
 in hanc condescendat sententiam, scilicet quòd
 homines distemperati in regionibus distempera-
 tis, potissimum frigidis, longiori viuant vita, le-
 gat Hippocratem libro de aëre, aquis, & locis,
 apud quem Coum, & Gnidum ciuitates tempe-
 ratas esse, vt Galenus credit, non lego, imò ipsis
 Asianas aliis temperatiores ipsemet Hippocra-
 tes facit, vt ex ipsius à me citatis verbis suprâ
 adnotauimus post Hippocratem Aristotelem percur-
 rat libro Problematum, præcipuè sectione quar-
 ta decima, & libro De longitudine & breuitate
 vite: non minus Plinium libro secundo Natura-
 lis sue hystoriæ, capite septuagesimo octauo, &
 Galenū libro cui titulus est, Quòd animi mores
sequuntur

sequuntur corporis temperaturā, & Avicennam
 Fen secunda libri primi, præcipuè ubi de locis ha-
 bitabilibus calidis & frigidis agit, in quorū cap-
 tum altero Aethiopes intra trigesimum annum
 senescere inquit, in altero verò homines fortio-
 res & audaces, ac longæuos reperiri asserit, quæ
 omnia ab Hippocrate et Galeno sunt decerpta: iis
 annectere est Albertum Magnum libro De lo-
 corum natura, & ex recentioribus duos Ferra-
 rienses: alterū Manardum citato loco, & Epi-
 stola prima libri 7. ad Iacobū Ciglerium scripta,
 quòd sub æquinoctiali est habitatio, alterū Anto-
 nium Musam Brasauolum, libro tertio Apho-
 rismorum, enarratione apud Galenum quarta-
 decima, neq; enim Poëtis fides vlla habenda est,
 præcipuè Ouidio, qui de Zona septentrionali scri-
 bens libro De tristibus tertio, ita inquit.

Siue locū spectes, locus est inamabilis, & quo

Esse nihil toto tristius orbe potest.

Siue homines, vix sunt hoīes hoc noīe digni.

Quāq; lupi seuæ plus feritatis habēt. Itē,

Omnia barbarie loca sunt, vocisq; ferinae,

Omnia quæ possunt, plena timore sonant.

Nec minus Vergilius primo Georgicorum errat,
 ubi Zonas describit, & ita habet,

Quinq; tenēt cælū Zone, quarū vna corusco

Semper sole rubens, & torrida semp ab igni,

Quā circū extrema dextra leuaq; trahūtur.

Cerulea glacie concreta, atq; imbris atris.

AMATI LVSITANI

Frequēter tamē hodie Lusitani nostri sub æquinoctiali cōmercium exercent, & viuunt velut sub polo Lapones, vt falsa esse quæ ab iis viris, alioqui doctis, sunt dicta, hodie deprehendantur.

De morsu viperæ,

CVRATIO XIII.



Eris fine properante iam æstate duo iuuenes Ancona Auximum ciuitatem proficiscebantur, quorum alter, quum ab itinere meiendi gratia diuertisset, viperam prope arboris cauernam offendit magnam tamen applausu, sed infelici successu. Cōtendebat autem is altero cum socio, se viperam manu absque offensa aliqua capturum, gloriabaturque nonnullis murmuratis verbis serpentes omnes tanquam stupefactas illi obedire. Alter verò hunc deridebat, demum ad sponsiones res deuenit: sed vipera plus iusto audax truculenta, immota semper mansit: demum quum is manum porrexisset vt illam caperet, illa rabido & venenoso furore percita, eleuato collo ipsum in manus digito momordit, quum sic commorsus doleret, citissimè ori digitum admouit, fortè vt sanguinem dentibus compresso digito sugeret, non verò vt mortem sibi ascisceret,

brevi

breui autē infelix hic sua culpa mortuus fuit, neque medica auxilia illum quicquā iuuerunt: euasisset tamen, ni serpentis venenum ori admouisset. Roma autem tunc Anconam nos recipiebamus.

De uariolis, & morbillis, exanthematis dictis, de eorumq; symptomatibus ante apparitionem uenientibus,

CV RATIO XV.

Puer natus annos sex, temperatura sanguineus, obesus, vigente canicula cum rectē valeret, repentē oris torum cum corporis totius tremore correptus fuit. cōtra quas affectiones mulieres presentes multa tentarunt remedia, & ad collum varia suspenderunt amuleta, sed frustra, quum perinde ac primò eadem manerēt affectiones: ad quem accersiti nos secunda die, iussimus per crurum scarificationem sanguinis uncias quatuor extrahere, à qua sanguinis extractione puer sequenti die melius habuit, imò diuersua hac euacuatione ab onere & pondere alleuiata natura, & alacrior reddita, ac supra residuum materierum potētior facta humorem morbum fouentem ad cutim transfmisit, ex quo exanthemata variolæ dictæ,

AMATI LVSITANI

effloruerunt. Cæterum vt breui erumperent, & in totum exirent, aquam hordeaceam, in qua caricæ pingues ebullierant, ieiuno stomacho, ac interdum in potu dabamus. Et breui sanitatem obtinuit. Vagabatur autem hoc tempore exanthematum omne genus, non solum pueros, sed natu grandiores corripuens. Porro pauca, sed crassæ & rubentes variolæ hæ erant, quas ne puer scalperet manu, summoperè curabamus. Solent autem plerumque ex scalptis variolis fœdæ oriri cicatrices, quæ difficulter postea emendantur: nec secus de membris, quæ variolis & morbillis plerumq; affici solent, solliciti fuimus, vt oculus, pulmo, intestina, guttur, & olfactus sensorium: de quibus Auicenna consulendus venit Fen quarta libri primi, capite vndecimo tractatus quarti: vbi prudenter admodum hæc pertractat, ob quorum membrorum incuriam pueri plerumq; ex iis variolis moriuntur, vel saltem lusciosi, vel visionis diminutæ, aut asthmatici manēt. Animaduertant igitur medici puerorum febricitantium curam habentes, qui quū eos in variolas aut morbillos labi contemplantur, sic ab eis, tanquam à morbo liberis illico discedunt. Calido autem in loco, vel saltem æstatis tempore temperato

perato, minimeq; ventoso, puer manere debet, & rubris pannis, vel cocco infectis cooperiendus, modò tamen ægrotantis non attingant carnes: vis enim constringendi huiuscemodi pannis inest. Victus ratio iis pueris sic affectis sit, panatela simplex, vel iure pulli gallinacei apparata, aut amygdalatum, aut ptisanæ cremor, quem colatam ptisanam appellamus, Arabes sanic hordei appellant, aut panis frigida lauatus, & saccharo coopertus, vel femina melonis saccharo incrustata, vel ex cucurbita vnum vel alterum paratum iusculum. Sed post exactam earum eruptionem, si febris mitis est, vt remitti plerunque solet, tunc ex pullo contusum frigidis seminibus concinnatum liberaliter concedi potest, vel ipsius pulli, aut capi caro. Veruntamen quum primum symptomata apparere incipiunt, intra tres dies variolæ maiori ex parte erumpere solent, quæ vt facile exeant, quum primum apparere inceperint, sic adiuuandus est æger sequentibus decoctis, & apozematis.

Vt variolæ citò foras pellantur.

Aqua hordei saccharata, & tepida ebibita, variolas ad cutim facile transmittit.

Ad idem, Aqua decoctionis hordei, adiectis caricis pinguibus idem præstat,

AMATI LVSITANI

qua nos nunc, & sæpè vtimur.

Ad idem, Caricas pingues numero duodecim, gummi tragacanthi drachmas duas, seminis fœniculi drachmam vnam, croci drachmam mediam, in libris duabus aquæ fiat decoctio ad consumptionē tertiæ partis, & coletur, propinetur decoctum hoc calidum manè, & serò.

Ad idem, Passularum Corinthiacarum, vnciam vnam, caricarum pinguium numero xij. dactylorum numero xv. in libris quinque aquæ fiat decoctio sufficiens, & coletur, ex quo apozemate ad lubitum bibat. Solent quoque plerunque ita sæua symptomata ægrum inuadere apparentibus iam variolis, vt omni data opera medicus de earum expulsiōe sollicitus esse debeat, neque tantum medicamentis ebibitis à nobis citatis, sed etiā per exteriora admotis, proinde lauacrum hoc porrigi solet. ℞. fœniculi, apij, verbenæ, añ. pug. j. seminis apij Macedonici, fœniculi, petroselini, añ. vnciam mediam. In libris tribus aquæ fiat decoctio sufficiens, quo in decocto calido pannus lineus intingatur, & eo totum corpus inuoluatur, hoc verò remedio variolarum & morbillorum materia ad exteriora promouebitur. Cæterum, quum primum

mum variolæ apparere incipiunt, vt dixi, medicus de nonnullis membris curam habere debet, de quorum præseruatione sic habeto, & primo.

Ad oculorum præseruationem.

℞. Aquæ plantaginis, euphragiæ, rosarum, añ. drachmam vnam, camphoræ, scriptulum vnum, croci grana duo: misce, fiat collyrium, & penna leni oculi sæpè inungantur.

Ad idem,

℞. Pulueris sumacchiorum drachmas duas, aquarū plātaginis, rosarum, añ. vncias duas, misce, & ad ignem parum cal fiat & coletur, colaturæ adde camphoræ scriptulum vnum, croci grana tria, misce, fiat collyrium.

Ad idem,

℞. Succī verbenacæ vncias duas, oui albi, numero duo, optimè simul concutiantur, & oculis instilletur. prima tamen remedia in vsu apud me sunt.

Ad gutturis & faucium præseruationem.

℞. Rob mororum vnciam vnam, aquæ capiti rosarum, plantaginis, añ. vncias quatuor, vini granatorum acetosorum, vnciam vnam, misce, fiat gargarifinus.

Ad odoratus sensorium.

℞. Aceti rosati optimi parum, & naribus admoueto, & odoret.

AMATI LVSITANI

Ad pulmonum præseruationem.

℞. Farinæ fabarum vncias duas, feminis papaueris albi drachmam vnam, gummi tragacanthi drachmam mediam, amyli vnciam mediam, cum syrupo myrtino, q. suff. misce, fiat eclegma, clambe-
tium dictum, & supinè vt cætera arte-
riaca medicamenta lambendo capiat.

Ad intestinorum præseruationem.

Vt verò intestina præseruentur, nec in fluxum labantur, vt sæpè hoc in morbo fieri contingit, iis potissimum medica-
mentis vtetur, quibus ad fluxus præser-
uationem vti medici solent, de quibus
astringentibus Centuria secunda exactè
dicimus.

SCHOLIA.

T Radit AbinZoar gloriosus, & Auerrois
firmat, nullum hominem variolas aut mor-
billos euadere posse, & meritè sanè: quia infans,
interim dum in vtero continetur materno, san-
guine menstruo, quo enutritur, infici necesse est,
vnde postea ebullitione in sanguine facta, natu-
ra vigorata ad cutem, tanquam per crisim quã-
dam, infectum transmittit humorem, ex quo va-
riole & morbilli oriuntur, sed vario modo: si ma-
teria crassa est, variolæ fiunt, si verò subtilis, qua-
litate magis quàm quantitate peccans, morbilli
oriuntur. Ceterum quòd fœtus in vtero materno
sang

sanguine menstruo aliquando gignatur, pabule-
 turve, testatur Galenus, libro primo De sympto-
 matum causis inquit, Primis duobus mensi-
 bus foetus paucum ad se sanguinem trahit, eò
 quòd parum adhuc auctus sit, adeò vt ne foetus
 quidem nominari tum debeat, sed *λέγμῃ* po-
 tius, id est conceptus: vbi verò iam increuit, tum
 plurimo indiget alimento, atque tum non id, qđ
 optimum est, euenis, vt antea dicebam, allicit, ve-
 rum etiam, quia maiorem alimenti copiam re-
 quirat, aliqđ vitiosi simul attrahit: ita fit, vt vni-
 uersum maternum corpus & plethoricum, id est
 plenum, esse desinat, & minori humorum vitio
 crucietur. At foetus ipse excrementa quæ ab attra-
 ctio redundant alimento, ad duas reducit mem-
 branas, quò fit, vt ipse quoque & maiori humo-
 rum vitio, & maiori intemperie infestetur, quā
 doquidem à vitioso sanguine alimentum sumit,
 nisi grauida mulier residuo, quo vterum gerit,
 tempore optimis vtatur cibis. Hæc Galenus, Qui-
 bus ita ob oculos rem ponit, vt eius alios locos pro
 hac roboranda assertionem inquirere non sit opus.
 Causa igitur variolarum, sanguinis mēstrui im-
 mundities est, quo foetus enutritus fuit: cui adde
 quòd vel infans mēstruorum tempore conceptus
 fuit. hanc uerò, vel illam causam tantum cele-
 bres quidam medici considerantes, hominem se-
 mel tantum in toto vitæ suæ curriculo in hunc
 labi morbum contestati sunt, alij uerò ad alias

AMATI LVSITANI

respicientes causas, non semel hominem in hunc
prolabi morbum, sed bis & pluries, assenerarunt:
id quod verum esse experientia rerum magistra
testatur. Sunt quippe cause variolarum, præter
signatas, & ob quas variolæ ipsæ sæpè recude-
scere solent, sanguinis ebullitio putrefactiove quæ
tum à causis exterioribus, procatarticis dictis, tum
etiam interioribus provenire possunt: unde à na-
tura ad cutim fit expulsio, & variolæ nascuntur.
Nam pueris ob lactis corrupti assumptionem san-
guinis sæpè fit infectio, ad quam in cute vario-
læ, & morbilli consequuntur. His accedit causis
aëris infectio, siue ea à causa particulari proce-
dat, siue ab universali & cœlesti originē trahat,
ut hoc anno millesimo, quingentesimo quinquage-
simo primo Ancona cōtigit: in qua ciuitate pue-
ri & grædes natu aliqui, qui olim iā variolas o-
mnes, & morbillos passi sunt, in eas rursus incur-
rerūt, præfagiū sanè (quod Deus optimus max.
auertat) futura pestis. Ceterū variolarū quedā
sanguineæ sunt, quæ aliquātulum latæ, quodam
rubore apparent: aliæ biliosæ, quæ minoris quum
sint quantitatis, acutæ tamen conspiciuntur, quo-
dam cum colore ad citrinum declinante: aliæ pi-
tuitosæ sunt, in totū albæ & latæ: aliæ verò atra-
biliosæ, omnino nigre, ceteris peiores. Nam san-
guineæ magis sunt salubres, & eò magis quò ra-
riores & pauciores sunt: cetera verò huic negotio
facientia, sequentibus legito curationibus.

De symp

De symptomate quodam ante uariolarum eruptionem apparente,

CV RATIO XVI.



Ver natus annos quinque gra-
uiter febriebat, sed capite non
dolebat, nec symptoma ali-
quod ex iis, quæ febrem huius
generis comitari solent, sentiebat: ad eum
vocatus, quum quærerem an doleret, re-
spondet, nullibi dolorem persentire: sed
ecce, quum paululum apud eum immo-
rarer, inquit supra oculum ad superciliū
sinistrū pungi, & paulo post, ad nucham
dolorem transiisse refert, imò variis in lo-
cis, acutum dolorem pati inculcat. Proti-
nus igitur accersito vulnerario internam
dextri brachij venam, basilicam dictam,
secari iubeo, sanguinisq; vncias quatuor
demere: ita enim sanguis eiaculabatur, &
bene fluebat, vt non opus fuerit vulneri
hirudinem admouere: protinus igitur va-
lidior facta natura materiam peccantem
ad cutim transmisit, vnde variolæ efflo-
ruerunt, & dolores cessarunt, & breui tan-
dem sanus euasit.

SCHOLIA.

Non solūm acutus is dolor, potissimum eo
tempore, quo variolæ & morbilli publicè

AMATI LVSITANI

grassantur, signum variolarum sunt, sed plura
 alia symptomata, quae breuiter ita habent: capi-
 tis dolor non sine febre, tumor faciei cum quodā
 non solito robore, oculorum turbulentia cum la-
 crymarum fluxu quodam, totius corporis fra-
 ctio, nausea, vomitus, sternutatio, oscitantia, tre-
 mores, non solum manuum, sed etiam totius cor-
 poris, ad haec syncopis, pectoris grauedo, timor in
 semno, & vocis raucedo, quae omnia sunt signa
 futurarum variolarum, & eò magis, vt dixi,
 quando publicè grassantur, & eisdem pueri cor-
 ripi solent. Ceterum signa haec quādo apparent,
 tunc medicus pueri virtutis robore considerato,
 & humore peccante, euacuationem praepone-
 re debet, cassia fistulari, aut tamarindis, vel syru-
 po rosato solutiuo, vel syrupo violato solutiuo, aut
 decocto sene per se, vel dictis admixto, sed potissi-
 mū euacuatio fieri debet hoc in morbo per san-
 guinis missionem secta vena, vel per surarum in-
 cruribus scarificationem, aut per cucurbitas se-
 cta cute, quia in hoc morbo purgatoria medica-
 menta suspecta sunt, & timor est ne in ventris
 fluxum agrum ducant, qui peculiaris admodum
 huic morbo est. Porro quū euacuatio omnis ante
 variolarū apparitionē potissimū medicamen-
 tis purgantibus fieri, & meritò debeat, quum à
 circumferentia ad centrum trahāt, ita post earū
 eruptionem vno vel altero elapso die, sanguinis
 euacuatio siue per venae sectionem, siue per su-
 rar

rarum scarificationem fieri permittitur. Sed id potissimum moliri debet, quādo plethora adest, quam medicus ex egrotantis pueri habitū, & anteactō victu, ac symptomatis agrū ipsum occupantibus, exactē venari poterit, vt alibi quoque dixi.

De puero continuò febriente, & in variolas postea incidente,

CVRATIO XVII.

Puer natus mēses sexdecim, quū continuò febriret, & illi cruriū scarificatio facta esset, in variolas incidit, ac intra paucos dies sanus est factus. Erat autem puer hic, filius illius, qui ex insulis Lusitanix naues duas isatide oneratas in Angliam vexit.

SCHOLIA.

Peruenerunt hac astate ad manus nostras, plus minus cētum quinquaginta pueri, variolis & morbillis affecti, ex quibus omnes euacuatī euaserunt, alij verò, quibus parentum culpa euacuatio facta non fuit, vitam cum morte commutarunt, numero tres: alij verò quatuor in vlcera difficillima & malè morigerata perueniunt, quæ cum aphthis cōmunionem habent, & facile in gangrenam abeunt, iis similis superstes hodie est, puer Anapi dictus, vlcus cauernosum & malignum, cubitum dextri brachij occupans

AMATI LVSITANI

pans, non nisi multis foraminibus perforatum habens. Animadvertant igitur medici Itali, quos in hoc morbo curando plus iusto segniores noto.

De uariolis serpentibus, cutem tantum erodentibus, simulq; de earum nominibus,

CVRATIO XVIII.



Ver Altarasij variolis corripit coepit, ex quibus nonnullæ percurrebant, ut miserum corpusculum intra duos dies ferè totum exco-
riatum reliquerint, serpebant quippe, ac cutem tantum exanthemata hæc excoriant, quæ quoque aliis euenisse puerulis obseruavi. Contra quæ sic orsus sum, primò quum materia hæc plus iusto subtilis esset, eam obtundere conati sumus, nec tantum eam, verumetiam iocinoris & membrorum internorum malâ qualitatem infringendo, ut ne de nouo altera gigneretur. Sed id refrigerantibus complebamur medicamentis, ut syrupo rosato, de cicorea simplici, de endiuia, de violis, adiectis similibus aquis, exterius verò iecur ex santalino vnguento illinebatur, sed vi etus ad id multum faciebat, qui ad frigidum cum humiditate declinabat, quibus omnibus materia crassior est reddita, &
variola

variola crassæ & amplæ apparere cœperunt, prædictæ tamen excoriationes, quas nonnulli practici rubeas infectiones appellant, sic à nobis tractatæ sunt. Primò à propinato syrupo violaceo solutiuo, lactuce aqua permixto, quo optimè egeſſit, sequenti lauacro ea lauari fecimus, ac postea panno lineo abstergi, & puluere infra dicendo aspergi: habet autem lauacrū sic,

℞. rosarū rubearum siccarū, myrtillorum, foliorū lentisci, summitatū quercus, tamarisci, añ. ma. j. In qua fiat decoctio sufficiens, quo decocto excoriatae partes lauentur, & vt dixi, lineo pāno absterſæ, sequenti puluere inspergatur, habet aut puluis sic.

℞. Thuris, mastichis, rosarū rubearū, sarcocollæ, añ. partes æquales, fiat puluis subtilis. At vbi vnguēt vti necessum fuit, albo cāphorato, aliquando verò plumbeo vti sumus. Porrò Guliermus Placentinus, vir me hercle sua ætate doctus, capite de Afahari, cōtra has rubras infectiones hoc vtitur experimēto, sulphur cum aqua rosacea misce, & eo prædictas illine infectiones, nos verò prædictis tantum vti sumus, & pueri sani & potentes sunt facti.

SCHOLIA.

Morbilli & variola, communi voce apud Galenum exanthemata appellantur, vt
ex lib

AMATI LV SITANI

ex libro quinto Methodi medendi elici potest. Hippocrates verò libro tertio De morbis populariter vagantibus, textu quinquagesimo primo, ea ἐκθύματα vocat, quæ interpretes Plinium sequentes, papulas, vel pituitæ eruptiones, rectè sanè verterunt: ita enim Galenus, locum citatum enarrans tradit. Apertum est, ab ἐκθύειν, quod est erumpere, derivatum esse ἐκθύματα, id est papulis, nomen in his quæ sponte extuberant in cute: hæc constant superfluis scilicet humoribus, atque qualitatem etiam non iniuria subsequuntur, quòd tenues humores exulceratione potius quàm tumores creent, at crassi in tumorem pellem attollant, liquet autem & cetera. hæc Galenus. Per quæ non solum prædictarum pustularum comprehenditur nomen, sed aliud maius elicitur, scilicet, quòd variolæ à crassiori (ut iam diximus) fiant materia, morbilli verò à subtiliori, qui morbilli inibi quoque ab Hippocrate ἐγερτες vocitantur. Nam Hippocrates, quum morbos in ea pesti lenti constitutione evenientes percurrat, subdit, serpentina vlcera multis magna, vel ἐγερτες multis magni, dicuntur autem magni, ut ibi Galenus notat, aut quòd multum occupent loci, aut quòd adiunctam malam habeant exulcerationem: quorum utrunque vitio humorum oritur, & à medicis sepè notatur. In puero tamen hoc, de quo curatio nostra agit, morbilli exedebant, & multum eius corpusculi occupabant, unde

iure herpes, hoc est serpentes, siue exedentes, appellari merentur. Ceterum, non licet ab hoc loco discedere, priusquam omnes hucusque practicas scribentes taxem, in lentium præcipue, & earum decocti exhibitione: & primo, quantum lentes noxiæ sint, & melancholicæ, ac insomniorum & phantasmatum generatrices, hoc in loco à nobis exponendum erat, in ea in commentariis nostris super Dioscoridem editis, abundè enarrata dimiserimus: ad eum igitur librum lectorem, si modo hæc nosse voluerit, diligentiusq; excutere, delegamus. Solent igitur omnes ferè practicarum authorum, duplici intentione lentes, vel earum decoctum variolis affectis porrigere: altera, quando variolas, vel earum materiam ab internis partibus ad exteriores extrudere sollicitantur, quod opus, quando variolæ erumpere incipiunt, confici debet: & tunc nonnulli lentium excorticatarum primum vel secundum decoctum agrotis bibendum tradunt, non sine ingenti tamen errore, quoniam lentium excorticatarum quodcunque sit, decoctum, maximè constringit, ut omnes fatentur medici: malè igitur & contra rationem id propinant, ea præcipue intentione, ut materiam ab interioribus ad exteriora pellat, quum id officium sit medicamentorum non adstringentium, sed aperientium, & materiam dissoluentium, ac ad cutem eam pellentium, ut per exteriora adplicita in sudoris euocatione, in morbo Gallico sæpè

AMATI LVSITANI

ſepè percipitur, quorum aliqua fortia & prepo-
tentia ſunt, vt ex vnguentum adornantibus, quo
ſudor in morbo Gallico euocatur, percipimus: qui
bus addamus decoctum ligni Guayaci, decoctũ
radicis cynararum, decoctum rubi viticoſi, deco-
ctum pyrethri, caricarũ ſmirnũ, anchuſe, aqua
hordei ſaccharata, decoctum ſeminis fœniculi,
apũ, & ſimilium ſudorem euocantium, quorum
nullum conſtringens eſt, vt iure dicendum ſit,
decoctum lentium excorticatarũ tantum abeſſe
vt ſudorem proliciat, vt id potius in totum com-
peſcat, ac conſtringat: caueant igitur medicam
artem exercentes, ne deinceps pro variolis aut
morbillis accelerandis, excorticatarum lentium
decocto vtantur. Alij verò pro hac complenda
operatione, hoc eſt, pro euocandis variolis & mor-
billis ad cutem non excorticatarum lentium deco-
cto vtuntur, ſed ipſarum potius integrarum, ac
leuiter coctarum primo decocto, quorũ conatus
refragari facile quiſque poſſet, & eò magis, ſi cũ
Marcello Vergilio apud Dioſcoridẽ legerimus,
lens aluum cum ſuo cortice in cibo ſumpta com-
peſcit. At quum Hippocratem, hoc non excorti-
catarum lentium leui decocto, pro vomitu prori-
tando vti ſepè notemus, quod & aluum cie-
re Galenus teſtatur, non omnino extra ra-
tionem erit, eo pro hac complenda operatione
vti, quanquam aliis remediis eius vice ope-
rari conſulius eſſet, quorum nonnulla à no-
bis cur

bis curatione decimaquinta scripta sunt, præ-
 ter quæ, alia ex radicibus communioribus & se-
 minibus utpote apij, fœniculi, cari, petroselini
 vulgaris, smirni, caricis & similibus cõfici pos-
 sunt, saccharum tamen decocto semper miscendo,
 & croci pauxillum. Altera intentione prædicti
 practicas scribentes, & omnes ferè hodie artem
 medicam exercètes, lentibus vtuntur excortica-
 tis, aut earum decocto secundo, vel tertio, pro va-
 riolarum & morbillorum condensanda ac con-
 stipanda in initio materia, & si diis placet, len-
 tibus ipsis prius exassatis, aut combustis. Sed quo-
 nam errore, norunt ij, qui curandi verã & ger-
 manam methodum, & viam habeant, & eò ma-
 gis, si lentium exactam teneant naturam, mutuo
 enim nexu simplicium natura cum methodo cu-
 ratoria cõnectitur, sed quòd ij multis & varijs
 modis in hac lentium, & earũ cocti propinatione
 errent, indicemus: & primò si verum est, quod
 Avicenna inquit, & post cū ceteri medici testa-
 ti sunt, quòd variolarum & morbillorum ad cu-
 tem eruptio, quedam à natura non solùm consti-
 tuta, sed destinata crisis sit: consequens erit cum
 Hippocrate & Galeno asseuerare, quòd quando
 natura eam conficere tentat, tunc medicus mate-
 riam fluere dispositam condensare, aut à via sua
 cohibere non debet, sed magis ipsam disponere, vt
 per eam viam incedat, per quam natura cona-
 tur expellere, iuxta illud Hipp. Quò natura ma-

AMATI LVSITANI

ximè vergit, per loca conferentia, eò ducere. nec
 enim obstat, quòd tergiuersator instare contra
 nòs poterit, dicèdo materiam esse multam, à qua
 meatus obstrui possunt, ad quam obstructionē
 exitus materiæ non dabitur, sed ipsa potius in-
 tercipietur, quo factum est, vt lētes excorticatas,
 aut earum secundum, vel tertium iusculum con-
 cedere iustum sit, quum nos pro hac humorū de-
 ponenda quantitate, euacuationes proponimus,
 tum medicamētis purgatorijs, vt manna, cassia
 fistulari, syrupo rosato solutiuo, syrupo violato so-
 lutiuo, tamarindis, rhabarbaro, agarici infuso,
 decocto senæ, et similibus: tum etiā per sanguinis
 missionē, siue per venæ sectionē, siue per tibiariū
 scarificationē, siue p cucurbitulas secta primò cu-
 te, siue p hirudinū venis hæmorrhoidalibus ad-
 motionē: post quas euacuationes, quasi onere de-
 posito, natura potentior supra residuum fit mate-
 rierū, quas suo modo regulat & disponit. Si tamē
 materia subtilis fuerit, ad cuius exitum timetur
 alicuius mēbris lesio, vt sæpè euenit, aut vlceris ali-
 cuius serpentis, & maligni euentus, pro qua in-
 crassanda lentes sic excorticate convenire viden-
 tur. Nos materiam sic subtilem refrigerantibus
 syrupis & eduljjs crassiorem reddemus, quibus
 simul membrorum malam intemperiem emen-
 dabimus, vt in hoc puero, de quo agimus factum
 à nobis esse animaduertistis, quod opus nunquā
 lenibus conficiemus, quum præter quàm quòd
sanguin

sanguinem spissent, malam quādam illi addunt
 intemperiem, quæ atram bilem sapit: quia quū
 melancholica ipsæ sint, intemperiem à menstruo
 fermentum trahenti materie superaddunt, vnde
 membra magis afficiuntur, & humor malignior
 euadit. Crassiorem igitur reddemus humorem, et
 membrorum malam intemperiem corrigemus
 syrupis, præcipuè de acetositate citri, de succo li-
 monis acetoso, de succo acetosæ, rosato simplici,
 violaceo, de endiuiā, de cicorea simplici, iuiubi-
 no, iulepis refrigerādi vim habentibus, et alijs va-
 riis, vt ptisana, panatella adiecto amylo, aut ius-
 culis pulli gallinacei adiecta lactuca, scariola, ci-
 corea, portulaca, endiuiā, cucurbita, iuiubis, pru-
 nis, mixariis, acrib⁹ cerasis, hordeo, orizā, & si-
 milibus, non verò lentibus, hucusq; à practicis in
 vsum habitis: neq; enim Auicennæ fides vlla in
 hac re habenda est, si modo excorticatis lentibus
 pro hac cōficienda operatione vtatur, quia Ara-
 bes & Iudei Orientales, lentes in victus vsu fre-
 quentissimè habent, quia fortè regionem incolūt
 calidam. Nam Auicenna apud Bocoram oppi-
 dum, nimium Oromusio Persiæ insulæ propin-
 quum, omnia sua opera literis mādauit, mediat
 autem Bocora inter Halepum, inclytam ciuitatē,
 & Oromusium insulam dictam, in qua Lusita-
 ni nostri merces frequentissimè exercent. Norūt
 hæc qui ex Tripoli Syriæ, vel Damasco nobili et
 antiquissima ciuitate in Indiam veniunt, quæ

AMATI LVSITANI

terre omnes plus iusto calide sunt, & earū incolae lentibus in victu frequentissimè vtuntur, veluti olim Alexandrei solebant, vt testatur Galenus, quum de elephantiasi loquitur, libro artis curatiuae ad Glauconem. Non est igitur quòd medici Europaei lentibus pro variolarum & morbillorum curatione vtantur, quando ipsae melancholicae sint, seuos morbos inducentes, vt libro à nobis conscripto, superius citato vberius exposuimus.

De puero ob uariolas oculos clausos
per triduum habente,

CVRATIO XIX.



Eliolus Caretini Florētini quū variolis torqueretur, & oculos clausos haberet, ita vt eos aperire non esset possibile, ad eum fui accersitus, cui malo, vtpote oculorum, occurrens, hoc fomentum parare feci, quo saepè oculi perfusi, aperti sunt, & ex tenebris in lucem puer ipse reuocatus: habet autem fomentum sic, ℞. fœnugræci, seminis lini, seminis cydoniorum, añ. partem vnā, maluarū partes duas. In aqua fiat decoctio sufficiens, ex qua oculi lauentur. Sequenti verò die oculi ad aperti sunt, in quibus nonnihil nebulae conspeximus, quæ saccharo albissimo, & in pollinē redacta,

cto, ter & quater in die immisso, ex toto ablata fuit, & oculi intra paucos dies immunes & liberi ac absterfi facti sunt. Aliquando tamen pro hac complenda operatione lacerti stercore vfi sumus, vel eius loco mucerda, veluti aliis potentioribus medicinis.

De uerme uentriculum lancinante, & in lipothymiam ægrum trahente,

CV RAT IO XX.

ERguas iunior, nat⁹ annos quinque supra viginti, natura biliosus, vigente canicula de capitis dolore & membrorum lassitudine, cum quadam febricula cōqueri cœpit, qui sic conquestus per octo incessit dies, quousq; tandem in lecto decubuit, ad quem accedens medicus quidam illico illi pharmacum purgatorium quoddam leue concessit, quo multa biliosa eiecit, à purgatione verò sequenti die circa os ventriculi dolores pungentes interpellatim persentiebat, à quibus grauiter torquebatur & angustiabatur, adeò vt in lipothymiam plerunq; incideret, cum quibus omnibus & egerendi & euomendi simul cupiditatem ferè continuam habebat, sed parum egerebat, & ructus per superiora tantum emittebat. Contra quas affectio-

AMATI LVSITANI

nes medicus assistens, venam in brachij
 curuatura tundere fecit, & sanguinem ad
 uncias quinque fluere, postquam sangui-
 nis missionem æger grauius tulit, & sym-
 ptomata omnia grauiora sunt facta. Ad
 quem tandem vocatus ipse, considerans
 hunc de ventriculo conqueri, & in synco-
 piam plerumque incidere, ac subuersiones,
 & egerendi cupiditatem pati, iudico huic
 aliquod noxium in eius ventriculo præci-
 pue infixum esse, quod natura quum expel-
 lere conabatur irritata expultrice, nec va-
 leret sibi noxium propulsare, motio illos
 concitabat. Suadet autem Galenus, quod
 quando ventriculi tunicis quid infixum
 est, tunc inanis fit euacuatio, & ructus tan-
 tum sequuntur, vt apud ipsum libro De lo-
 cis affectis, quis legere poterit, vbi præci-
 pue de ventriculi affectionibus loquitur.
 Hæc igitur quum perpenderem, nihil tunc
 accommodatius remedium parari posse
 excogito, quam vomitorium aliquod re-
 medium, & eo magis, quia plures aderant
 homines, de nobis aliquod magnum expe-
 ctantes: præsens igitur quum adesset phar-
 macopola, illi iubeo sequens paret vom-
 itorium. R. seminis anethi, ceparum, rapæ,
 añ. unciam mediā. In libris duabus aquæ
 fiat decoctio sufficiens, facta decoctione
 & col

& colatura, adde oxymelitis simplicis, vncias duas, agarici in pollinē redacti, scriptulum vnum. Misce, ex quo tepido librā integrā & amplius bibat, quā verò primò ebibit, nihil euomuit, cæterum quā potū repeteret, ita in vomitum copiosissimū deuenit, vt cum eo lumbricum iustæ magnitudinis, album, crassum, præuiū eiecerit, à quo postea non sine artis medicæ honore bene habuit, nec amplius in stomachi rōiones & lancinationes, quibus in lithymiam & syncopim sæpè incidebat, deuenit: duobus porrò sequētibus diebus ieiuno stomacho syrupum hunc ebibit.

℞. Syrupi de succo acetosæ, de succo ribes, de absinthio, añ. vnciā mediam, aquarum absinthij, graminis, añ. vnciam vnam & mediam. Misce, & bis vel ter iteretur, iis enim ita valuit, vt nec rhabarbaro, nec agarico, nec hiera picra, aut theriaca, aut iis potētioribus medicamētis opus haberet. Porrò cibus huic oblatus, primò panatella semine coriādri apparata fuit, postea verò pullus cucurbita & agresta conditus, coriandri semine & pauculo croco simul pistis respersus, potus verò, primò aqua ex decoctione seminis coriandri erat, post vermis verò eiectionem vinum.

AMATI LVSITANI

De puero variolas uirentes & magnas patiente,

CVRATIO XXI.



Ver obefulus liuidis & magnis
scatebat variolis, quæ quum ad
exsiccationem difficulter veni-
rent, eas acicula argenti perfo-
rare iussi, & saniem inde extrahere, quas
postea ablui ex aqua decoctionis rerû sty-
pticantium & exsiccantium fecimus, & bre-
ui optimè habuit. Cæterum ex myricæ
coma suffumigium paratū mirificè præ-
dictas sanat variolas, vt autor est Auicen-
na. Vnguentum quoque ex cerusa confe-
ctum, non minus idem opus conficit, vt
varia alia, quæ silentio prætermitto.

SCOLIA.

*S*olebat Galenus papulas has, & iis similes
pustulas acuta acu perforare, & ab eis con-
tentum humorem exprimendo deponere: & id
non tantum semel sed bis, & pluries, quum opus
erat, iterando, vt commentario tertio in librum
Hippocratis De fracturis, enarratione quadra-
gesima quarta, meminit. Sed nunc pro compen-
dio, ea quæ à nobis sunt dicta, & ad variolarum
& morbillorum curationem faciunt, referre non
grauabor. In primis igitur scire decet, quòd va-
riolar

violarum initio, ante earum eruptionem, quando symptomata infestant, & signa instant, tunc medicus ebullientem humorem omni ingenio euacuare debet. Si tamen euacuatio non sufficit, sed symptomata omnino egrum infestant, tunc humoris efferuescentiam medicamentis & cibariis citatis obtundere conabitur. Sed id opus lentibus nunquam conficiet. Ceterum quum primū variolae erumpere incipiunt, & extrā emitti, protinus medicus ut ex toto exeant sollicitus esse debet, potissimum medicamentis à nobis citatis, nō verò lentium excorticatarum decocto per se, vel aliis aperientibus mixto. At si variolae diu absq; exsiccatione perseverent aliqua, tūc acicula, vel acu subtiliter perforari debent, ut in hoc puero factitatum animadvertitis. Porro si variolae plures ita fuerint, ut crustam genuerint, quod saepe evenire cernimus, eam emolliente decocto deponere tentabimus, apparato ex lini semine, fœnugræco, malvis, malvaïsci rad. cibus, caricis pinguibus, adiecto (si placuerit) oleo violaceo, vel amygdalarum dulcium, qua crusta deposita, si opus fuerit exsiccatione, pulveribus exiccantibus à nobis citatis, vel decocto exiccandi vim habente, complebimus, aut pulvere orizæ, vel radicis cannae: si verò stigmata adfuerint, tunc advnguentum geminis dictum concurrendum est, & alia eo potentiora, quæ tractatu de decoratione à practicis inscripto, reperiuntur. Ceterum vario-

AMATI LVSITANI

las & morbillos patientibus melle & piscibus salitis interdici debere, cōtra idiotas testatur Zoar libro Theisir.

De apoplexia ob ictum bombardæ exauditum superueniente,

CVRATIO XXII.



Nfans Benepesantis ab ictu bō
bardæ exaudito, totus contremuit, & turbatus fuit, sequenti nocte lac non suxit, fiebat, & irrequietus permanfit: sequenti die à prædio apoplexia correptus fuit. Nam vniuersum eius corpusculum tremebat, labia torquebantur, & oculi ita eleuabantur, vt foras exire viderentur. Cæterum pulsus huic frequens, celer ac languidus erat, præcipuè dextri lateris. Nam vniuersum finistrum latus illico paralyfi correptū fuit, & arteriæ suis motibus destitutæ. Porro à præfagio factō, q̃ puer hic intra paucashoras moriturus esset, post rutā ad eius nares admotā, & oleum vulpinū nuchæ applicitum, & sanguinem per tibiārū scarificationem extractū, & cauteriū prope nuchā applicitū, tertia hora noctis obiit.

SCHOLIA.

Non est mirari, si ab ictu bombardæ morbus dictus, ex quo mors subsequuta fuit, ortum

tum traxerit, quum perterrita natura spiritus animales ad cerebrum tanquam ad arcem defendendam retraxit, cum quibus sanguinem plurimum secum quoque duxit, ad quem meatuum coarctatio secuta est, & consequenter apoplexia, & paralysis, morbi perniciosi sunt orti: consequenter est hic adducere ea quæ à Galeno libro *De theriaca ad Pisonem* traduntur, Mulier vtero gerens, solo tonitruo exaudito, & horribili quodam spectaculo viso, infantem abortiuit.

De febre sanguinea, cum pulicari morbo eueniente,

CVRATIO XXIII.

Mater Cidicarij, tēperatura sanguinea, & annos nata circiter quinquaginta, febris synocha, affligi cœpit. Nam genæ, oculi, & vniuersa eius facies rubore quodam afficiebantur, quin & in eis venæ tuebant, & rubricabant, continuò febriebat, pulsu quippe crasso, pleno, & veloce, quibus parum vel nihil aquæ appetebat, sed difficulter respirabat, quam quum sic affligi contemplerer, eius internam brachij venam secare iussi, sanguinisq; librā vnā extrahere. Cæterum quū vulnerarius nullam venarum tundere potuerit, eam sic imphlebotomata dereliquit. Sequenti

A M A T I L V S I T A N I

verò die pulicaris morbus per vniuersam eius cutem efflorescere cœpit, exanthematis quidem rubris, liuētibúsq; nonnullis, quibus animaduersis, illico diligentiori accersito chirurgo, mediã dextri brachij venam secare iussi, sanguinisq; librã integrã effluere, à quo detracto melius habere cœpit, tertio verò die rigore mulier hæc oppressa fuit, quem febris secuta est, ad sequentem diem ordine quartum semper affligens, in quo sudor copiosè eius vniuersum irrigans corpus superuenit, post quem libera & sana euasit. Instabat autem æstas.

S C H O L I A.

IN hoc morbo, pulicare symptoma superueniens, considerandum uenit, quòd quum letale signum sit, morbi malignitatem & seuitiam pro tendens, morborum tamẽ initio plus periculi minatur. Sanguine tamen extracto, à cuius flore & subtiliori parte exanthemata hæc oriuntur, Natura validior facta, materie peccantis residuum per sudorem expulit, vnde egrotans sana euasit: nec enim ueritus sum symptomate hoc apparente venam secare, & sanguinem demere, quum ingens ingruerat plectora. Ceterùm tractandi sunt huiusmodi febribus laborantes, sicut malignis & pestilentibus affecti.

De hom

*De homine pituitosa febre laborante, & quindecim uermes per os emit-
tente,*

CV RATIO XXIIII.

LVcas è Castello Bononiensi, vir obesus, & natura pituitosus, quum febris pituitosa vigente canicula corripereetur, quindecim vermes intra nouem dies per os non nisi viuos emisit. Qui bono victus ordine gubernatus, ac oxymelite in potu syrupi vice, sæpè ebibito, hoc pharmaco liber euasit, ita enim pharmacum habet. ℞. diaphiniconis, drachmas tres, hierę picrę Galeni drachmam vnam & mediam, electuarij de psilio, drachmas duas, agarici drachmam vnam, cinnamomi scriptulum vnũ, in decoctione graminis & pituitam respicietium, fiat potus: detur in aurora, & desuper per horam dormiat, hoc enim pharmaco & multa excreuit pituitosa, & san^o illico euasit, sequētibus tamen nonnullis diebus oxymel quoque sæpè in potu accipiebat, & in cibo ex coriandro preparata.

De febre synocha in biliosam postea degenerante,

AMATI LVSITANI

CVRATIO XXV.



Oānes Politianus, vir nobilis,
& præfectus arcis Anconitanæ,
Rebeliniæ dictæ, annos natus
circa triginta quinque, robustus
& fortis, quum ex bello inter Carolum
Imperatorem, & Iulium tertium pontifi-
cem maximum, contra regem Galliarum
ob Parmam ciuitatem contracto, Anco-
nam vigente canicula, iussu excellentissi-
mi Domini Vincētij de Nobilibus reuer-
teretur, in morbum incidit. Is enim fla-
grante bello, septingenta vel octingenta
milliaria equis dispositis confecerat, vnde
ob bellicos labores & iter tantum confe-
ctum, in febrim lapsus est, & illam quidē
sanguineam: est namque hic natura muscu-
losus, fortis, rufus, temperatura sangui-
neus. vnde mirari non est si in sanguineā
inciderit febrem, & eam quidem cæteris
minus periculosam, iuxta Hippocratis
aphorismum. In morbis minus periclitan-
tur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui,
aut tēpori magis congruit morbus, quàm
quibus secundum nihil istorum congruit.
Cæterum hic cōtinuò febriebat, caput do-
lebat, & in scapulis, & cruribus pōdus sen-
tiebat, bilem primo die vomuit, secundo
bolū ex cassia fistulari comedit, quo opti-
mè

mè egeſſit, & nonnihil quoque vomuit, tertio verò die ſanguis ex baſilica brachij dextri ad libræ vnius pondus extractus fuit, & ille quidem corruptus, ac infectus admodum. Poſt quam ſanguinis miſſionem illicò ſudauit, & melius habuit, quinto verò die frixit paululū, ſed poſt frigus febris grauis admodum cū ſtomachi dolore quodam ſubſecuta eſt, qui ventriculi dolor nō ob bilioſi alicuius humoris influxum, ſed potius ob pituitoſum & flatulentum in eo contentum ortum trahebat vt ex eius portiūcula per vomitum emiſſa venati ſumus. Cæterū ex ſanguinea febre hæc in bilioſam degenerauit, vnde duplex continua facta eſt tertiana: ſeptimo verò die ab arce in palatium ductus breui ſanus fuit factus, primò tamen inciſuris eius vniuerſa labia vlcerata fuere, interpoſitis porrò nonnullis diebus hic intentam febrim cum capitis & barbæ pilorum decidentia incidit. Vigebat autē Gallicanæ ſcabiei humor, pro quibus affectionibus deponēdis ad Guayacū lignum confugimus, & ex toto ſanus euasit.

De muliere utero gerente, & continuè febricitante.

CV RAT IO XXVI.

AMATI LVSITANI



Vuenis vtero gerens annos nata septemdecim, temperatura sanguinea & bonę habitudinis, vigente canicula febris cōtinua corripiebatur, caput dolebat, & circa costas & lumbos pondus sentiebat, quin & in cruribus dolorem patiebatur, & tussi quadam sicca premebatur, quā quum sic vexari viderem, illico dextri brachij communem venam scindere feci, sanguinisq; vncias quatuor fluere, à qua sanguinis missione hæc in sudorem copiosissimum deuenit, & melius habuit. Porro syrupi vice hordeaceam cum paucis violaceis iulepo ieiuno stomacho veluti postea, ad libitum suum capiebat. At cibus huic oblatus panatella primis diebus erat, post sanguinis verò extractionē pulli gallinacei carnes cucurbita & agresta conditæ, sed potus hordeacea iulepo mixta erat, quāquā gelidam magis appetebat, quam illi quoque lubentissimè elargiebamur: itē vt interdum reficeretur, cucurbitam & lactucā saccharo conditam illi offerebamus, veluti pira saccharo incrustata: quarto verò die eius extremæ partes aliquantulum frixerunt, sed postea febris prædictis symptomatibus similibus creuit, lotium subnigrum erat, pulsus crassus, plenus, sanguinis

guinis exuberantiam attestantis. quinto die lotium melius apparuit, sed vnum est quod medicos torquet in prægnantium vrina, quòd quum in ea pendens, aut subsistens nebula apparet, iudicium quod ab hypostasi redecidente ab humore peccante fallax plerumq; est, & eò magis, si priorum mensium mulieres prægnantes sint, quum in ipsis bene quoq; valentibus vrina pendente nebula semper cernitur. Cæterum quum primam sanguinis missionem iuuenis hæc anxie ferret, & de illiù dolore quereretur, ne in abortu laberetur secundam sanguinis missionem differebamus, at quum morbus eam omnino postularet, ad eam exercendam condescendimus, quam optimè sanè tulit, & melius se habere dixit. Sana porro facta sexto imprægnationis mense ex se abortiuit: an verò ob cōtractam à morbo debilitatem, & sanguinem bis extractum dubito: certo tamen scimus, Cornelium Celsum diuinè prorsus in hac re locutum esse, quū libro suæ medicinæ scriptum dimiserit, quòd quum prægnans ægrotat, non tam eius virium robur pro morbo præsentē deponendo à medico attendendum est, quantum ad futuram eius parturitio-
nem.

AMATI LVSITANI
De febre sanguinea, quarto die ter-
minata,

CVRATIO XXVII.



Igēte Canicula vxor aurificis,
natura gracilis & exilis, annos
nata octo supra viginti, & quæ
puellā lactabat, sanguinea fe-
bri correpta fuit, quæ facta illi venæ se-
ctione in brachij curuatura, & sanguinis
vnciiis quinque extractis melius sensit, eo
tamen tempore quo sanguis fluebat, in
lipothymiam incidit, qua de causa laxato
ligamine, & digito vulneri admoto, &
sanguine retento, ac naribus aceto rosa-
ceo applicito, pauculâque gelida degluti-
ta, ad se rediuit, & sanguinem postea in
totum iuxta prædictam quantitatem flue-
re dimissimus, ab extracto verò sanguine
syrupum hunc ebibit. ℞. Sy. rosati sim-
plicis, vnciam vnâ, violacei, vnciam me-
diam, aquarum violarum, endiuia, añ. vn-
cias duas. misce, fiat syrupus. Ebibitis ve-
rò quatuor syrupis, & optimo victus ordi-
ne constituto, quarto die in sudorem co-
piosissimū lapsa est, & à febre libera eua-
sit, neque purgante pharmaco opus ha-
buit: grassabantur autem ea æstate mi-
tissimæ hæ febres. Cæterum elapsis octo
diebus

diebus hæc in morbum recidit, & acuta febris corripiebatur, contra quam vniuersi conatus nostri eò dirigebantur, vt in fixã febrem, hecticam Græci dicunt, non deueniret, & hac de causa ad balneum, præcedente leui per pharmacum euacuatione confugimus, quod habet, *R.* Maluæ, violariæ, rosarum, fœnugraci, foliorum lactuæ, añ. mani. j. In libris viginti aquæ fiat decoctio sufficiens, cui postea percolato adde olei violacei libram vnã, misce, & eo lauetur, quòd si balneo delectetur, vesperi quoque in eo vt natet cõcedatur. Porro à balneo hoc inungatur linimento, quod ex lacte muliebri cum agrestæ succo simul mixtis constat: vel hoc vnguento. *R.* butyri recentis vncias tres, olei violacei vncias duas, succi agrestæ vncias tres, camphoræ scriptulum vnum: misce, fiat linimentum: plura verò alia à nobis in hac curatione peracta silentio prætermittimus, quibus & citatis, sanitatem obtinuit.

SCHOLIA.

*S*ynochus febris, etsi corpora robusta, sanguinea, & florida plerunq; amet, & infestet, vt docet Galenus libris Methodi medendi, & alibi. gracilia tamen plethora affecta inuadere quoque solet, vt in hac percipitur muliere.

AMATI LVSITANI

De Angina,

CVRATIO XXVIII.



Vcas Bonæuenturæ, Camorantensis, vir triginta annos natus, fortis & robustus, vigente canicula angina perdifficili oppressus fuit, quæ tracheiam arteriam magis quàm gulam occupabat, vt ex iis deprehendebamus signis: stertebat, & difficulter respirabat, cum quibus liquida illi oblata optimè deglutiebat, tumor in collo sub mēto, vbi asperæ arteriæ caput multis sæpè apparere solet, aliquātulum prominebat. Continuò febricitabat, & vires illi succumbebāt, opprimebāntve. Sed & eius lotium crassum iumentorum modo erat, quibus omnibus animaduersis, quū morbus hic acutissimus sit & periculosissimus, mortem suffocatione trahendo, omni diligentia cōtra eum inuadere opus erat: tradere enim in iis morti habenas, est dare. Protinus igitur alui excrementis per acrem iniectum clysterem depositis, cephalicam dextri brachij venā incidere iussi, & ex ea sanguinis vncias octo fluere, non minus quoque gargarismum quo gargarizaret descripsi: & ita habet,

℞. syr

℞. syrupi de ribes, rob mororum, añ. vnciam vnā, aquarum plantaginis, stipitum rosarum. añ. vncias octo, Misce, fiat gargarismus, quo sæpè gargarizet. At foris vbi tumor in collo apparebat, locus oleo chamomellino superaddita succida lana fatus fuit: vesperi verò ex sinistra saphena sanguinis quoque media libra fuit extracta, sequenti verò die cucurbitulæ ad primam vertebam & scapulas sunt applicitæ, veluti frictiones & retractiones, quæ quoque manuum & pedum extremitates in aqua calida mittendo, fieri solent. Cæterum quum febris maximè vigeret, ab hac diuersione nos distraximus. Olei tamen vice, quod foris admouebatur, emplastrum hoc apponi iussimus, quod habet,

℞. radicū althææ, foliorum maluarum, añ. manip. j. radicū lilij albi, nu. ij. ficuum pinguiū, nu. x. in aqua fiat decoctio donec mollescant: dein in mortario optimè pistentur, & per setatium transmittantur, quibus postea adde farinæ hordei, seminis lini, fœnugræci, añ. pugill. j. cineris hirundinum, vncias duas, stercoris canini, præcipuè aridi & albi, vncias totidem, farinæ chamomillæ, pugill. vnum & medium, decocto prædicto omnia excipiantur, & fiat emplastrum, cui adde olei

AMATI LVSITANI

chamomillini, rosacei, añ. vnciã vnã & mediam. Misce, & ad ignem parum tractetur, & collo affecto applicetur. Porro huius emplastri vice, sterqus caninum aridum pistum, & melle exceptum, & dolenti loco admotum præstantissimum est remedium: item cinis hirundinum crematarum efficax quoque remedium est, si modò cum melle quoque admoueat. Tertio verò die quum morbus eo dicto modo perseveraret, ad venas, quæ sub lingua sunt, incidendas deuenimus, ex quibus sanguis copiosè admodum extractus fuit, à qua sanguinis missione tunc inflammatio minui cœpit, & hoc altero gargarismo vteretur suavisimus, qui habet,

℞. Oxymelitis simp. vncias duas, aquarũ hyssopi, farfaræ, añ. vncias octo, Misce, & sæpè vtatur, nã & oxymelite cum hordeacea sæpè in potu utebatur, quo multa viscida emittebat sputa, adeò vt intra septem dies basilicè habuerit. Huic victus primis diebus iulep violaceum cum hordeacea erat: postea verò ex capone aqua per cāpanam destillatitia. Cæterum quū bene valere cœpisset, ex vtriusque brachij dolore cōqueri cœpit, adeò vt postea ambo ad inflammationem peruenerint, & consequenter ad suppurationem. Sed
phleb

phlebotomo adaperata, & sanie vt decet extracta, & turundis immisis, intra paucos dies sanitati vtrunque brachium restitutum fuit.

S C H O L I A.

Non enim ob neruum, aut arteriam punctam, cephalicæ venæ subiacentem, apostemata hæc ortum traxisse dicendum est: quum cephalica vena vtrisque, hoc est, nervo & arteria careat, & ideo cæteris duabus venis, quæ in brachij curuatura præcidi solent, securius tunditur, vt suadet sæpè Galenus, & Auicenna, ac cæteri scribentes medici firmant, quibus omnibus fauet corporis dissectio, quæ ita esse testificatur. Ob humoris igitur copiosioris & maligni concursum ad brachia, eo tempore quo venæ tundeantur, apostemata hæc originem traxisse, cōsultius asserere videtur, vt Lubelo quoq; euenisse obseruauimus, de quo plura dicturi sumus.

De angina, quæ sola cerea candela tractata, disrupta fuit, & eam patiens breui sanitatem obtinuit,

CV RATIO XXIX.



Ræcus qui angina afflictabatur, & ad portum habitabat, post multa illi adhibita remedia ad eum perueni, quem quum sic laborantem conspicerem, & ceream

AMATI LVSITANI

candelam illi per os tentandi gratia immitterem, repente pus per eius os effluere coepit, & ipse à tam saeuo morbo liberari: deploratum autem medici ipsum reliquerant, & vt strangulatum, deiectum habebant.

SCHOLIA.

Bona fortuna inflammatio disrupta est per ceream candelam immisam, & ipse tandem ab orci faucibus liber. Ceterum quum hac sic successerant, in mentem venit Zoar libro primo sui Theſis, capite tertiodecimo & quartodecimo, in quibus de angina & trachea arteriae inflammationibus agit, quas ibidem ferro incidere docet, vt in capra primo fecisse memorat. Sed diligentius opus hoc ex Antyllo docet Paulus Aegineta, libro sexto suae medicinae, capite trigesimo tertio. Hunc porro egrotantem nostrum à somno arcebamus, vt in omnibus internis inflammationibus suadetur, non minus quoque post inflammationem disruptam & apertam aqua mellis saepe gargarizaret suavisimus: veluti elapsis nonnullis diebus gargarismo constringente, & vlcus consolidante: Zoar vero pro hac complenda operatione, nucum cupressi subtilissimo puluere resperso utebatur, vt citato tradit loco.

De colico dolore infestissimo cholera morbo complicato,

CVR

CVRATIO XXX.



Xor Xabibij, iuuenis potens, facie alba, oculis paruis, annos nata septem supra decem, puellam lactabat, quæ vigente canicula assiduo fructuum horariorum esu in colicam passionem cholerae morbo complicatâ lapsa est. Nam sæuissimo, & pernecante dolore prope vmbilicum cruciatur, cum quo multa infra supraq; biliosa & pituitosa excrementa emittebat, ad quam accersiti nos illico Philonis medicamenti, drachmas duas pauco generoso vino excepti, illi in potu dedimus, quo tamen nonnulla quoque euomit, breui tamen sopore victa quieuit, & ab hoc truculento & pernecante dolore libera euasit, foris porrò locus dolore affectus vngueto populeone, opij vno vel altero grano admixto illitus fuit.

SCHOLIA.

Ad eò dolor iuuenem hanc cruciabat, vt ad se vniuersam euocauerit curatione, qua de re ad somnifera medicamenta, quæ Græci anodyna, vel vt Galenus libris simpl. vocat, improprie anodyna, confugere opus fuerit. Ceterum egrotantis huius vires lababant, non adeò tamen postremè, vt resistere non possent: quippe quando vires vehementer resolutæ & debiles

AMATI LVSITANI

sunt, non modo symptoma sedare, sed etiam vires ipsas edulis, & citò reficientibus cibariis firmare properamus, vt vberrimus, & perennis ille fons Galenus, à quo omnes cataros suos impleat, Medendi methodi libro duodecimo docet. Caterum quum inter cetera anodyna hæc medicamenta, quod Philoni medico Tharsensi inscribitur, primum, (etiam Galeno testante) habebat, eo vsi sumus, quòd verò drachmas duas boni ponderis dederimus, id in causa fuit, quòd antidoti vires languebant, & ob eius vetustatem parum illi fidebamus: decem autem ætatis sue annos superabat, vt enim Philonium, vel quodcunque aliud opiatum medicamentum, ante sex à compositione menses, vel securius, vt Galenus, ante annum, libro 12. Methodi medendi, capite primo tradit, vtendum non est, ita post decennium à compositione sua vires suas amittit, optimi autem, & bene cõpositi, ac potētis Philonij, dosis talis à priscis describitur. pueris datur ciceris quantitas, debilibus fabæ parua, grãdioribus & robustis, auellana, vel, vt Mesue placet, scriptulorum pondere quatuor, regulariter porro quum operamur Philonium, aut quodcunque aliud opiatum, non nisi peractis totius corporis prius idoneis euacuationibus propinandum est, neque id quidem nisi quinque horis ante cibum, stomacho vacuo sumendum. Describitur autem antidotus Philonis hæc, vel antidotum Philonis hoc à Galeno libro

libro nono De comp. medi. sec. locos, cap. quarta, quas Mesue in suo antidotario citat, & vice euphorbii, castorium miscet: capite tamen de sputo sanguinis, idem Mesue aliud describit Philonium, quod Persicum, fortè quod in Perside inuentum appellat, sanguinis eruptionibus, & catarrhis apprimè conueniens. Nicolaus verò in suo antidotario Philonium ab eo descriptum, Romanum appellat: ex Auicenna fortè libro suo quinto, quia Romæ in frequēti vsu erat. Rationi verò redditæ quod duas Philonii drachmas huic dederimus iuueni, addas, quod cum generoso & mero vino dissolutum propinauimus: secundo iuueni robuste & calide: tertio, quod materia peccans calida erat: quarto, vigente maximo aestu: quinto, quia egrotans multum vomebat, quod vnum maximè attendendum erat, quia antidoti maximam partem vomitu remittebat. Cætera verò & lectu digna huic rei faciētia legito apud nos curatione nonagesima quarta, quartæ Centuriæ.

De febre putrida continuo affligente,
deq; magna sanguinis missione,

CVRATIO XXXI.

Rafectus Bergantini nauigij
ab Arbi, Venetorum imperio
subiacente oppido, vir omni-
um quos vidi robustissimus,

AMATI LVSITANI

fortis, pectus perlatum habens, hirsutum: putrida quadam continua corripit cœpit febris, caput & thoracem cum scapulis, & vniuersi corporis ambitu dolebat, impetuosè in lecto mouebatur, nō quiescebat, & dolorosè gemebat: huic pulsus robustus admodum erat, & vrina crassa & rubra, quibus omnibus animaduersis illico chirurgus accersito venam iecorariam dextrā aperire feci, & ex ea sanguinis libras quatuor simul fluere, & nisi enim in lipothymiā incidisset, plus emittere decreueramus. Mulier verò Illyrica assistens huius curam habens, quum sic eum examinatum videret, sua lingua me hominem interfecisse clamabat. Ego verò tum temporis medicorū recordatus, quibus similia euenerant, subrisi, bono esset animo subiungens, quum ea sanguinis copiosi extractione morbum in totum extirpaueramus, & ægrotum à morbo liberaueramus, vt sequenti die ipsa visura erat: curaret tamen illi ptisanæ optimæ cōcinatæ, vna vel altera interposita hora, scutellam in victu dare suasi, demum sequenti die ad eum de more accedens, ipsum sanum, & à febre liberum, ac si nunquā ea laborasset, inueni, hominem sanè gratum & bonū. Nam inter cæteros pisces, quos
mihi

mihi postea attulit, notatu dignus Merula fuit, colore niger, sed figura tincarum. cui Galenus libro tertio De facultate alimentorum, capite vigesimo octauo, inter saxatiles secundas præbet.

SCHOLIA.

OBiecerunt per iocum Galeno nonnulli assistentes, quando iuueni palæstra perito, ad animi defectionem sanguinem mittere febris causa mandauit, quod febrem iugularet, videntes utique post sanguinis copiosissimam extractionem, quod alui fluxus & bilis vomitus, illi superuenerint, & consequenter sudores & madores, vnde postea omnes riserunt, libro nono Methodi medendi, capite quarto. At postea ministri quum egrotum dormientem à sudore abstergerent, & ipsum non expergisci viderent, altum & profundum somnum illum esse, Galenum forte pungentes, quod hominem interfecisset tanta sanguinis extractione, dixerunt: in quem sensum Rasis & ceteri plures medici historiā narrantes deflexerunt, quanquam Galenus hoc non dicat, sed simulando ministris respondeat, abstergite madores, tametsi non sentiat pergite, ita facite, quia homo à febre iam liber est. Ceterum, inquireret doctor etus medicus, quantum sanguinis ab isto iuvene Galenus demere iussit. Cui nos respondemus, quod etsi hoc in loco siluerit, ad animi defectionem euacuationem factam, tantum memorando, libro

AMATI LVSITANE

tamen De curandi ratione per sanguinis missionem, aperte exposuit, quum dicat, capite decimo quarto, memini enim, quibusdam ad sex vsque libr. is sanguinem detractum fuisse, ita. vt febris protinus extinguiretur, nec vlla sequeretur virium afflictio, vt ex iis verbis liquido constet, ex predicto iuvene sex extracta fuere sanguinis libræ, & ille quidem vna vice simul. Solebat autem Galenus iis magnis sanguinis extractionibus, vbi opus erat, vti. Nam in suburbis Romane vrbs, diuitis œconomo, prima protinus detractioe tres sanguinis libras exhausit, quum œnorum malam affectionem pateretur, & postea integram, vt confestim sanus euaserit, et res incantationi similis visa fuerit, nos verò ab hoc nostro egroto quatuor sanguinis libras extraxim⁹, post quam sanguinis missionem, bilem plurimam vomit, & protinus sudauit, & sanus euasit. Ceterum hanc sanguinis copiosam extractionem ad animi deliquium, quam Græci lipothymiam dicunt, Auerrois Cordubensis libro septimo sui collectorum, capite octauo detestatur, & eam Galenum admittentem reprehendit, imò in eum tres adducit rationes, quas vt nullius momenti prætermittimus, quum copiosa hæc euacuatio, vbi conuenit, proficua sit, & ex ea multa oriuntur inuamenta. Primum totius corporis fit refrigeratio, illiusq; transitus in habitudinē contrariam. Secundum alui respondentia, & bilis vomitus.

Tertium

Tertium sudor vniuersum irrigans corpus. At Auerrois ignarus vocum pro lipothymia, syncopim intelligit, iubet autē Galenus copiosam sanguinis deiractionem ad lipothymiam moliri, nō verò ad syncopim, quia lipothymia animi est deliquium cum pulsus persēuerātia, syncopis verò præceps virium lapsus cum destrūctione ferē virtutis motiue & sensitivæ, vt à Galeno desumitur libro duodecimo Methodi medendi, & ab Auicenna Fen vndecima libri terciū, tract. secū, capite sexto. Grauior igitur syncopis est affectio, quā lipothymia, & consequenter vt in syncopim egrum trahere est periculosum, ita in lipothymiam non admodum graue, dexter tamē & exercitatus apprimē sit medicus decet, qui hanc sic copiosam sanguinis missionem moliri iubet, quum multi ob medicorum imperitiā, quibus sanguis multus extractus fuit, mortem obierunt, vt tribus euenisse meminit Galenus, libro De venæ sectione, capite duodecimo. Alij verò si non mortui fuerunt, in graues tamen morbos inciderunt, vt idem libro nono Methodi medendi refert. Sciant tamen qui hæc legerint, si quis modò legerit, Galenum in suis sanguinis missionibus ferē semper ad minus libram vnā sanguinis extrahi iubere, vt ex libro De venæ sectione capite tertiodecimo præcipitur, præcipuē quum de puero loquitur: quanquam inibi aliquando minus ceyla, vel libra, exhaustisse se dicat.

AMATI LVSITANI

De cancro in mamilla,

CVRATIO XXXII.



Onacha diui Bartholomæi, & neptis Balduini Florentini episcopi Anconitani, annos nata triginta, hæc quum multum sudaret, & cordis palpitacione persentiret, quam non tantum faciebat, quantum sudoris per vniuersum corpus superabundantiam, quem difficulter ferebat, medicum ad se conuocauit, quem suppliciter obsecrat, vt remedium contra affectiones predictas machinetur. Nam à tanto sudore viuere se non posse ait. At medicus considerans sudorem hunc triplici de causa euenire posse, vt docet Galenus libro tertio De symptomatum causis, aut ob corporis raritatem, aut excrementorum tenuitatem, aut ipsorum abundantiam, demum ob tertiam sudorem in hac muliere oriri nonnullis mediis auguratus est, quem vt interciperet medicamentum purgatorium, quo excedentes humores deponeret, illi bibendum obtulit, an verò leuius quam decebat, dubito: euacuatione verò qualicunque peracta, medicamenta humores condensantia & adstringentia illi propinauit, & balneo vires obstruendi habente eam lauari

lauari persuadebat: ex toto verò sudore intercepto, elapso vno vel altero mense ecce mulier hæc in papilla dextri vberis pruritum quendam sentire cœpit, cū quo punctiones & lancinationes quasdam velut acu factas, non sine graui gemitu interdum patiebatur: Nam & papilla ipsa crassiuscula apparebat, cū quibus aliquando febricitabat, sed nō propter hæc à functionibus suis destituebatur. Omnia etenim cœnobio pernecessaria, vt ceteræ monachæ, ipsa quoq; exercebat. Ad hanc igitur accedens omnia, vt decet, considero, & paucis morbum grauissimū, ac perniciosissimum esse, ex quo mors certa subsequutura esset, ni Chironis, aut Aesculapij manu curaretur expono. Cōtra morbum igitur atrocem impetentes nos, qui proculdubio cancer est, primo recordati Hippocratis oraculi, libro sexto Aphorismorum, cancos occultos omnes melius est nō curare. Curati enim citò pereunt, non curati verò longius tempus perdurant, quod de operatione manuali, vel topicorum remedium supra eos applicatione intelligi debet: secus autem de humorum melancholicorum & atrabiliosorum, ipsos præcipuè fouētium, multitudine deponenda, vniuersum corpus per medicamenta me-

AMATI LVSITANI

lancholiam respicientia purgauimus, per
 fyrupos & apozemata, eadem primo dis-
 posita, quæ inferius describemus: nec mi-
 nus per sanguinis missionem euacuatio
 quoque facta fuit, quibus omnibus pera-
 ctis ac victus ordine, vt decebat, constitu-
 to ad topica medicamenta condescendi-
 mus, & primo sic, *Rx.* Succu plantaginis,
 folani, semperuiui, añ. vncias duas. pulue-
 ris plumbi vsti & sæpè aqua rosacea la-
 uati, vnciam vnā, thuris, vnciam mediam.
 in mortario plumbeo, cum pistillo quoq;
 plumbeo, sæpè omnia tractentur, & ad so-
 lis radios quousque optimè incorporen-
 tur, exponantur, in quo lini pannus im-
 butus papillæ applicabatur, & sæpè inno-
 uabatur. quo remedio melius habere di-
 xit, & meritò sanè, quia medicamentum
 hoc humoris infringit acutiem, & eius
 hebetat sæuitiem: in quem vsum multa
 alia remedia excogitari possunt, quæ Aui-
 cenna Fen tertia libri quarti, capite octa-
 uo decimo, secundi tractatus, prosecutus
 est, & neoterici id frequentissimè in vsum
 trahunt, vniuersus tamen noster conatus
 eò dirigebatur, vt cancer hic remorare-
 tur, in altumve amplius non cresceret,
 qua de re prædicti medicaminis vice la-
 minam plumbi mamillæ figuræ concinnè
 adap

adaptatam imponeret, neq; alia remedia
 supra locum læsum permitteret, consului.
 Noui autem ipse nonnullas mulieres can-
 cros in mammis habentes: solo bono vitæ
 ordine, absque vlllo medicamentorum to-
 picorum irritamento, per longum viuere
 tempus ita incolumiter, prosperè, & sanè,
 ac si nullum pateretur morbū: ex iis verò
 vna superstes est Venetiis, nobilis vxor
 probi viri Alphonsi à Caualleria, quæ ab-
 hinc triginta & amplius annos cācrum in
 mamilla habet, absque vlla tamen offen-
 sa, cui tamen ipsa nūquam remedia admo-
 ueri concessit, sterilis nanque mulier hæc
 est in primam ingressa senectutem. Cate-
 rùm ægrotans nostra prædictis non con-
 tēta remediis, tametsi rectè valeret, alios
 tamen conuocat medicos: & plures inui-
 tat chirurgos, vt medicamētis & remediis
 morbum omnino depellant: nam ferro
 eum auelli semper recusarat. Ego verò
 elapsis duobus annis quum ad eam reuer-
 terer, (Deus bone) ipsam parui tuber-
 culi loco exulceratum cancrū magnæ mo-
 lis, multis cauernis cuniculosum, aspectu
 tetrum, labra crassissima, ac monticulorū
 instar habentem pati comperio. Sed & ra-
 dices ita complantatas cācer hic habet, vt
 corporis penitiora loca occupare credēdū.

AMATI LVSITANI

fit. Voco autem cancri radices, Galeni more, libro Aphorismorum sexto, enarratione trigesima octaua, venas atro & melancholico sanguine plenas, & quæ vsque ad loca circumstantia distenduntur, quanquã & proprias sibi quoque vendicet radices cancer. Confirmatus igitur cancer hic est, nullam præter blandientem curam permittens: cuius curandi modi Galenus prædicta enarratione meminit, quum dicat, alterum autem curare est, eam adhibere prouidentiam, quæ passioni congruat, hoc est, ipsam mollire, ac mitiorem facere, & tum præcipuè, quum adest exulceratio, tunc enim est necessarium vt si non aliud agamus, saltem saniem abluamus, humido aliquo vtentes, non quocunque, sed vel per experientiam, vel per indicationē inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patiētē sit natura aptū. Hunc porrò quem Galenus curandi modum mitigatorium, vel demulcētem, aut blandientem appellat, rudioris medicinæ autores, paleatiuum vocare solent: & quē nunc chirurgici in hac nostra ægrotante tantum exercent. Cæterum cancrofus tumor hic sui initio, quo meritò scirrhus appellari poterat, ex integro opera manuali eradicari debuerat, vt Auicenna præ cæteris

teris clarius commendat, à nobis citato loco, & Galenus ante eum non filuit libro quartodecimo Methodi medendi, vidimus autem nos carcinomata (interim parua erant, quæ, vt dixi, scirrhi tunc dici merentur) mammis, & aliis insita membris, nouacula dextrè extrahi, à quibus extractis sanguis ex subsistente loco multus fluebat: ac postea candente ferramento, si quæ vndique in loco manebant reliquæ, cancrive semina, optimè exurebantur: & prosperè semper subsequabatur, quod perinde nonnullis exulceratis corporis superficiem occupantibus fieri obseruauimus: imò ex integro mulieri cuidam Venetæ ob cancerum dextra mamilla incisa & extracta fuit, & optimè postea vixit, id quod ante nos quoque plures viderunt medici, & literis mandarūt: quod mirum videri non debet, quum Amazonibus puellis matres dextram mammam auferant, & æreo quodam instrumento in hunc vsum parato, ignéque candefacto eam exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque vt omnis vis ac robur in dextrum humerum, & brachiū deferatur, vt narrat Hippocrates aureo illo libro, De aëre, aquis, & locis. Hæc verò mulier, quia incisionē semper renuit,

AMATI LVSITANI

& varia localia medicamenta admoueri permittit, in obitum post paucos dies, vt antea prædixeramus, deuenit, vt vxori Sebastiani Pinti contigit, de qua prima centuria facta à nobis mentio est.

SCHOLIA.

C Arcinosi tumores in omnibus consueuerunt fieri corporis partibus, sed præcipuè in mamillis mulierum, quando potissimum naturali sua purgatione priuantur: vt testatur Galenus libro *Artis curatiue ad Glauconem secundo*, capite decimo, & libro *quartodecimo Methodi medendi*, quorum originem ac dignoscendi rationem, ante eum diuinus Hippocrates prosequitur, libro *secundo De morbis muliebribus*, Zoar verò in cruribus potissimum caneros nasci, libro *secundo sui Theisr*, capite *vigesimo septimo*, contendit. At nos hucusque vnum tantum in crure cancrum patientem vidimus, plures verò qui in mamillis, mento, & locis adenosus, vt collo, axillis, & inguinibus. In corporis verò partibus penitioribus cancri sepe nascuntur, palato, sede, & vtero muliebri, vt ex Galeno desumitur libro *sexto Aphorismorum enarratione citata*, quo in loco idem Galenus caneros occultos appellat, non solum eos qui absconditi sunt, & non apparent: sed eos qui apparent, & sine exulceratione sunt. Ceterum cancer ab humore melancholico fit, ex quo & elephantiasis, & varices, veluti affe-

ction

Etiones aliæ variæ ortū trahunt. Nam elephātia-
 sis, vniuersalis cancer est. At cancer latēs, & ci-
 tra vlcus, vt ab humore melancholico miti ori-
 tur, ita exulceratus ab acriori & cōtumacior fit
 vt docuit Galen. libro de atra bile, & variis aliis
 locis: Porro carbūculus ab humore quoq; fit melā-
 cholico, feruido tamen, & supra modum calido,
 vt eodem loco testatur Galenus, & libro quarto
 decimo Methodi medendi, velut libro De tumo-
 ribus præternaturalibus. Quantū verò ad can-
 cri curationē attinet, tradit Galenus libro secun-
 do Artis curatiuæ ad Glauconem, capite decimo
 quòd in mamillis sæpe tumorem figura animali
 cancro persimilem vidit, quem morbum ille per
 sui initia medicamentis atrā bilem educantibus
 sanauit. At vbi in molem insignem prædictus
 tumor attollitur, curari sine chirurgia nō potest.
 Ego verò paruos & magnos cācros, aut omnino
 topicis medicamentis non esse irritandos, aut ex-
 integro ferro extirpandos suaderem, modò tamen
 locum occupent idoneum, circa quem manuale
 opus exerceri debite possit, & ab arteriarum &
 vasculorum aliorum multitudine primū, cum
 iis tamen consulimus, vt eger cancro laborans o-
 ptimo, sed continuo vitæ ordine semper perseue-
 ret: item quòd eum medicus sæpè ab humore ex-
 purget melancholico, tum sanguinis missione
 per venæ sectionem, aut mariscarum apertio-
 nem, tum etiam medicamentis ipsum humorem

AMATI LVSITANI

respicientibus. Nam tunc si ex se cancri delituerint, quod haud credo, bene erit: sin autē ad incisionē & opus manuale deueniendū est, nec enim tūc, quod alter denuo superueniat, timere est, cū melācholici humoris, qui in corpore uigebāt, semina cum assiduo sed optimo uitae ordine, tum saepe repetita euacuatione, ex integro ferē extirpata sunt: neque uereri est tempore quo fit incisio, morbus ad alteram deriuetur particulam, ut illi contigit mulieri, de qua ab Auicenna facta est mētio, cui altera mamilla cancro affecta, & radicitus extirpata, altera cancrofa confestim euasit, quum melancholici humoris vice optimum sanguinem in corpore repositum esse, ex optimis acceptis eduliis, & assidua repetita euacuatione, praesupponimus: ceterum medicamenta melancholiam mitigantia, & eam euacuantia referre ad praesens minime grauauer, ni Centuria prima, id confectum haberem, ea praecipue curatione trigesima prima, in qua de cācroso tumore sermonem fecimus.

De causone infestissime affligente,

CURATIO XXXIII.



Vuenis de Castello Auite, natus annos circiter triginta, natura biliosus, ad uisionem inclinans, vigente canicula cum puella coiuit sed ita laboriosē, ut genitalē se

le semen coitus tempore non emiseric: ab hoc igitur contracto labore, & humorum agitatione, ac membrorum lassitudine in causonem siue ardentem febrem hic lapsus est: caput dolebat, continuò febricitabat, siti intensissima cruciabatur, & oris amaricatū ingens patiebatur. Primò igitur ad hunc accedens, considerans eū multum bilis extrāve natæ in stomacho, & aliis locis habere, hoc minorans pharmacum illi propino, quod habet. **R.** Sirupi violati solutiui vncias tres, dia catholiconis, drachmas tres, diaphiniconis, drachmam vnam, aquæ lactucæ ex infusione Tamarindorum, vncias quinque, misce, fiat potus vnus, & detur in aurora ieiuno stomacho: quo alius optimè respondit, & biliosa plurima excreta sunt. Secundo verò die lotium crassiusculum erat, & bene rubrū, proinde iecorariam dextrā secare fecimus, & sanguinis vncias octo fluere. Sequenti die totidem sanguinis vncia ex basilica sinistra sunt extractæ, sexto ad hunc alter ingressus medicus, eū debilem esse, & viribus prostratū dicit, qua de causa illi panem vino intinctum concedit, ex quo parum abfuit, quin æger tunc ex vita discesserit, ita sæua illi suborta sunt symptomata, nam & delirauit, quod antea illi

AMATI LVSITANI

nunquam contigerat. Tunc septimo nos illi aquam, in qua psilij semē maceratum fuerat, in bona dedimus quantitate, à cuius potu membra totius corporis refrigerari cœperunt, & ipse melius se habere. Porro hucusque syrupos huic refrigerantes cum debito victus ordine, & aliis pernecessariis tribueramus, qui ita habent.

℞. Radicum endiuia, cicorea, buglossi, nymphaea, añ. man. j. hordei mūdi, pugill. vnum, prunorum damascenorum, nu. xij. tamarindorum, vnciam vnam, foliorum lactuca, portulaca, nymphaea, añ. man. j. florum violarum, rosarum, nymphaea, boraginis, añ. man. mediū, seminis lactuca, acetosa, portulaca, endiuia, añ. drachmam vnam, In libris septem aqua fiat decoctio, quousque maneant librae quinque, & coletur, cuius decocti vncias viij. & aliquādo decem, vna vel altera iulepi rosati vel violacei addita vnciola, ad extinguendam sitim interdū vno haustu ebibat. Sed in aurora sic parabatur, *℞.* Prædicti decocti vncias quinque, syrapi de nymphaea, rosati simplicis, añ. vnciam vnam, de succo acetosa vnciam mediam. Misce, & albo oui clarificet, & scriptulo vno specierum diamargaritonis frigidi aromatizetur, & frigidum bibat. Octauo verò die

pharmacum ex manna & rhabarbaro illi dedimus, quo optimè multa biliosa aliis mixta excrementis egressit, & febris mitior facta est. Sed tunc ex pectore multa viscida & subnigra expuere cœpit, pro qua cōplenda operatione oxymelite sæpè utebatur, aliquando per se solo, nonnūquam verò lambetiuo de althea mixto, aut de farfara bechio dicta: iis enim hic intra viginti dies ex integro sanitatem obtinuit, & pancreaticè habuit præter omnium opinionem, quem sexto die post panem vino affusum comestum, cum morituum omnes putabant & dicebant.

De raucedine, cum febre & tuſſi complicata,

CV RATIO XXXIIII.

Benaſer, vir natus annos duos ſupra triginta, declinante æſtate in raucedinem incidit, ut vix, quum loquebatur, ab aliis intelligeretur: cum qua & febrieſcit, & ſæpè tuſſi quadam ſicca anguſtiabatur. Ad eum igitur veniens, raucedinem hanc confidero, quæ Græcis βῆραξ & dicitur, deſluxus ſcilicet ad fauces, de quo Gale- nus libro ſeptimo De compoſit. medica. ſecundum locos ita diſſerit: Vbi inſtru-

AMATI LVSITANI

menta vocis ab humiditate vehementius atque tenacius impacta fuerint imbuta, vox intercipitur, quum verò moderatius humecta sunt, oboritur raucedo. Organa vocis cum dico, intellige arteriam, laryngem, & pharyngem, siue epiglottida. Cæterū raucedo tametsi variis de causis oboriri potest, vt refert Galenus citato loco, & Auicenna Fen decima libri tertij tract. secundo, capite primo, secundo & tertio: in hoc tamen viro ab humiditate descendente à capite ortum traxit, pro cuius expulsione quum multa & varia proposita essent, propositū fuit, num sanguinis extractio per venæ sectionem huic conueniret: contendebat autem quidam medicus eam proficuum esse: in quam sententiam & ipse æger quoque ibat, qui omnino eam efflagitabat, & instanter petebat. At ipse noscens venæ sectionem in hoc morbo periculosissimam esse, pro posse contestati sumus, quia raucedine hac affecti, qui minuuntur, & sanguis illis per venæ sectionem extrahitur, rarò vel nunquam ad sanitatem perueniunt: frigit enim caput magis, & ad fauces defluxus sæpius decūbit, & consequens ægri peius habent. Præualui autem ipse iis & variis aliis rationibus, ob quas eger sanguinis

ren

renuit extractionem: & paucis postea diebus ad sanitatem restitutus fuit. Abstineant igitur medici omnino suaderem in raucedine à venæ sectione, huic præcipuè simili: quum, vt expertus sum, ab ea grauia gignantur symptomata, & morbo primario grauiora.

De brachio tumente post uenæ sectionem, unde postea mors subsecuta est,

CVRATIO XXXV.



Vbellus, iuuenis fortis & robustus, & qui iā olim apud Ferrarienses vires suas, quū duodecim loricati iuuenes eum adorirentur, indicauerat. Nam eorum vnum comitis Galeatij laxonis interfecit, & reliquorum plures vulneribus confossos à se reiecit: nunc demum quum febris corripereetur & medicus illi in brachij dextri curuatura mediam venam incidi ad sanguinem detrahendum iuberet, bene habuit. Nam sanguis rubricās optimè fluxit. Sed interiectis duobus diebus quū brachium plus iusto exerceret, circa eandem brachij curuaturam dolere cœpit, & brachiū ipsum per vniuersum tumefieri, cum quibus riguit, & postea febricitauit: quæ omnia ad-

AMATI LVSITANI

uertens medicus, bis sanguinem ex altero brachio, non nisi liuidum & nigrum admodum extraxit. Sed nō ob hāc detumesceri cœperat brachiū, aut ab eo dolore leuabatur, imo indies hāc augebātur, & æger ipse peius se habebat: quia fortiter febricitabat, & non dormiebat, qui magis quum dormire volebat, circa cor maximè dolebat, & angustiabatur: quæ verò topica medicamenta brachio admota fuere, non satis percepit: demum quum hunc inuiserem, primo occurſu eius faciem longè à naturali confidero: secundo, eius virium robur deiectum & prostratum, per pulsationes arteriarum cum difficili respiratione noto: tertio, brachium huic per amplum cum manu ad furculam vsq; tumens erat, cum quibus prædictas cordis lincinationes patiebatur. Cæterum quū brachium hoc per amplè vt saccus tumeret, circa quod color subalbidus erat, & in eo quum digitus comprimebatur, cauitas perdurans fiebat, propositum fuit, an intra brachium hoc pus latitaret, an non: demum quum sic male afficeretur, & ferè syderatum brachium esset, ad apertionem confugimus: quia inde commodum absq; noxa vlla sequi augurabamur. Protinus igitur accersito chirurgo candente ferra-

mento, eo loco à nobis signato, brachiū a periri fecimus, ex quo puris aut saniei vice aqua quædā alba fluxit, superposito vero maturate emplastro, facto emissario, intra sex horas ex eo materia qdā subrubra, pauca, male morigerata effluxit, quā in totum contempsimus, alioqui solliciti de noua altero in loco apertura, à qua facta candente quoq; ferramēto nihil præter aquā illam albam exire conspeximus. At vires imbecilles quum essent, nullum alterū ferētes remediū, eū deploratum dimisimus: qui sequēti die, hoc est decimo sexto Augusti, M.D.LI. diem suum obiit.

SCHOLIA.

Qum post sectionē venæ, hoc est à cephalica & iecoraria in brachij curuatura exortæ nonnullis intermediis diebus, brachio inflammatio hæc cum ingenti tumore & dolore orta esset, proponitur an ex nerui punctura, qui venæ communi vel mediæ dictæ subiacet, originem traxerit, aut potius ex confluxu materierū malignarum, intus in corpore latitantium pullulauerit. Cōtendebant autē nonnulli inflammationem hanc ex punctura nerui qui (vt dixi) communi venæ, vt arteria iecoraria subiacet, originem trahere, quum morbus sui initio levis erat, nullam seuitiē, aut malignitatē protendens. At vulnerarius acriter iis renitebatur, & medicus illi fauens vt

AMATI LVSITANI

eum à calumnia liberaret, rationes plures adducit, non nisi ex Galeno, Paulo, & Aetio desumptas, quia quæ puncto nervo debentur, huic inflammationi deerant. Nam Paulus, ut Galenū taceā, à quo ipse omnia sua desumpsit, libro quarto suæ medicinae, capite quinquagesimo quarto, in quo de nervis convulneratis agit, ita inquit, Nervis vulneratis aut punctis, ex sentiendi quod ob-
tinet acumine inflammatio & dolor immodicus accidit, quare & febres & convulsiones his oboriuntur, quibusdam & delirium ob nervos cerebro continuos: interim verò in aliis quoque particulae affectae locis inflammationes, & abscessus super ipsum nervum convulneratum, quod cohaereat, solent accidere: hæc Aegineta. Quæ quum ex toto huius brachio iuuenis non respondeant, quia nunquam vlla in eo comparuit convulsio, sequitur quòd non ob nervum punctum, sed potius ob vitiosos in corpore contentos humores, raptum ad brachiū habentes, inflammatio & dolor cum febre ortum traxere. Hæc enim erat eorum contentio. At nos, utcunque res se habeat, sanguinis missionem, ut satis in hoc casu laudavimus, ita ex adverso brachio factam, multum vituperavimus, quum ex pede ea potius emolienda erat, ut suadet Aëtius sermone decimo quarto, capite vigesimo septimo, quo ex Galeni mente de nervis punctis & sauciatis agit, & ita tradit. At verò si vires valide fuerint, & nihil

& nihil impedierit, vniuersum corpus per vene
 sectionē euacuetur. Seruandaq; est in euacuan-
 do locorum affinitas, vt dextra manu sauciata
 dexter malleolus siue talus, sinistra sinister in-
 cidatur, & vice versa, dextro crure vulnerato
 subalaris vena dextrae manus, sinistro sinistrae
 rectitudine seruata secetur: & cetera quae pro-
 culdubio non nisi magnocum iudicio & longa
 experientia obseruata sunt dicta. Vidi autē ipse
 non solum hunc, sed plures alios, quibus simi-
 li in casu ex contrario brachio vena secta fuit,
 è vita discedere: huius verò causa esse videtur,
 quod sauciatis iis nervis malignitas quaedam ve-
 neno persimilis oboritur. Ceterum mirum in mo-
 dum taxandi quoque medici ù sunt: quòd non
 primo illico die locum sectum & agglutinatum
 iam, amplum & inagglutinatum reddiderint,
 vt saltem per eam apertionem saniosi humores
 effluerent: quod vnum summopere Galenus cõ-
 mendat libro tertio De comp. medicamentorum
 secundum genus: simulq; vt medicamentorū vi-
 res ad egrotantem nervum permeent, vt inibi
 quoque legitur, & libro sexto Methodi meden-
 di, quibus in locis Galenus punctis nervis qua-
 lia medicamēta desiderētur, docet inquires, Vul-
 nerati nervi curatio medicamenta postulat, quae
 & tepidū calorem excitēt, & valenter siccant: tū
 quae ex substantiae suae natura & attrahendi vim
 habeant, & tenuium sint partium. Ceterū ad-

AMATI LVSITANT

uertant medici, quòd quando cutis super punctū
neruum interposita est, quia fortè iam aggluti-
nata, tunc nervus euphorbii vim, & aliorum for-
tium medicamentorum ferre potest: in quē vsū
Gale. & ceteri post eum medici ex euphorbio &
potentibus alijs medicamētis, cerata, emplastra,
vnguēta, linimēta, pulueres, & similia parāt. Si
tamen nervus pūctus cute diuisa & aperta ostē-
datur, vel nervus ipse non est punctus, sed per di-
rectum cesus sit, & nudus conspiciatur, tūc me-
dicamentorum præpotentium vires non fert: hoc
enim medicus instructus documento facile cu-
rationem adimplebit, ea quæcunque putrefaciūt
abnegando, velut tepētem aquam. Auicennam
porrò si legere placuerit, qui me hercle nihil præ-
ter à Galeno dicta tradit, legito Fen quarta li-
bri quarti tractatu quarto capite primo, secun-
do & tertio.

De hemicrania per consensum facta,

& per ligni buxi decocti.

ebibitionem curata,

CVRATIO XXXVI.



Onoculus mereator, qui apud
porticum agit, téperatura me-
lancholicus, eam partem capi-
tis quæ oculum confossum re-
spicit, à multis mensibus dolere cōpit, ex
quo dolore ante cibi assumptionē multo
gravius

gravius quàm pòst torquebatur: vnde argumentum in promptu est, dolorem hūc per ventriculi consensum ortum trahere potius, quàm per ipsius capitis primogeniam affectionem aliquam. Multis igitur peractis remediis ad decoctum ligni buxi confugimus, quo multum sudabat, & ita valuit, vt intra viginti dies ab eius potu æger optimè habuerit, nec amplius in eundem morbum reciderit.

SCHOLIA.

B Vxus Europæis, nouis insularibus lignum Guayacum dicitur, vt sepe quoque dixi. paratur autem buxus eo modo quo Guayacum lignum, cuius decoctum pari victus ordine quoque ebibitur.

De dolore genu, cum tumore per tres
vel quatuor menses perdurante,
buxi ligni decocti potu
postea curato,

CV RAT IO XXXVII.



Rancisca ab Italis Secula dicta, iuuenis me hercle pulchra si quæ altera in vniuersa Italia, annos nata viginti, hæc quum in genu tumorem cum dolore ab hinc quatuor menses pateretur, & multa

AMATI LVSITANI

illi à medicis sed frustra tentata essent remedia, nos postea ad eam venientes, post peractas euacuationes vniuersales cum pilulis foetidis, tum de nitro, decocto buxi in ramentum redacti, intra viginti dies ex toto eam sanitati reduximus: huic victus ratio in prædio columbus assus erat, vesperi verò vua passa Corinthiaca, cum dealbatis amygdalis, aliquando verò columbi vice perdix, aut fasianus, turturve, aut auiculæ veniebant, velut vux passæ loco pinea saccharo incrustata, & huiusce modi alia.

*De humore turgente, siue pruriente,
dolores absque febre
ingerente,*

CVRATIO XXXVIII.



Iosephus Falconius bis & ter singulis annis, statis fere temporibus corripitur sequenti morbo solet. Nam repente corporis totius dolore corripitur, dein verò illico eodem die variè dolorem persentit, vt nunc brachium dolere dicat, & interea hoc dicit, ad pedem vel crus aut aliã corporis particulam dolorem eundem transferri clamet. Est enim humor furens dolores hos creans, quem membra tãquam

ignit

ignitam prunam, hinc inde ex se pellere conantur: vnde dolor variè oritur, & æger ipse eodem loco perdurare nequit: imo tanquam insanus ac furibundus incedit: non febricitat, sed per vniuersum corpus calores quosdam persentit non naturales. Illico verò purgatus homo hic melius habet, ad sex tamen & octo dies quandoq; sed rarò sic malè affectus peruenit, ab octima verò dicta purgatione peracta, quali turgenti humori conuenit, ad clysteres confugimus, & membrorum frictiones, veluti etiam ad bolum Armeniæ purissimum, quem syrupo de nymphæa scriptuli pondere mixtum propinamus, vt pulueres quoque cordiales, non solum syrupis mixtos, sed ferculis & iuribus respersos. Qui ita habent, *R.* Margaritarum præparatarum drachmam vnā, corallorum præparatorum drachmam vnā & mediam, foliorum auri fini & puri nu. quinque. Misce: fiat puluis subtilissimus, cuius pondus pro vice semidrachmæ sit, nunc verò præseruatiua cura quum vtitur, in eundem non labitur morbum.

SCHOLIA.

Habet probus vir hic supra vniuersum eius corpus nescio quid albicantis membranula quam (vt ait) ab ortu suo contraxit, & ea (vt

AMATI LVSITANI

ipse reor) expiramenta dicta poros obstruit, à qua
obstructione fuliginosus humor detentus ac im-
pactus veni naturam adipiscitur, unde eum
postea membra ac ignita prunam à se reiciunt,
non minus ac pueri pila ludentes. Caterum quoniam
iam Scholio huc finem imponere, ecce Pyrrhus
noster vir omnium votis delectissimus occurrit,
dubium in hac curatione proponens, Pyrrhus, Quis
humor hic pruriens & turgens sit, morbum fu-
rentem exacte peracutum gignens, quomodo o
Amate egrum hunc à febre liberum dixeris, ad-
miratus sum. Amatus. Cur sic Pirrhe mi? Pyr-
rhus. Non ab re sanè, quia eisi medicum non agas,
Galenum tamen sua lingua conscriptum, hoc est
Græca, perlegi, apud quem si modo reminiscor, li-
bro Aphorismorum legi, imo meo in codice linea
quadam notavi, non dari morbum acutum absque
febre continua. Amatus. Recte sanè o Pyrre
dubium proposuisti hoc, quod mehercle tuum in-
dicat felicissimum ingenium, & tuam attesta-
tur tenacissimam memoriam, ut tamen Galenū
exacte hac in re teneas, paulisper audire ne pi-
geat. Acuti morbi non semper cum febre repe-
riuntur, quia aliqui sunt morbi acuti absque fe-
bre affligentes & interficientes, ut morbus comi-
tialis, morbus attonitus, quem Græci apoplexiā
vocant, convulsio atque distensio: ut enim mor-
bi acuti sunt omnes breui interficientes, & tamē
absque febre plerumque comperiuntur & interfi-
ciunt.

ciunt. Intelligendus igitur o Pyrrhe Galenus ita venit, enarratione precipue nonadecima libri secundi Aphorif. vbi (vt aiebas) inquit, In acutis morbis sunt febres continue, id est in acutis morbis si quæ febres comperiuntur, illæ omnino continue sunt, & non interpellatæ siue intermittentes: nunquam enim morbus acutus intermittentes febres comitatur, sed eas potius quando habet inseparabiles continuas dictas habet, vt ipsemet Galenus seipsum exponit libro quinto prædicti voluminis enarratione trigesima. Pyrrhus. Placent sane hæc, & eo magis quia ad Galeni mentem dicta. Morbis tamen acutis absque febre citatis addas vellem colicum morbum: qui quum acutus sit, absque febre tamen sepe inuadit, & interficit.

De febre, solo minorante pharmaco expulsa,

CVRATIO XXXIX.

Ilius prædicti filius, iuuenis robustus, natus annos octodecim, quum febre grauiter corripere-
tur, & de capitis dolore quere-
retur, epoto medicamento purgatorio se-
quenti, illico sanus factus est. Habet autem purgatorium medicamentum sic,

℞. Syrupi rosati solutiui uncias tres,
diacatholiconis unciam mediam, diaphi-

i iiij

AMATI LVSITANI

niconis drachmā vnā, cum aqua endiuiā, q. suff. Misce: fiat puluis, detur in aurora ieiuno stomacho. Vt verò postea febrilis calor membris hærens infringere-
tur, hordeaceam aquam pauco iulepo ro-
faceo mixtam tribus sequentibus diebus
ieiuno stomacho bibebat. At victus huic
panatella vel cocta lactuca oxaleo mica sa-
lis addita fuit, potus verò charmelita-
rum gelida.

*Docetur hîc quomodo muscoli mo-
ueantur suo motu uoluntario, simulq;
quomodo deperditur motus membri
manente sensu, & contrario,*

CVRATIO XL.



Quum Hamisius chirurgus, iu-
uenis, me hercle cum quouis
in hac arte conferendus, mecū
sæpe ægrotos inuisum acce-
dat: contigit, quòd quum ad Abarbanelio-
rum iuuenem ex diuturna capitis destil-
latione laborantem accederemus, quem
iandiu docti medici Ferrarienses tractaue-
rant, eiusq; curam habuerant, à me quæ-
reret, quomodo muscoli volūtario motu
moueantur, non minus quomodo fieri po-
test læso vno membro eius quādoque de-
perd

perdatur motus, sensu incolumi manētes
 & contrario, sentiēdi facultate deperdita
 facultas motrix illæsa maneat: cui tunc
 breui, prout tempus ferebat, dato respon-
 so eum ad Galenum, vt ad syncerioris me-
 dicinæ vberimum fontē remisimus. Sed
 quum Galeni campus latè pateat, pro pri-
 mo absoluendo dubio, eius duos libros de
 motu musculorum signauimus: pro secū-
 do verò libros de locis affectis. At ne pro-
 bus iuuenis sua omnino defraudetur pe-
 titione, hīc paucula subiungere placuit,
 & eo magis quia scitu pulcherrima sunt,
 & ex officina Gal. decerpta. Primo igitur
 scire decet, vt venę à iecore, & arterię à cor-
 de, ita nerui à cerebro & spinali medulla
 originem suam trahunt. Oriuntur quippe
 ex cerebro neruorum septem paria, ex spi-
 nali medulla verò tanquam riuo à cere-
 bro fonte scaturiente & manante sexagin-
 ta nerui, qui singuli per singulorum spon-
 dylorum foramina immittuntur, de qui-
 bus nunc altius repetere opportunū erit.
 Et primò tradit Galenus libro primo De
 motu musculorum, non procul à princi-
 pio vbi de neruo agit. Nuncupatur autē
 ab ipsis operationibus vnum instrumen-
 tum duobus nominibus, *νεῦρον*: id est
 neruus, & *τίγος*: eò quòd *νεύρω*, hoc est

AMATI LVSITANI

mutare, seu flectere, & *τίρυγ*, id est tendere natum est. substantia verò corporis eorum ea est, ac si intelligas, stipatū & densatum, & veluti duriusculum factum cerebrum: sic enim Galenus hoc in loco intelligendus est, aliter vix à doctis literarius sensus ille percipi potest, quum particula illa veluti superaddenda est, ut lectori penitus hæc consideranti notū euadet, imò ratio ita textum hunc legendum esse postulat. Quia spinæ medullæ corpus simile cerebro condensato & duriusculo factum est, imò cerebri posterior pars anteriori durior est: & quicumque neruorum molliores sunt, hi nihil à spinali medulla consideranti differre videbuntur, ut inibi legitur. Vnde libro octauo De usu partiū apud eundem Galenum legimus, nerui omnes consistentia cerebro sunt duriores opticis tantum exceptis, qui cerebro densiores quum sint, duriores eo non apparent, ceu soli ex cerebri substantia veluti concreta, non tamen exiccata conflati. Cæterum nerui molles ex mollibus cerebri partibus oriuntur, duri autē ex duris. Sunt verò, ut dixi, anteriores cerebri partes molliores, posteriores autem duriores: qua ratione nerui molles à partibus cerebri anterioribus gignuntur, duri verò à

rò à posterioribus. Sunt molles nerui sen-
 forij, duri verò ad motū aptiores, vt eodē
 citato De vsu partium libro, & alibi sæpe
 idem Galenus repetit. Sunt verò naturæ
 propositi scopi circa neruorum distribu-
 tionem tres, quorum primus est, vt senso-
 riis instrumentis sensum impertiret: se-
 cundus, vt motoriis motum: tertius, vt o-
 mnibus aliis facultatē daret, qua sibi in-
 festa dignoscerēt. Porro sensus causa lin-
 guæ, oculis, auribus maximi sunt nerui
 tributi, nec non partibus manuum internis,
 atque adeò ipsius orificio ventriculi: sunt
 enim quodāmodo & hæc sensoria, siquidē
 per manus ex tactu est dignotio certissi-
 ma: orificium autē ventriculi sensum ha-
 bet alimēti deficiētis ipsi animali, quæ fa-
 mes nūcupatur. Secundo autē loco in mu-
 sculis motus volūtarij instrumentis repe-
 rire est neruos maximos. Ad discernenda
 verò quæ dolorē adferunt (& tertio in sco-
 po existunt) nutritoriis organis, aliis qui-
 dē liberalius, aliis autē parcius, pro cuiusq;
 nimirū cōstitutione neruos largita est na-
 tura, vt refert Gal. lib. v. De vsu partiū, &
 sexto eiusdem voluminis libro, quum di-
 cat, Neruus nullus videtur in cor distri-
 bui, neq; in hepar, renes, lienemq;. Quæ
 verba intellige de neruo notatu digno,
 secus

AMATI LVSITANI

secus autem de paruo. Sed nunc ad neruorum septē coniugationes siue paria dicta, quæ in cerebro mollia oriri diximus, præter duas maximas cerebri productiones, quæ ad nares odoratus gratia fiunt, accedamus. Et primò, vt ex Galeno legimus libro nono De vsu partium, prima copula mollium neruorum, visorij sunt, Græcis *ὀφθαλμοὶ* dicti, quia oculis visus sensum impartiuuntur, ab anterioribus vetriculis procedentes, & vt Galeno placet, caui, quanq̃ hodie mihi & diligentissimis hominibus & iis qui huius rei cura multum sollicitantur, nunquam caui aut perforati visi sint, etiam in animante recens mastato, & ad solis radios conspecti, quorum figura X literæ est simillima: vt eos fortè quis putauerit sese mutuò conscendere, sed non ita est. Ipsi enim intra craneum inuicem in vnum coeunt, vt meatus suos cõiungant, & rursus antequam oculos ingrediantur, separantur, idq; duabus vtilitatibus, prima ne quod extrà intuemur duplex appareat: secunda, vt clauso altero oculo, totus spiritus per communionem neruum ad alterum feratur, & eo modo visoria facultate duplicata visus acutior reddatur. Secunda neruorum coniugatio non procul à dictis nascitur, & sunt nerui qui oculis

mot

motum præbent, qui licet molliores sint
quàm motoriis conueniat, eorum tamen
mollities magnitudine pensatur. Tertia
illic oritur, vbi pars cerebri anterior cum
posteriori connectit, & sunt nerui linguæ
sensum gustus dâtes, & qui in omnes pro-
pemodum faciei partes distribuuntur.

Quarta neruorum coniugatio paulò po-
sterius his est locata, magis quidem quàm
priores à basi emergens, propagines autē
eius omnes sunt sibiipsis propinquæ, ac
commiscentur quidem statim neruis ter-
tiæ coniugationis, cum quibus fertur lon-
gissimè, postea tamen seiungitur, totique
palati tunicæ inseritur, exigui porro ad-
modum sunt hi nerui, neruisq; tertiæ con-
iugationis paulò duriores, quia tunica quæ
os vestit durior est non lingua modò, sed
etiam aliis propemodum omnibus faciei
partibus, ob id etiam producuntur ex pau-
lò duriori regione cerebri, quàm nerui ter-
tiæ coniugationis: quanto enim magis re-
tro progrediuntur: tãto se ipso durius ef-
fectum cerebrum cernimus, atque etiam
partes, quæ ad basim ipsius pertinent, aliis
duriores existunt. Quinta mollium ner-
uorū cōiugatio, productiones eas cōtinet,
quæ à lateribus capitis versus ossa lapidea
extenduntur. Earum autē vtraq; diuiditur

AMATI LVSITANI

in ipso per ossa transitu, in duas partes quarum maior quidem in meatum auditorium inferitur: minor verò extra craniū in cæcum nuncupatum foramen, quod tamen cæcum non est, licet existimetur tale ob suam flexuosam obliquitatem. Sexta à basi cerebri producitur, nondum etiā dura, omnibus tamen prædictis tātō durior, quanto iam spinali medullæ propinquior. Hi nerui in omnia ferè intestina, ac viscera solius sensus gratia distribuuntur, qui neruos etiam recurrentes producant, de quibus Centuria prima multa & clara ad Galeni mentem dixi. Septimæ coniugationis nerui illinc oriuntur, vbi & cerebrum desinit, & spinali medullæ est initium, progressi quadantenus vnà cum neruis sextæ coniugationis, post autem ab ipsis seiuncti parte quadam sui, eadēmq; minima, rectos laryngis contexūt musculos: maiori verò in totam linguam disseminantur, in vniuersum autem ex neruis hi sunt primi qui exquisitè sunt duri. Nā prædictorum omnium neruorum nullus similiter durus est, ac hi nerui: ceteros verò neruos consulto prætermittimus. Gale. tamen lib. De ossibus ad tyrones, vltimis verbis cap. primi, quod olim Ceturia prima in tabulam redegitur, ita de neruis memi

meminit, Tria neruorū genera censentur, quæ nihil impedit vel species, vel differentias appellare: ex neruis qui ex cerebro dorſiq; medulla oriuntur voluntarij, qui ex ossibus ligamentales, qui tertio loco ab iis differunt, atq; ex musculis originē ducunt, tendones vocantur. Ne verò æquiuoca nomina obscuritatis aliquid afferāt, qui ex cerebro itémq; dorſi medulla ortū ducunt, voluntarij nerui, qui ex musculis tendones: qui ex ossibus ligamenta à nobis appellentur. hæc enim paucula Galeni in præſenti citare placuit, quia multum ad rem de qua agimus faciūt. Est autem musculus Galeno teste libro primo De motu musculorum, & duodecimo De vsu partium, *μῦς* Græcis dictus, à muris forsitan similitudine, organum motus voluntarij, constans ex fibris neruorum & ligamentorum, carne simplici hijs circūdata, vena, arteria & tunica. Cæterum musculi eodē Galeno teste vbi antea, tres sunt partes. Principium quod caput musculi vocant, & est magis neruosum. Mediū carnosius, ventrē vocāt: finis multò neruosior capite, vnde tendo nascitur, alio noīe chorda dicta. In hos igit musculos nerui riuorū instar à cerebro, ceu à quodā fonte, suas deducūt facultates: quorū musculorū corp⁹

AMATI LVSITANI

tanquam planta multis riuis irrigua est: altero neruo prædicto, altero vero arteria corde deducta sanguinis calidi & tenuis, & vaporosi plena: tertio verò, vena à iecore principium trahente, sanguinem frigidiorē & crassiorē continente. Etenim vt motus qui ex arteria & vena procedūt, sunt naturales, & voluntatis expertes, ita qui ex musculis fiunt, animales & voluntarij existunt. Est autem, vt dixi, musculus instrumentum non sensus sed motus, etiā si vtriusque sit particeps: quia nullus motus voluntarius potest sine musculis fieri. At sensus vniuersis inest particulis, quæcunq; nerui participes sunt: vnde ligamentum ab osse ortum nihil cum neruo commercij habens, insensibile omnino est. Tendo verò chorda dicta, mediam inter neruum sensu omnino præditum, & ligamentum sensus expertem naturā habet. Quatenus igitur tendo ligamenti naturæ est particeps, eatenus hebetatur in eo acrimonia sensus: non enim tendo neruus absolute est, sed ex neruo & ligamento conflatus, quo fit tendo ipse multis in locis sexcupla, multis etiam decupla crassitudine neruum superet. Et meritò sanè tantus & talis est factus, vt qui & nerui & ligamenti vsum exhibiturus erat: alligat enim

enim musculum subiectis ossibus, in quo-
rum capite munita cartilagine inferitur,
& hac quidem ratione nihil differt à liga-
mento. Sentit autem atq; mouetur (vt di-
xi) qua ratione nerui est particeps. At ner-
uus ipse via quædam existens facultatis
motricis à cerebro descendens, vt eam
communem faciat, extensus est, atq; liga-
mento cōmixtus. Tēdo itaq; sic ex vtrifq;
conflatur. Omnis igitur tendo in os omni-
no inferitur, non tamen omnis musculus
desinit in tendonē, in nullo enim muscu-
lorum mouentium linguam (cōstat enim
ex variis musculis) tēdo nascitur: nullum
siquidem os erat lingua motura, sed e-
ditura vocem articulata, & sapores di-
iudicatura, & masticationi atq; deglutio-
ni adiumento futura, vt latius Galen. præ-
dicto libro primo De motu musculorum
tradit. Porro vt primò dixi, & Galenus ini-
tio libri duodecimi De vsu partium repe-
rit, neruus & ligamentum, in villos seu fi-
bras tenues, quas Græci *ixas* vocant, diui-
duntur: quæ fibræ inter se ad musculi con-
stitutionem connectuntur, vt quem ex am-
bobus mixtum esse oportebat. Ex iisdem
fibris cōiuntibus inter se ac cōmixtis
tendo quidē conflatur, ex omnibus autem
musculus, qui vnius tantum generis fibras

AMATI LVSITANI

obtinet, aut enim rectas habet solum secundum suam longitudinem, quibus attractio perficitur: aut obliquas, quibus retentio conuenientis fit: aut tantum transuersas, quibus alieni expulsio completur: simul autem omnes nullus possidet musculus, ut autor est Galenus libro sexto De usu partium. Proposito igitur nostro respondentes, quod est, quomodo musculi suo motui voluntario moueantur, dicamus quod in hoc motu tria concurrunt: voluntas scilicet, nervus & musculus: voluntas equi similatur, nervus habenis, musculus vero equo, unde Galenus prope finem libri De causis respirationis, hanc describens similitudinem inquit, Voluntas equidem similis est equi, qui habenarum motu equos impellit. Habenae autem similes sunt nerui, quemadmodum equis musculi. Nam & utilitas extremum est respirationis, siue operis voluntarii votum, perinde ac victoria artis aurigandi. Hac enim perpulchra sed breui similitudine Galenus musculorum motum complexus est, cuius alteram ex lib. primo De motu musculorum, ex duobus ossibus, altero stante, altero vero mobili, quemadmodum sunt ostiorum cardines, cum duplici catena, consulto praetermittimus, hac a nobis adducta

con

contenti, quā lectori nec ingrata, nec iniu-
 cundam fore credimus. Cetera verò, quæ
 pro motus musculorū cōplemento deside-
 rat, perlegat optimus lector in libellis
 De musculis, per Ioannem Baptistā Can-
 nanum Ferrariensem, virum me hercle
 doctissimum cōpositis: in quibus muscu-
 lorum icones & figuras magno confitas
 artificio inueniet. Secundæ verò parti pro-
 positi dubij respondet Galenus lib. primo
 De locis affectis, capite sexto, & quarto
 eiusdem voluminis libro, eiusdem nume-
 ri capite, inquit, Deperitur quandoq;
 motus mēbri, eius sensu manēte, quia mo-
 uere est agere, sentire verò pati: & quum
 multo plures spiritus, vel, si magis placet,
 maiores vires requiruntur ad motum per-
 agendum, quàm ad sensum percipiendum,
 fieri potest, quòd adeò pauci reperiantur
 spiritus, vel quòd virium impotentia tan-
 ta sit, vt ad sensum percipiendum, & non
 ad motum conficiendum sufficiant, & sic
 aliquando amittitur mouendi vis sensu
 manente. Sed quòd quandoque deperda-
 tur sensus manente motu, Galenus (mul-
 tis sui aui medicis cōtradicētibus) vidit,
 cui medicus alter quoq; fauit, rem ita sta-
 re affirmando, & eius causam reddit: quia
 quum musculorum corpora disseminatos

AMATI LVSITANI

neruos ad voluntarios motus peragendos habeant, sit quod muscoli ipsi aliquando quidē ad partes mouēdas immediatē perueniunt, aliquando verò per medios tendones, quales sunt illi, qui mouēt digitos. Si igitur affici musculorum nervos cōtingat, digitorum motus peribit: si verò eos qui ad cutim pertingunt, tangendi sensus corrumpitur, mouendi facultate illa sa manente. At vbi tota resoluiuntur mēbra, quum videlicet commune principium est laesum, simul & motus & sensus pereunt. In summa, sensus tactus in membri parte superficiali fit, & quia in ipsis nervis superficialibus obstructio fieri potest, ille in interioribus motum peragentibus, fit inde quod sensus amittatur, saluo eiusdem mēbri motu, id quod nos, & qui artem medicam exercent, saepe percipimus. Proinde Vesalius virulētam linguam suam satius fecisset hac in re submittere, quā contra Galenum Auerrhois ficulneis rationibus imbūtam exercere.

De puero qui ex fenestra ceci-

dit, & tertio die

obiit,

CURATIO

Filius

Hilius Galli infelix, natus annos nouem, postquam coenatus est, & multa comedit, de fenestra non admodum alta cecidit, & crus dextrum in femore fregit, & in capite ita saeuè percussus fuit, vt craneum per plures (cute integra manente) fissum fuerit partes. Ad quem quū accederemus, chirurgus presente caput duobus in locis per amplè, vbi ratio postulabat, aperire fecimus, à quorū vno sanguis multus cōtētus recens exiuit, ex altero verò cum sanguine album rotundum cerebri substantiam referens semi auellanae magnitudine prorupit. Secundo verò die curatus, craneum illi diruptum variè visum est, demū tertio die obiit, Septembris mensis die secundo Anni M. D. L. I.

SCHOLIA.

Quum albū illud cerebri substantiā referens exiret, quāsitū fuit inter medicos & chirurgos presentes, quidnā illud esset, aderāt autē viri lōga experiētia prādicti, & qui iā olim simi-
lē substantiam ex alijs capitis vulneribus, felici (vt aiebāt) exire viderāt successū, quorū alij albā illā substantiam non cerebri, sed caruncularū quarūdam portionem esse dictitabant, quos nos oīno parui fecimus, quū locū vbi carunculae siue glandula cōtinerētur illi assignare nescirēt: alij

AMATI LVSITANI

verò cerebri superfluitatē excrementū ve ipsi cō
colore, tum substantia simili contendebant. Ful-
ciebant autem ij, ac suas tuebantur partes, quia
si cerebri medullaris esset substantia, eger in cō-
uulsionem vel paralysem illico, vel saltem intra
paucas horas incideret. Nos verò eam veram
cerebri substantiam, ac portiunculam dixi-
mus, & ea de causa puerum intra paucos
dies, ne dixerim horas, moriturum pradixi-
mus: quòd verò cerebri excrementum alba illa
substantia non erat Galeni munitus doctrina cō-
testabar, qui libro nono De usu partium, cerebri
duplicia tantū excrementa assignat: alia vaporo-
sa ac fumosa, seu fuliginosa leuia, quæ per sutu-
ra in loco edit sumo sita euacuari tradit: alia
velut aquosa, ac limosa, pituitosa, crassa, graui-
a, quæ ob id per meatus declines euacuari oportuit.
Ceterū ad cerebri extractum portiunculam
agri semper ferè moriuntur: si tamen aliquis eua-
dere contingat, is mutus, surdaster, aut tortura
affectus euadit, prout alij vel alij nervi affici cō-
tingunt. Ceterū meminit Gal. lib. viij. De usu
partium, à se in Ionia visum adolescentem quē-
dam vulnere in alterū anteriorum cerebri ven-
triculorū accepto fuisse superstitē, id quod nos si-
mile & alij plures medici obseruauimus, fortè
quia quū gemini vètriculi sint, vnus alterius læ-
sioni subseruit: quo factū est, vt si vulnus vtriusq;
ventriculi illatum esset, adolescens nullo modo
euade

evaderet, sed pro certo è vita discederet, tanta enim est geminorum instrumentorum utilitas.

De uulnere capitis, & quòd percussa altera capitis parte, altera affici potest,

CVRATIO XLII.

Percussus fuit puer annos natus xij. in capite versus tempus dextrum, quod vulnus paruum & contemnendum videbatur. At tertio die symptomata gravissima illi superuenerunt, qua de causa ad cerebrum usque rosario scalpro craneum rasimus. Sed quum symptomata ut primo eueniret, & versus alteram partem eger dolere diceret, illico supra dolentem locum aperire fecimus ad cerebrum usque, ubi pus iam confectum inuenimus, & magno applausu agrum curauimus, & ipsum intra triginta quinque dies ab orci faucibus liberauimus.

SCHOLIA.

Proponunt chirurgici, an capitis altera parte percussa, altera ex aduerso rumpi, vel ledi contingat: cui quaesito multi chirurgicorum respondent, quòd sic: & quòd ita craneo percusso euenit, quemadmodum testæ, aut olla, quæ sæpè quum illiditur, non eo loco rumpitur quo percutit, sed altero ex aduerso iis: Galenus contra-rius est, qui lib. xj. De usu partium, cap. decimo

AMATI LVSITANI

nono inquit, Ea de causa cranium à natura non
 continuum & ex vno tantum osse conflatum, sed
 potius ex multis & variis partitionibus diuisum
 fuisse: ne si quādo vna pars affici contingat, totiū
 cranium patiatur: quo fit, inquit Gal si cranei alte
 ra pars afficitur, altera ob diuisionē intermediā
 affici nequaquā potest. Nos huic dubio, vt medi
 cis & chirurgicis satisfaciamus, breui responde
 m⁹, quod si calvaria aliqua pars percussa fuerit,
 altera ex opposito frangi nō potest, quia suturae im
 pedimēto sunt, nō permittentes ad alterā partem
 transiū. Fieri tamē potest altera calvariae parte
 offensa, altera longē distans malè afficiatur, nō
 quod os fissū sit, sed quod sub eo cerebri meninga
 rū venula vna vel altera rupta sit, ex qua san
 guis effluit, & inde sanies fit, & medullaris cere
 bri substātia putrescit, ex qua mors certa sequitur.
 Vt superioribus diebus euenit famulo cuidā illu
 strissimi D. Vincētij de Nobil. Anconae: qui quū
 ab altero eius socio baculo in capite contemnendo
 vulnere vulneratus esset, interpositis tamē paucis
 diebus ingens febris cū delirio superuenit, & tan
 dē obiit: fuit porrò vulnus ampliū, & terebello
 cranium ad meninges vsque perforatum: super
 quas sanies nulla apparuit. credere igitur est, alte
 ra in parte lesionem fuisse, hoc est venae alicuius
 rupturam, ex qua sanguis effluxit, vnde mors
 orta est, velut olim Aloisio fabro ferrario Ferra
 riensi contigit, de quo Alanardus Ferrariensis,

epistola prima libri sexti suarum epistolarum, memoriam fecit: Quanquam imbi non ob hoc mortuum fuisse testetur, sed (vt ego credo) non ob aliud mors illi ascita est. Caterum hac à nobis in hæc Scholia exarata, proveri & indubitatis habenda confirmat Paulus Aegineta libro sexto suæ medicinae capite nonagesimo, in quo capitis fracturarum differentias prosequitur, & ita inquit sunt qui his differentiis Apechemia, quasi dicis, ab Echo responsonem addiderint, ea est, à contraria ictus parte facta caluaria fractura. At falluntur ij, quoniam non fit in hominis calua quemadmodum in vitreis vasculis fieri illi docet, illa siquidem vacua sunt, ideoq; id patiuntur. Calua autem hominis vndique plena & alioquin solida est, fitq; in hoc ictu, quod in capite aliis ex causis fieri videtur, in quo integra cutis continuitate, factus abscessus quū scetus fuerit, offensam illic hominis caluariam fuisse innuit: sic etiam & in hoc malo factus contraria in parte abscessus, illic fuisse os credi postulat, hætenus Paulus qui nihil præter quàm à nobis dicta intelligit, et per ea Cornelius Celsus, ceteriq; qui de hac re locuti sunt, præstantes viri, intellecti euadunt, Ceterum quum de capitis vulneribus, hic agimus, in mentem venit Curtius, superioribus annis in Italia medicus famigeratissimus, commentarius suis super Mundini Anatomia editis, vbi inquit, Apud Galenum cranei laminas duas num-

quam se legisse, imò quòd Galenus earum num-
quam fecerit mentionem, quod nunc tanti viri
pacè dixerim, errat, quum Galenus in quo ille
abunde versatus videtur, libro sexto *Methodi*
medendi, eiusdem numeri capite, earum memi-
nerit, quarum non tantum duarum sed etiam
trium facere mentionem videtur: quum dicat er
go de fracturis calvariae quaedam vsque ad secū-
dam laminam, quam Gracè *Διπλῶν* vocant,
perueniunt, quaedam vsque ad internam ossium
faciem, & cetera. In quibus verbis trium lami-
narum Galenum meminisse, visum est, quia post
primam, secundam collocat *διπλοὴν* dictam, spon-
giosam, sanguinolentam: quasi inter duas loca-
tam laminas, videlicet inter primā & tertiam
colore & figura fere similes, tertiam autem lami-
nam admittere Galenus videtur, quum dicat,
ad internam ossium faciem, sed in hoc magna
vis non est, siue enim per *Διπλῶν* secundam
laminam intelligit, cum interna inferioris ossis
facie, siue absolutè laminam tantum spongiosam,
sanguinolentam, cauernosam multis venulis ple-
nam, inter os supremum & infimum locatam,
vt eius verba innuere videntur, liquido constat
eum duarum laminarum cranei meminisse, &
meritò sanè, quum ab Hippocrate in hoc Gale-
nus primo doctus euasit, libro *De capitis fractu-
ris*, nō lōgè à principio, vbi Hippocras ita legim⁹,
Est autē duplicata lamina canissima ac mollissi-
ma

ma, & maximè antrofa. Est autem & totum os capitis excepta valde modica suprema, ac infima parte spongia simile, & habet os in seipso carunculas similes multas humidat, & si quis ipsas digitis conterat, sanguis utiq; ex ipsis prodierit. Sūt etiā in osse venulæ tenuiores ac cauiore, sanguine plene. Hæc Hippocrates. Nollem tamen ab hoc loco discedere priusquā hodiernos chirurgos morneam, in terebelli præcipuè vsu in capitis fracturis, quū periculosa admodū eius sit operatio, adeo ut Deum tester me perpaucos quibus terebello administratio hæc peracta fuit superstites vidisse, quin potius maiori ex parte moruos, aut prope obitum adductos, quia fortè cerebrū magna illa concussione afficitur, aut vehemēti illo motu, venula vna vel altera meningū rumpi contingit, aut quia meninges ipsas nō raro violat, & cerebri ipsius substantiā quoq;: vnde mors certa cōsequitur. quo fit nō immeritò ut huius instrumenti vsū Gale. & post eū Gracitā opere vituperarūt: ut apud ipsum Galenum legitur lib. vj. Metho. medendi, eiusdem numeri capite, ad hunc modū. Ac quæ per terebellum quidem ratio fungitur, parum tuta est, propterea quòd dum audacius eam tractant, duram membranam, quæ ossi substernitur, non raro violant: quibus verbis Paulus Aegineta, ut solet, ad stipulatur libro sexto sue medicinae, vbi de Calvaria fractæ curatione agit, quum dicat, At quæ administratio senis

AMATI LVSITANI

& modiolus, quem chenicion, siue chenicida Graeci vocant, peragitur recentioribus, ceu noxia improbata est, sed administrationem quam in rhogme exposuimus, probant. Porro quod hodiernum terebellum, & cuius frequens vsus apud huius aui chirurgos extat, idem sit cum terebello priscorum, in dubium verti posset. Ego verò longè differre inter se crederem, imò hodiernum hoc terebellum periculosius est eo quo viebantur antiqui: quia antiquorum terebellum dentata rota vice, clauum rotundum habet, crebris foraminibus, vt in lima cernitur ornatum: de cuius vsu ac operandi modo Hippocrates praedicto libro, De capitis vulnerib. multa docet. Tutius igitur est, si hodierni chirurgici in capitis fracturis, vice terebelli, rasorio scalpro ad cerebrum vsq; radant, & eo quidem multiplici, à Galeno summo opere laudato, vt rectè quoque Paulus annotat, primo latiori, dein minus lato, postea verò stricto. Cetera verò huic rei, ac de extrahendis ossibus doctrina faciètia, cōsilio praetermittimus, lectores ad praedictos Galeni, & Pauli libros citatos remittentes.

De cordis palpitatione, aegritudine,
 quam cordis tremorem medici uocant.

CURATIO XLIII.

Religiosa Maria, nobilis Florentina omnium mihi charissima iuuenis & morum sanctitate & pulchritudine insignis: quæ ætatis suæ annum vigesimum ingrederetur, de cordis palpitatione, tremore quoque dicto morbo, corripì cœpit, & eo quidem, ut paucis percipiebamus, ab humore qui in pericardio continetur plus iusto aucto, originē trahēte, quum ipsa magnam cordis eleuationem depressionēve persentiebat: adeò ut cor palpitare ac tremere sæpè inculcaret, & ita esse hæc testabantur, quia emaciari indies magis videbatur, & sæpe cum ingenti capitis dolore in syncopim incidebat: quæ tametsi rarò febricitabat, pulsus tamen languidus & mollem habebat, cum quibus omnibus iuueni huic assueti menses nunquam defuere, sed semper suo assueto more effluxere copiosi admodum & rubicundi. Huius igitur præclaræ & optimæ adolæ puelle cōsulturus salutis, Hippocratis & Galeni doctrina instructus, à sanguinis missione per iecorariæ sectionē auspicatus sum, ex cōque fluere permittens ad librā mediā, post quā sanguinis missionē syrupum hunc ebiberet mandauimus, qui habet.

R. Syrupi de melissophyllo, id est melissæ

12 AMATI LVSITANI

sucro saccharo parati vnciam vnā, syrups
 de pomis saporis, de menta, añ. drachmas
 sex, decocti senæ, cum additione pomorū
 camusiorū optimè redolentiū, vt Salman-
 ticæ, & Alcobatix, & Antuerpiæ cōperiū-
 tur, vel eorum vice, apianorū in Italia re-
 pertorum vncias quinq; cū albumine oui
 clarificetur, & scriptulo vno agallochi, id
 est ligni aloës optimi aromatizetur, & ve-
 sper ante cœnam duas horas iteretur, &
 per aliquot dies continuetur. Victus ratio
 in vniuersum exiccatoria & attenuatoria
 erat, sed optimi succi. At potus, vinū me-
 ratius est, pauca tamen in quantitate: cæ-
 tera verò quæ spiritū vitalem perturbant
 & resoluunt, abnegabantur: vt ira, timor,
 mœror, fames, vigilia, frigus, æstus, & cibū
 mali succi: aer tamen ad calidum & siccū
 declinabat. Preparata igitur ad exitū in-
 tra octo dies communiori totius corporis
 materia, per pharmaci ex rhābarbaro &
 agarico concinnatū, eā euacuauimus sem-
 per antè & post solliciti de alui responden-
 tia, clysteri vel balano, quando præcipue
 natura cōsuetā nō remittebat, à qua pur-
 gatione vno vel altero interposito die ad
 cordis regionem cucurbitulam vnā ma-
 gnā & multa flamma ignitam affigi fe-
 cimus, nō nisi, vt decet, prius cute per par-
 ua vul

na vulnuscule incisa, quo opere optimè valere dixit: quum post sanguinē per ea vulnuscule extractum, humor multus per eadem sale respersa, ad aliquot dies exuda-
uit. Sed postea epithematis cordialibus sepe admotis, & conseruis ventriculum & cor roborantibus comestis, ac iterata purgatione dicta, & cucurbitula iam applici-
ta, intra mensem ex toto sanata est: habēt autem epithemata sic, &c. Aquarum flo-
ris arantij, melissæ, añ. librā mediam, spe-
cierum diamoschi, diambrae, añ. scrup. ij.
croci optimi, gran. iij. vini maluatici vn-
cias duas, galliæ moschatae Mesuæ seru. j.
garyophyllorum, corticum citri, añ. dra-
chmam mediam, florum arantiorū, pseu-
dodiptami, añ. drachmam vnam. Omnia
in olla noua, vt decet, tractentur, & ad
ignem admotā, in iisdem pannus ruber
cocco, vel charmusino infectus immer-
gatur, & paululum expressus sic calidus
cordi adinoueāt, & sepe innouetur. Huic
verò epithemati, varia alia parari pos-
sunt similia, modo medici simplicium
& adornantium exactam cognitionem
habeant, aliter non secus ac artifices cæci
habebuntur, qui nihil præter à libris e-
mendicata, miseris ægrotantibus non si-
ne ingenti periculo describunt. Sed quali

AMATI LVSITANI

iudicio, docti norunt, ex multis tamē simplicibus pauca hæc ad institutū nostrū faciūt, crocus, ambar, mosch⁹, styrax, agallochō, garyophyll⁹, macer, est macis, melissa, buglossus, zedoaria, zurumbet, bœn albū & rubrū, zibetū, santalus citrin⁹, flos arātorū, flos citri & limonū, flos roris marini, qui à pharmacopolis anthos particulariter dicit, flos pseudodiptami, flos myrti, vinū Cretēse, poma odorifera, os de corde cerui, modo verū sit, & varia alia, quæ cōsulto subticemus: ex cōpositis verò sūt, diambra, diamoschus, diāthos, pliris arconicon, citra condita, electuarium aromaticum moschatum à Mesue descriptum, electuarium rosatum Gabrielis: quanquam eo efficacius sit aromaticum rosatum à Mesue descriptum, raro in vsu habitum, electuarium lætificās Cōsiliatoris, ex differentia centesima nonagesima sexta decerptum, vel lætificans Rasis ex libro nono ad Almanforem & quinto continentis & varia alia quæ cōsulto prætermittimus. Sed temporis processu sacculum hūc cordi admotum semper deferēbat, qui habet, & Specierum diamoschi dulcis drachmas duas, diambra drachmam vnam, florum arantij, melissæ, buglossi, ana manipulum vnum, xyloaloes agallochi

chi dicti drachmam mediam, cinnamomi optimi & veri, garyophyllorum, croci, an. vncias iiij. corticum citri, vncias duas, omnia in puluerem redigantur, & fiat sacculus interceptu serico, & supra cor, vt dixi, applicitum deferat.

SCHOLIA.

T Radit Galenus libro quinto De locis affectu capite secundo. Est & alius affectus, palpitatio videlicet cordis, aut per se eueniens, aut cum suspitione quadam, quod in humore cor ipsum moueatur. Neque enim mirum videri debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in tunica cor ambiente, vt ipsum ne attollatur impedire possit: quippe in animalibus dissectis vidimus plerumque plurimum humoris vrinae speciem referentis, in eo qui ipsum inuoluit panniculo contineri. Etenim simia quaedam quae emaciari in dies videretur, eam tamen necessarius nostru negotiu impediti secare in tempore non potuimus, post mortem vero reliquis corporis partibus omnibus illasis, inuētus est in ambiente cor tunica tumor praeter naturam humorem in se continens, qualem pustulae, quas Graeci hydatidas vocant, emittere solent. Atq; in gallo quoque vidimus cordis tunicam huiusmodi tumore & quidem duro affectā, perinde ac si plures crasse membrane inuolutae altera alteri fuissent. Verum in eo nihil humoris continebatur.

AMATI LVSITANI

unde verisimilis cōiectura elicitur, homines etiā
 similibus posse affectibus infestari, hactenus Ga-
 leni verba, quæ sic ad amussim citare placuit, vt
 Zoaris errorem libri sui Theisr in presenti pa-
 tesfaciā: qui prædicti libri parte prima cap. quar-
 to tractatu duodec. audeat dicere Galenū huius
 morbi nullam penitus fecisse mentionem, sed quo
 errore, norunt omnes a nobis citata Galeni ver-
 ba legentes, quæ Auicenna, vt solet, non sinit
 Fen vndecima libri tertij, tractatu secundo, quo
 de cordis tremore agit, & Actius sermone octa-
 uo sua medicina, capite quinquagesimo octauo,
 & post hunc Paulus libro suo tertio capite trige-
 simo quarto. Ceterum ex dictis satis liquet Cur-
 tium in Mōdini Anatomia hallucinatum, quā
 de humore in pericardio contento agat folio du-
 centesimo nonagesimo quarto: vbi Zoarem fortē
 fecutus aquam illam in panniculo cor ambiente
 non reperiri contendit. quod si reperitur eam in
 corpore egrotante vel mortuo reperiri, minimē
 verō sano contendit: cuius rationes vtpote scul-
 beas prætermitto, quum aqua hæc etiam in cor-
 pore inculpate sano reperiat, vt ex Galeni ci-
 tatis verbis facile quis percipiet. Vnde verō aqua
 hæc oriatur, & ad quem finē orta sit, vt Curtio,
 & alijs Curtium sequentibus, satisfaciamus,
 Hippocratis verbis respondemus, qui aquā hanc,
 in eo qui cor inuoluit panniculo contineri, cor-
 pore optima fungente valetudine tradit, vt apud

eum legimus initio libri de corde ad hunc modū,
 Cor figura velut pyramis est, colore autē abunde
 puniceo, & tunicam leuem circumdatam habet,
 & est in ipsa humor modicus velut vrina, vt pu-
 tare possis in vesica cor diuersari, facta est autē
 ea gratia, vt sanum in custodia florescat: habet
 autem humiditatē tantā, quanta satis est aestuā-
 ti in medelam. Caterū hunc humorē cor emin-
 git, bibendo ipsum assumens ac consumens, pul-
 monis nimirum potum lambens, & cetera, quae
 Galenus saepe in eius doctrina inculcat, dicens po-
 tus aliquid semper in asperam arteriam errare,
 qui humor à corde attractus, postea ad ambien-
 tem tunicam remittitur: plura verò, quae huic rei
 facere possunt, consulto praetermittimus, quando
 haec iam nunc sufficiant, & eo magis si noueri-
 tis cardiacum morbum oris ventriculi affectio-
 nem esse, non verò cordis, porrò cucurbitulā cor-
 dis regioni admotam, vt summum remedium in
 hoc morbo habeto.

De dysenteria, simulq; de pulsu
 intermittente,

CV RATIO XLIII.

Arboſius vir medicus doctus,
 & longa experientia praeditus,
 temperaturam bilioſam ſatis
 exuſtam habēs, & ita exuſtam.
 vt à quauis vel facili cauſa in morbos &

AMATI LVSITANI

affectiones incidat, nunc in dysenteriam lapsus est adeò periculosam, vt intra noctem & diem hominem centies egerere coëgerit: erat autem humor egestus coloris in vniuersum cineritij multus, pauculo admixtus sanguini, cum quibus parum febriabat, sed circa iecoris regionem dolebat, velut intestina crassiora ipsa. Ad quem sequenti die vocatus, hominem timidum & viribus imbecillem comperio, cui pulsus imbecillis & contractus erat, quo factum est, vt scopus noster eò dirigeretur, vt vires repararemus, & fluxum cohiberemus: quorum primum optimis eduliis compleuimus, secundum verò clysteribus, primo lenientibus, postea verò ex sepo hircino & similibus confectis, de quibus secunda Centuria Venetiis excusa multa diximus: quibus & nonnullis iecori necessariis admotis, quæ refrigerandi & roborandi facultatem obtinent, breui vel intra diem dysenteria cohibita est, & ex toto æger intra triduum sanatus. Cæterum quum probus hic vir extra domum exiret, & proprium suum pulsum obtre-
ctans, ipsum intermittentem comperisset, ad me vt de eo sententiam ferrem peruenit, non sine mortis tamen timore: quam simile pati iam olim quum iunior

gra

graviori morbo apud Lusitanos corripere-
retur inculcabat, quinquagenarius autē
vir hic est. Ego verò amici arteriarū pul-
sus optimè considerans, comperio singu-
lis decem pulsationibus æqualiter respon-
dentibus, ita arteriarum motum deficere,
vt eo intervallo pulsationes duæ cum di-
midia compleri possent. Stabat autem ac
interquiescebat singulis decem pulsatio-
nibus pulsus vt dixi, ita vt ea temporis in-
tercapedine, qua occultabatur, pulsatio-
nes duæ cum dimidia eleuari poterant:
quod quum perciperē, eum bono animo
esse iussi, quum etsi vitalis facultatis im-
becillitatem indicabat, nihil tamen peri-
culi iam tunc minari, præsertim in homi-
ne quinquagenario nulla febris correpto,
dixi: ille verò vt rei medicæ experientissi-
mus, sic in me obiicit. Barbofius. Non
me latet Amate amice, tamet si cultiorem
Galenī doctrinam non teneam, intermit-
tentem pulsum omnium pessimum esse,
quum vt mors actionis vitalis omnimo-
da destitutio sit, ita pulsus intermittēs vi-
talis facultatis impotentiam maximam
arguit, quia ab opera sua destitit, & mor-
ti in hoc similis euadit: sed quū apud In-
dos (vt nosti) permultos egerim annos,
apud quos cultiores literæ non habentur,

AMATI LVSITANI

nec Galeni præclara doctrina exercetur, rogo te huius intermissione causam ex Galeno adferre ne graueris: quia, ut nosti, Auicenna in hac de pulsibus tractatione segniter & pigre in suo se gessit canone, hanc verò nouisse causam non parum voluptatis mihi adferre putarem: mortales sumus, & summis philosophis similes euademus, quando præcipue de morte & eius causis inter nos contemplatio fuerit, quum (ut scis) mortis contemplatio & de ea elocutio summa est philosophia. Homines nanque Deum timere allicit, & eos ipsos erga mortales beneuolos esse conuocat. Amatus. Rectè ô Barbosi hæc à te sunt dicta, & magno cum iudicio prodita: vellēt dij omnes hodierni medici tibi similes forent, ac tunc artem medicam non tam temerè sed magna cum prudētia & discursu insigni, ab eis exercitam iri non dubitarent. Sapiunt autem tua hæc Galeni præclaram doctrinam, & solidiores ac meliores redolent literas, imò sophistarum gyros ac cautiunculas longè fugere videntur: non immeritò apud eos, qui in ea, quæ tandiu egisti prouincia, imperio præerāt primus medicorum habebaris, te tanto viro non solum pro morbis propulsandis utentes, sed rebus in difficilimis & dubiis

obscuro

obeundis tui consilium petentes, unde nō
 contemnenda bona fortunæ tibi contraxi
 sti, vt vitam hanc tranquillè & modestè,
 vt nunc transigis, percurrere possis: faxint
 dij te nobis diu sanum & incolumem ser-
 uent. Nunc verò, vt tui voti compos fias,
 audi: alius enim ordiar, & eo magis quia
 dicēdi latos campos habemus, & eos qui-
 dem Galeni Asiaticos, à quibus postea o-
 mnes hortos suos exornarunt: ditissimus
 etenim hic medicinæ Oceanus est, à quo
 omnia medica flumina, riui, fluuij, & fon-
 tes, originem suam trahunt: & eidē post-
 ea, si modo recto cum iudicio consideren-
 tur, accepta referre debent. Hunc igitur
 insequi & mordicus tenere, ac optime in-
 telligere, summum medicum est opus. Is
 igitur libro secūdo De præfagatione, siue
 præcognitione ex pulsibus, ne sermonem
 amplius prorogemus, inquit, Intermittēs
 pulsus necessario est inæqualis: nūc enim
 in trinis, nūc in quaternis, ac nonnunquā
 in quinis ictibus, vel etiam in pluribus in-
 termittere inuenitur. Barb. Meus autē
 pulsus singulis decē ictibus, vt rectè perce-
 pisti, stabat: & tempus quo duos ictus &
 alterius medium arteria percutere pote-
 rat, remorabatur. Ama. Ita res habet.
 Lacuna, Si superuixisset Galenus de hoc

AMATI LVSITANI

pulsu non satis admirari desineret, & eo magis quia similem pulsum quum ægrotantis euasione nunquam vidisse, citato testetur libro. Ama. Ita Galenum velle videtur ô Lacuna, sed eius per te citata sententia mica salis (vt dici fertur) con-dienda est, & sano iudicio intelligenda.

Barb. Rogo vos viri prudentissimi, vt alij medici ex hac nostra ægrotatione do-cti euadant, inò ne quum in similes pul-sus habentes peruenerint, ægrotantes ipsi mirentur, Galeni de hac re verba in me-dium afferre ne dedignemini. Amatus.

Id facilius Lacuna præstitisset, si modo vellet, quum Galenum apud se arctiorem habeat. Barb. Rem sanè gratam & albo lapillo signandam mihi perdoctus faciet Lacuna, si modo quum Galenum in Epi-tomè redactum adduxerit, eius ex integro expresserit animum. Ama. Complebit sanè, & tuis respondebit votis ita clarè & appositè, vt nihil quod desideres, amplius habeas. Galenum nanq; non raro percur-rentem ita dilucidè & clarè perstringit, vt pro Galeno intelligendo nullo altero enarratore opus iam habeant medici, quã vno Lacuna, annuere vel inuite debeas. Barbo. Felix ætas quæ talem nacta est virum: nouisti tu ô Amate quum superio-ribus

ribus diebus ambo nos apud officinam
 librariam quandā conuenissemus, eo ani-
 mo vt recentes quosdam libros Veneriis
 excusos emeremus, ibi quidam (vt fieri so-
 let) interuenere medici, Lacunam appri-
 mē vellicantes, quia Galenum authorem,
 cuius ne apex quidem non legendus est,
 lacerasset, & eum truncum & mutilum
 reddidisset, non minori piaculo quā si
 Phidiacum Iouem, aut Gnydiam Venerē
 detruncasset. Ama. Memini quidem, sed
 eos suis cum magistris sordidis & barba-
 riem adhuc redolentibus reiecimus: tu ve-
 rò Lacunā ad nos redire cura, & eum au-
 dire ne pigeat. Barb. Hominem per pue-
 rum hunc accersiri curarem, nī ad nos se
 illico rediturum promississet. Ama. Apud
 nos nunc vir humanus & bonus agebat,
 sed eū à nobis lupus ille subniger, vaser,
 linguax, & male morigeratus, legum im-
 peritissimus, retraxit. Barb. Noui lupū
 illum linguacem, quī olim Romæ apud
 diui Antonij sanum habitabat, ob quem
 & sibi similes Pythagoras primus philo-
 sophus in suis symbolis dicere solebat, hi
 rundinem, id est loquacem domi ne reci-
 pias. Ama. Apage apage Barbofi, nā La-
 cuna apud nos est: quem, si placet, rogita,
 suum breuiloquum Galenum in hac, de

AMATI LVSITANI

qua agimus, te in medium afferat. Barb. Id diligēter curabo, sed tu Lacuna quum spectatus ad nos redeas, adeò vt propter te absentem propositam à nobis quæstionem hucusque subticuerimus, & eam sermonem ad alia diuertendo, indiscussam reliquerimus, dignare Galeni tui in Epitomen redacti, verba quæ ad rem facere videntur citare. Lacuna. Lubenter faciā, & æquo animo prouinciam suscipiam, & eo magis vt pulsus tui intermittētis exactam notitiam habeas: audi igitur. Galenus citato per vos libro capite quarto, ita in mea legitur Epitome, Si arteria duorū pulsuum tempus, aut paulo amplius, intermittente arteriarum motu: sæpenumero conspeximus hominem liberari, præsertim quum ætatem senilem ageret, etenim facultates languidæ, à paruis sæpè occasionibus offenduntur: firmæ autem tantum deiciuntur à maximis. proinde qui habitu sunt valentes, diuq; à morbis immunes fuerūt, periclitantur, si eis prehendantur. At imbecilli quique assiduè obiecti ad omnes suas causas facillimè restituuntur: quòd scilicet horum nemo, quum à qualibet lædatur vel minima, magnam causam expectet. Itaque intermittentes pulsus minus perniciosos possidēt
senes

Senes quàm iuuenes: mox pueri ab illis,
 quod concoquāt digerantq; per halitum
 humorum copiam & crassitudinem, quæ
 intemperies inæquales produxit, quum
 nimirum concoctrice facultate sint vali-
 dissima, corporeque mollissimo ac facile
 perspirabili. Iam verò naturalis arteriæ mo-
 tus sanitatē refert, vitiosus morbū, omni-
 no intermissus mortē. Et quemadmodum
 soluere apoplexiam ingētem quidem est
 impossibile, leuem autem non facile: sic
 intermissio diuturna pulsuum vt tolla-
 tur, fieri non potest, brevis autem potest:
 haud tamen citra negotium. Caterū
 diuturnam voco, quæ excedit duorū pul-
 suum curriculum: breuem, quæ intra duo-
 rum pulsuum tempus manet. Iam mors à
 pulsibus intermittētib; repentina cor-
 ripit, non aliter ac ab apoplexia: utrobique
 enim cordis calor extinguitur destitutus
 respiratione. haftenus Galenus in mea
 dicta Epitome. Amatus. Optimè sa-
 nè ō Lacuna à te hæc pro coronide sunt
 dicta, quæ vt Barbofius noster quoque &
 assistentes facilius intelligant, ad præ-
 sens ipse resumere non grauabor, quando
 quæ bona sunt, (Galeno ex Platone sæpe
 inculcāte) bis ac ter repetenda sunt. Bar.
 Rerū similium nulla est satietas: perge,

AMATI LVSITANI

perge Amate, quum hæc ex genere sint rerum, quibus ea inest vis, vt quo sæpius accipis audiat, hoc magis ac magis placeant: non enim hæc vulgaria sunt, quæ initio arrident nouitate ipsa, sed mox repetita fordescent & abhorrent. Amatus. Spõte currenti (vt Plinij iunioris adagione vtat) calcaria addis. Galenus ergo, vt multa paucis comprehendam, ita inquit, Pulsus omnino intermissus mortẽ refert, & qui magis ad intermissionem accedit, eo magis ad mortem accedit. Secundo, intermittentes pulsus minus perniciosos sc̃nes obtinent, dein pueri, omnium maxime iuuenes: quia à maxima causa similes pulsus illis euenire credendum est. Tertio in dubium vertit Galenus, an viuere quispiam possit, quum duorum pulsuum motus intermissione, imò fieri non posse affirmare videtur. Barbof. Proh dij immortales, si ita vt Galenus sentit res habet, quomodo superstes ipse sum, quia arteria metacarpij mei, duorum pulsuum tempus & amplius morabatur, & stabat? Ama. Verum ò Barbofi Galenus tradit, quia de iis qui continuis & malignis febribus corripuntur, locutus est, quibus si similis cõtingat pulsus, euadãt impossibile est, secus autẽ de iis qui quã affectionibus

bus vexantur, absq; tamen febre reperiuntur, vt tibi euenisse obseruasti. Lacuna. Placent sanè hæc, ô Amate, quia Galeni exactum animumprehendant. Caueas tamen intermittens hic pulsus Barbosio naturalis sit, non verò ascititius & præternaturalis. Amatus. Huius rei satis sum cōscius, & eo magis: quia quum bene valeat Barbosius, pulsum bene pacatū & rhythmicum, hoc est proportionem temporis ad tempus, habentem possideat. Bar. Compertusne fuit quispiam secunda & prospera fungens valetudine cum simili intermittente pulsu? Amatus. Maximè, & eius Galenus mentionem fecit aureo illo libello De præcognitione, capite vltimo, in quo de œconomo morbo laborante agit, cuius pulsum per naturam intermittere cōtra omnium aliorum medicorum iudicium nouit, & nos quoque superioribus diebus Illyricum quendam monachum ordinis prædicatorij febre maligna affectum curauimus: cui intermittens erat pulsus, & vt postea deprehendimus, illi naturalis. Barbo. Quum igitur intermittens pulsus mihi naturalis nō sit, vnde intermissionem illam traxerit meus eo tempore dicatis rogo. Amatus. Pulsus intermissionis causas referens Galenus

AMATI LVSITANI

libro secundo De causis pulsuum, capite tertio, ita breuiter inquit, Non solum facultatis infirmitas inducit intermittentem pulsuum, sed & instrumentorum valida oppilatio, aut compressio & costrictio ubi nihil prorsus arteriae allicere valeant. Lacuna. Horum verborum, si rectè teneo, Galenus meminit, libro secundo De praesagatione ex pulsibus, capite quarto: ubi rem hanc diffusius tractat, & in Epitome mea ita habet, Inaequalium pulsuum quidam in vno ictu inaequalitatem sortiuntur, alij verò in plurimum aceruo, quae collectiuam inaequalitatem appellant: omnes autem in vniuersum, aut ex obstructionibus, aut ex compressionibus instrumentorum, aut abundantia humorum ad facultatem collato, aut cordis inaequali intemperie constant, estque inaequalitas incommodior, quae circa vnum pulsuum, quam quae circa aceruum versatur. Iam verò intermissio motus arteriae, siue in vno pulsu, siue contingat in pluribus, periculosior est aliis inaequalitatibus omnibus: ut igitur à collectiua (quae apertior est) iuspiciamus, facultas ipsa gignit intermittentes pulsus, vel grauata, vel impedita ob crassitudinem aut copiam humorum obstruentium, aut opprimētium arterias, aut etiam occupan-

rium

tium spatia, in quibus illæ distendi solent. Est quum inflammatio vel scirrhus corpora incumbens arteriis infestans earum distentionem coërceat. Si verò ipsarum arteriarum tunicas tale quid occupauerit, maius periculum imminet: sicuti extremum malū, si cordis corpus inuaserit. nā ij subito syncope corripuntur. At intēperies cordis nō est perinde exitialis, sed est longē mitior inflammatione: & cætera, quæ tu tuo arbitrati percurrere poteris. Bar. A mala igitur qualitate varia, calida, aut potissimū frigida, vel humorum obstructum multitudine intermittentes exoriri pulsus ex Galeno (vt percipio) asseueratis. Lacuna. Ita res habet. Barb. Meus ergo à qua harum causarum ortum trahebat? Amatus. Vt ipse reor ab humoris cuiusdam superexcedentis mala qualitate, qui cordis sinibus continebatur, & inæqualitatem efficiebat prædictam: quia in te, vt sæpe sum expertus, vitiosi humores qualitate potius quàm eorum colluuiē, aut quantitate magna peccant. Item quòd cor eo tempore maximè dolebas, quæ omnia prædicta attestantur causam, quam nos illico à propinatis non exultabilem respicientibus syrups & decoctis, leuiori quodam pharmaco deposuimus,

AMATI LVSITANI

& pulsus suos rhythmos denuo adepti sunt, & tu pristina sanitati restitutus fuisti. Barb. Apud eos, quos ipse perlegi, autores, si tenacioris memoriae beneficio teneo: memini me intermittente pulsum propter humorem cordi molestum, & ad eum guttatim fluentem euenire legisse. Lacuna. Fieri posse intermittentes pulsus ex ea causa non nego, sed tu o Amate, ut colophonem curationi huic imponamus, dicas rogo Barbosij intermittens pulsus, quas alias pulsum inæqualitates & differentias comitabatur? Amatus. Diceré lubenter, ni omne saxum (ut fertur) mouere necesse esset, hoc est vniuersam de pulsibus doctrinam in medium afferre: nunc tamen satis superque mihi dixisse visum est, si cum Galeno dixero pulsus raros intermittentibus finitimos esse: quia arteriæ intermissio per pulsus raritatem introducit, & per eandem ad pristinam mediocritatem reuertitur: ut in hoc Barbosij pulsu percipiebamus. Lacuna. Nō carent igitur rari pulsus periculo, si intermittentibus sunt propinqui. Amatus. Verè, sed intermittentes raris sunt periculosiores, & morti proximiores. Sed vnū preterire non licet, quod raro pulsui aduersatur creber, sicuti intermittenti intercurrentis,

rens, & quòd ab iisdem ferè causis inter-
 currens euenit pulsus, à quibus intermit-
 tens originem trahit. Differunt tamen, &
 in intercurrente facultas cum noxiis cau-
 sis decertat, & pugnat, vnde sæpe intercur-
 rentes ij pulsus crīsim sæpe secum attule-
 runt: in intermittente verò facultas succū-
 bit, & non valet contra noxias depugnare
 causas, vt Galenus prædicto secundo lib.
 De præfagatione ex pulsibus, capite quin-
 to dixit: is enim finē impono, modò scia-
 tis pulsum naturæ optimæ temperatissi-
 mum aliorum omnium regulam & men-
 suram existere. Barbo. In eo igitur qui
 ægrotat, pulsum magnitudines & varie-
 tates referri debent semper ad temperatū
 pulsum, & non ad ipsius pulsus, eo tempo-
 re quo sanus erat, & rectè valebat. Ama-
 tus. Ita est: & Galenus lib. secundo De di-
 gnoscentis pulsib. idem assentitur. Bar.
 Hoc Galenus innuere videtur: quia quum
 ægrotātium infinitæ sint pulsum varie-
 tates, necesse est pro illis exactè venādis,
 & vt de eis verum iudicium habeamus, ad
 vnum pulsum temperatum, tanquam nor-
 mam & regulam, ac Polycleti exactissi-
 mam statuam, omnes pulsus referamus:
 tunc enim habita cognitione pulsus tem-
 perati, medicus facile diiudicabit cæ-

AMATI LVSITANI

terrorū pulsum varietates, et si multum vel parum ab eo distant: item si eum excellunt, vel non assequuntur, aut omnibus numeris illi sunt æquales. Ceterum quum hæc vera sint, crederem quoque ipse Galenum nunquam negasse ægrotantium pulsum, quorum in sanitate notitiam habuimus, non ad temperatum pulsum esse referendos, sed magis ad suos sanos. Amatus. Arrident hæc ô Barboſi, quia ad Galeni mentem dicta, at quia paucorum hominum pulsum cognitionem in sua sanitate existentium habemus, ad quos quum ægrotant referri possent, ea de causa Galenus sapientissimè ad temperatum pulsum collatio vt fiat, suadet.

Docetur hic quòd Hippocrates pulsum cognitionem habuerit,

CVRATIO XLV.



ET de pulſu intermittēte quum agebamus, illico à docto quodam quæſitū illud vulgare, sed ſcita dignū, propositū fuit, An Hippocrates pulſus cognitionē habuerit, cui nos breui, ne lectorū animos remoremur, reſpōdemus, Hipp. nō tātū à reſpiratione, quantū ab ipſarū arteriarū pulſatione ſignū deſumpſiſſe pro morbis dignoſcendis,

dis, id quod nūc paucis ex eius diuinis monumentis indicabimus, & primo Hippocrates in se genuino suo libro, vt Galenus credit, de humoribus, quum multa & varia à medico considerata proponit, pulsus absolute inter ea meminit, volens forte in capite tēporum arteriarum pulsus, quorū saepe meminit, nō tā à medicis esse explorādos, quantū ij qui circa metacarpium deprehēduntur. Hippocratis autem verba citati libri non longē à principio legere quis poterit. Sed quod alibi saepe pulsus memoriam fecerit, Hippocratis extat sententia lib. septimo De morbis popularibus, in Pythodori historia, cui pulsus, quum cætera graua erant, non defecisse tradit: quo in libro pulsuum saepe mentionem fecit, (vt paulò inferius cōmōstrabimus) & alibi saepe, arterias ipsas venas vocando: vt lib. De locis in homine, nō procul à principio legitur, & libro De alimentis prope finem, vbi à doctis & iis qui Hippocratis animum in hac re ex integro tenere cupiunt, verba perpendi debent. & ita habent, Venarum pulsationes, & respiratio spiritus, iuxta ætatem & consonantia, & dissonantia sunt, & morbi & sanitatis signa, & sanitatis magis quā morbi, & morbi magis quā sanitatis.

AMATI LVSITANI

Cæterum quod arterias Hippocrates venas pulsátiles vocauerit, testis est Galen. libro sexto De placitis Hippocratis & Platonis dicens, Vocatur autem à vetustissimis medicis philosophisq; hoc vasorū genus alteri similiter vena, ab aliis verò arteria, id quod pulsat, quod pulsus expers est vena: & subdit, Itaque Hippocrates appellans venam arteriam hanc, ita scribit in secundo Epidemiorum libro, Cui vena in cubito pulsat, is furiosus & iracundus erit, cui autem lentè, torpidus: quæ verba ipse repetit libro illo, cui titulus est, Quod animi mores sequuntur corporis temperaturam, inquit, Quorum vena in cubito pulsatu mouetur, hi furētes sunt, & iracundi: quibus verò quiescit, hi torpentes sunt, ac stupidi. Horum autem verborum hac vis est, quibus hominibus cubiti arteria vehementissimum edit motum, isti furentes sunt: venas enim & ipsas arterias veteres appellabat, & cætera: plures verò Galeni de hac re locos cōsulto prætereo: quos quisque hodie vel pinguioris Minervæ medicus querere poterit, Brasavoli præsertim ex Galeno collectum indicem si ante oculos habuerit: quem, dii vel lent, in lucem vir doctissimus nunquā misisset, ac non iam hodie vel veterinarij &

mul

muliones, de medicina garrire cœpissent. Cæterum quum Hippocratem pulsuum cognitionem habuisse expresserimus, ne quis pertinax dicere audeat, pulsus tantum arteriarum, quæ circa tempora obrepunt, ipsum dignouisse, non verò earum quæ in manus carpio sunt, ipsius Hippocratis vnamvel alteram auctoritatem placuit adducere, vt hinc satisfactus euadat, noscatq; Hippocratem harum quoque arteriarum pulsus circa manū cognouisse, id quod clarè libro septimo Epidemiorū percipitur, vbi potissimum Theodori vxoris ægitudine prosequitur, & ita inquit, Erat autem ad manum frigidius corpus arteriarum, quæ verò in temporibus sunt etiam magis saliebāt, & spiritus densior, & cætera: ex quibus verbis liquido constat Hippocratem exvtrisque arteriis signū desumpsisse, quod Galenus noscens libro quodam suo De pulsibus inquit, Mortem etiam inter loquendum ex pulsu Hippocrates imminētem cognouit. At quia pulsuum differentia exactè non tenebat, velut nec post eum longè Erasistratus, ea de causa multis suspectū erat Hippocratem pulsuum notitiam non habuisse: quod Galenus non prætermittens libro tertio de Crisibus, ita tradit, Sed signa ex pulsibus

AMATI LVSTITANI

sumpta Hippocrates vel quia non nouerāt, vel quia non magni momenti existimauit, idcirco non est exequutus.

De stomachi cuiusdam erosionibus, ad quas postea supra mamillam sinistram sequuti sunt carbones siue carbunculi tres,

CVRATIO XLVI.



Ntonius Chius homo vinosus, ætatis suæ anno quinquagesimo quinto, properante hyeme circa ventriculum erosiones, & morsus quosdā patiebatur, sentiebātve, & ita infestantes, vt viscera illi dilacerari exclamaret. Præsens igitur ipse, & eius ventriculum infra cartilagine[m] ensiformem (seu malum punicum, aut malū grauatū dictam) quæ disertissimis anatomicis in medio perforata cernitur, vt ipse sæpè vidi, tangens subduriusculū intenni. Protinus igitur cōtra morbū agentes nos, exterius fomētū emolliēs & dolores leniēs, cū spōgia sæpe admoimus, & interius oximel cōpositū illi dedimus, ac postea interiectis paucis diebus, catapotia illi propinauimus ex hiera cū agarico, quibus optimè egressit, & sequēti die stomachi dolore leuatus fuit. Sed circa papillā
sinist

sinistram carbūculi tres apparuere: tunc
verò febriebat, & mori desiderabat, sed
carbunculi ab emplastro ex scabiosa &
aliis variis medicinis confecto admoto,
breui extirpati fuerūt, & æger ipse ab or-
ci faucib⁹ liberatus. Cæterum quū bene
haberet, vinū meratius in quātitate ma-
gna ebibebat: ex quo iecur exassatū inatū
calidū amisit, & cōsequēter eius vniuer-
sū corpus tumuit, & intra sex mēses obiit.

De duplici tertiana,

CV RAT IO XLVII.

Dionyfius Ricius de mōte san-
cto victo, iuuenis robustus &
fortis, quū carcere clauderetur
in duplicē tertianā continuam
lapsus est. Nam quum continuò febrirer,
singulis diebus horrore corripiebatur:
huic bis brachij iecoraria secta fuit vena,
& sanguinis libræ duæ extractæ. At quū si-
ti intēssima vexaretur, illi gelidā ad sa-
tietatē dedi, qua multa vomuit: & tādē se-
ptimo die crīsim per sudorem vniuersum
corpus irrigantem habuit, & sanus eua-
sit. Cæterū i reliquis, vt decebat tractatus
fuit, nec pharmaco purgāte opus habuit.

De scirrho in iecinore,

CV RAT IO XLVIII

m iij

AMATI LVSITANI



Archi librarij Veneti sororius, in
iecinore tumorem scirrhum
diuturnum patiebatur: nunc de
mum febris cum ingenti circa
ipsum iecur dolore corripitur. Occupat
autem scirrhus hic iecinoris gibbas par-
tes, vt ex iis deprehendebamus signis, pri-
mo & fissurarum partium inflammatio-
nes per alia potius accidentia, quam per-
tactum inuestigare oportet, vt suadet Ga-
lenus libro quinto De locis affectis capi-
te septimo, gibbarum tamē partium scir-
rhi tactu facile deprehenduntur. Erat igi-
tur iecinoris durities, & dextræ præcor-
diorum partis ingens grauitas, & pecto-
ris cum iugulo retractio, cum quibus tuf-
fis exigua sed sicca quædam erat, omnia
me hercle cū vrina gibbas iecinoris affe-
ctas partes indicantia, Nam concauis ieci-
noris partibus affectis, magis stomachus
& intestina affici consueſcunt, vt ex Gale-
no citato, & variis aliis, docti euadimus.
Morbo igitur perspecto & hominis viri-
bus consideratis, cuius anteaſtū victū, vt
pote malū succū gignentē ipse expēdens
illico à minorante pharmaco orsus sum,
& ita habet, ℞. Syrupi rosati solut. vnc.
iij. Syrupi de cico. cū rhabar. vnc. j. diaca-
tholiconis, diaphiniconis, añ. ℥. iij. aquæ,

cicoreæ vnc. iij. misce, fiat potus, deĩ in au-
 rora, & desuper per horam dormiat: cum
 quo alius optime respõdit: sequenti verò
 die ab iniecto lauante clystere hoc vnguẽ
 to illipitum iecur fuit. R. Emplastri
 de meliloto vncias duas, vnguenti fantali
 ni vnciam vnam, pulueris rosarum, camo-
 millæ, absinthij, añ. vnciam mediam, olei
 rosati, absinthini, ceræ, añ. quantũ ad lini-
 mentũ sufficit, misce, & ad ignem vt decet
 paretur, quo bis in die iecur inungatur:
 tertio verò die post alui resõndentiam
 basilica dextri lateris incisa fuit, & ex ea
 sanguinis vnciæ sex effluxere: cum iis au-
 tem febris vigeat, & dolor iecoris instat,
 ob quæ singulis diebus, singulos ebi-
 bebat syrupos, non nisi in aurora ieiuno
 stomacho, quos vesperi ante cœnam horã
 vnã vel alterã iterabat, habet autem syru-
 pus sic, R. Syrupi de cicorea cũ rhabarba
 ro vnciã vnã, acetosi cõpositi vnciã mediã,
 aquarũ endiuiæ, lupulorũ, fœniculi, añ. vn-
 ciam vnã, misce: fiat syrupus, ex iis verò
 nõnullis ebibitis syrups, & concoctione
 in lotio apparẽte, sequens illi propinaui-
 mus pharmacum: R. Syrupi rosati so-
 lutiui vncias tres, diacatholiconis vnciã
 mediam, rhabarbari optimi scriptulos
 quatuor, agarici albi recens parati scri-

AMATI LVSITANI

ptulos duos, cinnamomi scriptulum medium, in decoctione florum & fructuum fiat haustus vnus, detur in aurora, & desuper per horā dormiat: hoc verò ita bene habuit, vt à febre & dolore ferè liber euaserit. Sequenti tamen emplastro ad aliquot dies vsus fuit, iecori id adinouendo, quod habet, &. Farinæ hordei, lupinorum, camomillæ, añ. vncias tres, omnium santalorum, añ. vnciam vnā, pulueris rosarum, absinthij, spicæ nardi, añ. vnciam vnā & mediam, schœnu anthos, croci, asari, seminum petroselini vulgaris, dau-ci, anisi, apiij, añ. vnciam mediam, omnia decocto asari & capillorum veneris excipiantur, & fiat emplastrum: cui addē acetī rosati vncias duas, olei nardini, camomillini, añ. vncias duas, & ad ignem, vt decet, paretur emplastrum, & iecori imponatur: iis enim æger hic bene habuit, non tamen vt ex hoc scirrhusō tumore omnino sanus euaderet, quando Galenus libro secundo ad Glauconem, capite quinto dicat, Scirrhū diuturnū nec ipse vnquam sanauī, nec alium vidi qui posset: qua de causa ad balneas, quibus vniuersa ornatur Italia, iret consului.

SCHOLIA.

Sunt duo hæc viscera iecur & lien, opportu-
 missima ad scirrhum, ut meminit Galenus
 Methodi medendi libro decimo tertio, capite quin-
 todecimo, & sextodecimo, in quibus Attalum
 Thessalium medicum & Sorani discipulum re-
 prehendit, qui præsertim Theagenem Cynicum
 philosophum interficeret: ita enim inibi Galenus
 ait, Opportunissima namque ad scirrhum sunt
 hæc duo viscera, iecur & lien, si quis parum habi-
 ta de his ratione glutinoso cibo utatur: & infe-
 rius, Quippe iocinoris substantia, scirrhis maxi-
 me opportuna est, utpote quæ naturaliter luto-
 sum quippiam continet: veluti medicus quidam
 nostri temporis, per iocum dixit, lienis verò ra-
 rior substantia quam iocinoris est, Ceterum cre-
 brius scirrhis vitii affligitur propter nutri-
 menti, quo utitur, speciem. Monstratum nam-
 que est, quod crasso nutritur sanguine, qui velu-
 ti limus purioris est, faciliusque nigra bilis effi-
 citur: ideoque etiam ipsum melancholicum siue
 atrum appellamus excrementum: atque hæc duo vi-
 scera scirrhis tumoribus tentari vel experiētia
 ipsa clarè indicat. Hæc Galen. in quibus tradit
 lienem crasso nutriri sanguine, imo eodē inquit
 libro, ipsum lienem crassiori uti alimento quam
 hepar, & quod tãto valentiora & potētiora lien
 postulat medicamēta, quanto crassiore quam he-
 par utitur alimēto, quibus verbis alia ipsius Gal.

AMATI LVSITANI

ex libro quarto De usu partium decerpta cōtra-
 ria videntur, quum dicant, lienem subtiliori quā
 hepar nutriri sanguine, quibus fauent alia eius-
 dem libri Galeni verba sic asseuerantia, Est au-
 tem splenis corpus rarum admodum atque laxū,
 spongiæ instar sic, vt crassos & melancholicos suc-
 cos faciliè trahat, excipiatq;. Ceterum splenis caro
 tamen si laxa sit, à pulmonis tamen carne magno
 spatio relinquitur: laxissima siquidem ea est &
 leuissima, parumque abest quin alba, vtpote ex
 spuma quadam veluti coagulata: nutritur enim
 ex purissimo sanguine, flauo, subtili, & spirituofo
 tanquam delato à corde: splenis autem corpus,
 quum tanto rarius hepate sit, quanto est crassius
 pulmone, merito ex tenuiori sanguinis parte nu-
 tritur. Consentiēs quippe est, ex arteriis quidē te-
 nuius, ex venis autē crassius nutrimentū transu-
 mi, quū tunica arteriarū quā venarū sit densior,
 & sanguis subtilior & vaporosior: atq; ex tali
 p̄stitit laxā carnē nutriri, veluti ex crassiori de-
 sam, in quibus verbis p̄ epitome citatis satis clarē
 percipitur, Galenū dicere splenē subtiliori sangui-
 ne nutriri eo, quo hepar nutriri solet. Nos p̄ hac di-
 luēda dubitatōe nō alius quā ipsius Galeni vte-
 mur verbis prædicto loco habitis, quorū summa
 hæc est, Hepar ex rubicūdo et crasso, splē ex subti-
 li sed nigro, pulmo ex elaborato ad vnguē flauo,
 subtili, spiritali, ac puro alimētū capit. Nā qui at-
 trahitur ad splenē sanguis, crassior est eo qui est

in hepate: quia tamē elaboratus ab arteriis quæ illic sunt, atq; adeo venis, multo densiorē tunicā habetibus quā quæ sunt in hepate, nō affatim neq; crassus carni splenis, sed subtilis & paulatim mittitur: ob id caro quidē huius visceris rarior & leuior est quā hepatis, non tamen rubicundior, aut flauior. Nam melancholicus erat is, quē purgavit humor, à quo elaborato nutrita est. Ceterū hepar, vt dixi, benigno, rubicundo, & crasso nutritur, in summa & breuius, qui attrahitur ad splenē sanguis, crassus & melancholicus est, antea tamen quā in ipsius splenis substantiam vertatur, ab arteriis & venis ipsius in subtilem & tenuē elaboratur. Porro medicamēta iecino-ri conuenientia, quōd cū astrictiōe roborent, esse debeāt, docuit Galenus variis locis suæ doctrinæ.

De icteritia ante septimum eueniente,

CVRATIO XLIX.



Ir qui continua febris cum accessionibus laborabat, totus ante septimum palluit, & ictericus factus est, tandem paucis adhibitis remediis breui sanus est redditus.

SCHOLIA.

Quibus in febribus morbus regius ante septimum accidit, malum dixit Hippocrates libro quarto Aphorif. Aphor. sexagesimo secundo, cuius verba non sic superficialiter sunt intelli-

AMATI LVSITANI

genda, quando plures videmus ante septimum regio morbo affectos sanos & liberos euadere. Intellige igitur ante septimum, id est ante materiarum in febribus concoctionē: tunc si febribus vigentibus aurigo supervenerit, malum, ut Hippocrates tradit, est. At quum ante septimum febres gignentes materias concoqui & à natura regulari contingat, sit inde, bilis ad cutem decretorie transmitatur, ex qua regius morbus fit, & eger recte se habeat. Hac si novisset Plinius, non tam facile Hippocratem concerpsisset libro sextodecimo Naturalis sua historia, capite duodecimo, imò Hippocrates ipse libro quarto De ratione victus in morbis acutis inquit, In biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem snatus morbum soluit, si verò absque rigore præter occasionem supervenerit, letale. Notissimum facio Averroem libro quarto sui collectorij, capite quadragessimotertio, qui plures icleritia affectos ante septimum sanatos vidit.

De angina in puero,

CVRATIO I.

PVer Ebenaser orientalis annuus, properante hyeme, quæ omnino sicca & temperata fuit, tumorem in gutture passus est, qui extra prominebat, & ad aurem usq; comprehēdebat, febricitabat, & non laetebat, saepe plorabat, & ut assistentes dicebant, prope obit

obitum erat: ad quem accedens ipse lannam succidam oleo cammomillino imbutam admouere feci, & intus ut rob mororum digito inderetur suasi, semper tamen quo mater optimis utatur eduliis persuadendo. At secundo die omnia ut primo erāt: proinde locum foris cinere hirundinum crematarū melle excepto illini magno iuuamento feci: porro puer quum nō egerebat, eius aluus balanulo, ex caule vel beta aut raphano parato cum mica salis irritabatur: tunc verò tertio sequenti die melius puer habuit, & lac optimè, suxit: quia tumor ab interiori parte ad exteriorem exiit, qui breui eodem admoto ex hirundinibus cinere exoleuit, eius tamen venter oleo de semine lini fouebatur, & capitis syncipiti brassicæ folium parum calidum apponebatur, nec id exsiccare permetteret mater aut nutrix cōmendabam. Caterū quum puer octauo die bene haberet, sed nihil egerebat, & adhuc circa guttur tumoris aliquid apparebat, hoc illi interdum daretur, consului: ℞. Syrupi rosati solutini vnciam vnam, olei amygdalarum dulcium recentis, vnciam mediam, benzuini nigri & optimi, quod myrrham verā esse in nostro diximus Dioscoride, scriptul. vñū:

AMATI LVSITANI

misce, hoc verò alius respondebat, & intra decē dies puer ex toto sanatus est: veluti alter duos natus annos sed vice cineris hirundinum crematarum, quo pharmacopola carebat, hoc admotum fuit emplastrum. *R.* Nidi hirundinum numero vnum: caricarum pinguium numero sex, radicis maluauisci vnciam vnam: in aqua fiat decoctio ad libram vnam, cui colaturæ adde farinæ seminis lini, fœnugræci, camomillæ añ. vncias duas, butyri recētis vnciā vnā & mediā, olei camomillini vncias ij. vitelli oui n. j. misce, fiat ēplastrū

*De febre acuta maligna interficiente,
in qua lotium optimum semper apparuit,*

CVRATIO LI.



Ver pharmacopolæ Genuensis, annos natus vndecim, obesus, sanguineus, in fine autūni horrida febre primò affigi cœpit, quæ postea in continuam malignā ex genere earum, quas in autumnō euenire contingit, degenerauit. Sitiebat, caput dolebat, continuò febrieat, cum quibus ter & quater singulis diebus egerebat, excrementa quidem biliosa, liquida, fœtida, febris malignitatem, vt ex Hippo-
crate

erate Præfagiorum libro didicimus, attestantia: ad quem accedens medicus quidam syrupos ex acetositate citri, de succo acetosæ, de boragine, buglosso, & similibus, cum appropriatis destillati-
 tiis aquis, malignam qualitatem infrin-
 gentibus & hebetantibus propinabat, &
 scapulis cucurbitulas cum scarificatione
 affigi mandauit, cum quibus puer peius
 semper habuit. Nam nono die etiam an-
 tecedente iam purgatione delirare cœpit,
 & ad decimum vsque in eodem perseue-
 rauit delirio: vndecimo ad eum accedens
 ipse omnia contemplor, cum quibus vires
 non admodum constabant: sed lotium, vt
 medicus & assistentes affirmabant, opti-
 mum cum colore tum substantia, & con-
 tentis semper apparuit: quod ita esse lo-
 tium tum excretum attestabatur, quia co-
 lore & substantia optimum videbatur: &
 quod magis mirari est, in eo hypostasis
 alba in medio pendens erat: tunc hiru-
 dines ano meo consilio sunt admotæ, &
 hoc sequens decoctum paratū, quod sæpè
 ebibebat: & ita habet, *℞.* Radicum en-
 diuix, buglosi, boraginis, añ. man. me-
 dium, tamarindorum vnciam vnā, pru-
 norum pinguium numero decem, hordei
 mundi vncias tres, florum buglosi, bora-

AMATI LVSITANI

ginis, rofarum, añ. pugill. medium, seminis melonis, cucurbitæ, citruli, acetosæ, añ. vnciam mediam, In libris quinque aquæ fiat decoctio ad libras tres, cui colaturæ adde syrupi rosati simplicis, de acetositate limonis, añ. vncias duas, & misce, de quo ad lubitum bibat, iis enim puer resipiscere cœpit, & omnes assistentes cognoscere: altero verò interposito die vt primū morbus ingrauescere cœpit, & vt antea puer delirabat, demum quartidecimi initio obiit. Cæterum hic medici ignorantia obiit, quum illico illi morbi initio, sanguinem per venæ sectionem non emisserit: sed medico huic commune refugium est, quod puer nōdum quartumdecimum annum attigerit, sed quali errore & quā pernicioso, prima harum curationum medicinalium Centuria dixi.

S C H O L I A.

IN febribus malignis & pestilētibus, & quæ maiore ex parte agrum ad perniciem trahūt, sæpè vrina bona apparet, vt paulo inferius huius rationem reddentes, latius commentabimur: nūc verò satis dixisse mihi videtur, quod fieri potest humor coctus aliqua in parte corporis appareat, reliqua corporis parte crudo humore abundante, vt huius rei author est Galenus commentario secundo, in librum primum De morbis vulgaribus enarrare

enarratione octogesima tertia, in qua Cratista nata, & pictoris ancille mentio fit.

De febre acuta maligna,

CVRATIO LII.

Hoc eodem tempore Nicolaus iuuenis robustus, annos natus viginti quinque, acuta febre & maligna correptus fuit, & ex earum genere quibus parotides, hoc est retro aures tubercula apparebant, à quibus omnes ferè moriebantur, ut Fracischo Ambrosio Florétino nobili mercatori, & aliis euenisse notauimus. Nostro igitur ægro-
tanti secundo die parotides apparere cœperunt, cui brachij curuaturæ vena tersecta fuit, & sanguinis libræ quinq; effluxere. Nam quinto die, in quo vltima sanguinis missio facta fuit, ex toto parotides delituerunt, sed sanguis missus putridus, & magna affectione infectus semper apparuit: angustiabatur hic, & in animi deliquium quandoque veniebat, sed vires vtcunque semper constiterunt, tamen si parum cibi accipiebat. Sexto hoc pharmacum illi concessimus. *R.* Floris cassiæ recens extractæ vnciam mediam, diacatholiconis drachmas sex, syrupi rosati solutiui vncias duas, in decoctione florum

AMATI LVSITANI

& fructuum, cum tamarindis para, fiat potus vnus, quo nihil egeſſit, ſed veſperi ab inieſto clyſtere aluus aliquantulum reſpondit. Septimi diei initio ingenti rigore ita apprehenſus fuit, vt ipſum mori aſſiſtentes non dubitaſſent, & eo magis quia quum in ea eſſet afflictione, multam contra omnium voluntatem ebiberit gelidam, poſt cuius potum ita multa euomuit viridia, pallida, & alia mixta, vt eo die liber à morbo euāſerit. Porro ſeptem elapſis diebus in quibus cōualeſcebat, reſcidiſſet: nam à cœna caleſcere cœpit, & vt primo febriebat, tertio die bolum purgatorium illi obtulimus, quem poſt duas horas euomuit, ſed poſtea bene egeſſit: at quum comederet, horruit: poſt horrorem ſecuta fuit febris, quæ ad quartum vſque perdurauit: quinto bis horrore correptus fuit, vt maximam febrium complicationem ſtare ex hemitritæorum præcipuè genere quis dixerit. Cæterum quum ad aliquot dies ſic incederet, & aluus quater, & quinquies ſua ſponte in dies reſpōderet, nihil medicaminum illi dabamus, ſolo victus ordine optimè cōſtituto contenti: & eo magis quia omnia proſpera euentura præſagiebamus, quia inter ea ab aluo excreta viuū vermem videramus, ſignum quo du

quo ducimur materiam intra corpus peccantem non admodum malignam esse prædicere, à qua prædictione frustrati non sumus, quum breui sanitatem obtinuerit. Porro post febrium extinctionem æger de auris dextræ dolore conqueri cœpit, quam nos oleo camomillino tepête lana succida excepto, foueri per exterius iussimus, sed eo dolor non fuit remissus: tunc huius mater mulier sagax rutam in oleo communi ad ignem coxit, in quo postea equi ferream soleam ignitam ac candefactam immittebat, & olei vapores per infundibulum ad aurem intus venire curabat, post quod opus ex aure pus effluere cœpit, & dolor remitti: effluxit tamē pus ad triginta ferè dies, quod ex se nullo adhibito altero remedio cohibitum fuit: quod verò morbus hic vnus tantum fuerit specie, vel potius plures, in dubiū verti posset, & pro eius indubitata habenda conclusione Galenus consulendus esset libro De morborum temporibus.

*De febre acuta maligna cum
parotidibus,*

CVRATIO LIII.

n iij.

AMATI LVSITANI



Radicto tempore Soleima simplici quoque febre correptus fuit. Nam primo horrorem in toto corpore sensit, ob quē plurima cooperimenta poscebat, ac sic per totam noctē cooperimentis se fouens trāsegit, in qua quater venter excreuit, quæ mediocriter consistebāt: tertio die parotides & colli retractiones apparuerūt, sed sanguine multo ex vena brachij curuaturæ extracto, parotides euanuerūt, & æger melius habere cœpit, postea verò à propinato purgatorio medicamento melius habuit, & septimo sanus est factus. Victus huic tenuis admodum semper fuit, potus verò hordeacea cum iulepo: erat autē vir hic triginta ferè habens annos.

De strumis, quæ Græcis χοιράδες dicuntur à τὸ τῆ χοίρης, id est porco, quòd eo morbo maximè sues infestentur,

CVRATIO LIIII.



Vella, quæ iandiu strumis siue scrofulis dictis, in collo & alis torquebatur, curata melius habebat, imò à multis earū sana euaserat, nunc denuo illi duæ circa tempora

pura nata sunt, quæ ad mollitiem ita pervenerunt, ut apertione indigere viderentur. At quum medicus in earum incisura segnior factus esset, ex se resolutæ sunt, nullum inibi relinquentes vestigium: ab hoc verò vno vel altero interposito mense in syncope altera nata est, quæ ut reliquæ mollis erat: medicus verò credens hanc ut ceteras ex se quoque resolui & diffolari, ad tempus aperturam distulit, & eò magis quia minor indies veniebat. At quum puella de loco quereretur, illico strumam aperire fecimus eam in crucem secantes, à qua nullum pus aut sanies exiuit, in ea tamen crassa quædam membranula liquido conspiciebatur, & ea quidem carnosæ, cuius portiunculam tunc extrahere fecimus, sed sequenti die versus eam partem frontis ubi pili à fronte separantur, craneum totum corrosum comparuit, quæ cranei corrosionem cariémve, neoterici chirurgici talpariam appellant, & eam scalpo radendo ad duram usque meningem extrahi fecimus. Postea verò humore ad expulsionem parato per syrupos de epithymo, de betonica & fumo terræ, cū decocto senæ dilutos, per catapotia eum expulimus, ac postea puellam illini fecimus eo unguento, quo ad morbum gallicum

AMATI LVSITANI

Alyptæ vti sæpè consueuerunt, cuius nos crebram mentionem iis in Centuriis fecimus: porro interea dum puella inungebatur, struma quædã in pectoris alta parte comparuit, cui emolliens emplastrum quod officinæ publicè parant, & alterius luminaris author Venetiis in maximo & frequenti vsu habitum refert, applicitum fuit, & struma breui ex toto resoluta fuit. Vt tamen puella hæc ex integro sana facta esset, nec amplius in morbum recideret, post syrupum de elleboro cum decocto senæ sæpè ebibitum, ac per catapotia de nitro Alexandri, & fœtida repurgatum corpus ligni Guayaci decoctũ epithymo, sena, cartamo, polypodio, & hermodactylis compositum, illi obtulimus ad quadraginta ferè dies, quo puella sanitatem adeptæ est, nec morbus grauis & sæuus amplius recrudit.

De quodam musico uarias imaginationes, & phantasmata diuersa habente,

CVRATIO LV.



Michael musicus iuuenis annos natus viginti, temperatura sanguineus hoc prædictũ à nobis tempore mente optimè constabat, sed illi imaginationes & varia phant

phantasmata repræsentabantur, ob quæ mirum in modum discruciabatur. Huic nos igitur opem ferentes post hirudinum venis hæmorrhoidalibus admotionē assiduo vsu syrupi de pomis cū decocto senę etiam odoriferis pomis Appianis appurato, & sæpè repurgato corpore prædicto decocto: adiecto syrupo de epithymo & rosaceo solutiuo intra mensem sanus fuit factus. Cæterum huic victus qualis atrabile affectis debetur concedebatur, non minus quòd inter amicos semper versaretur, & solitudines fugeret cum monēbamus.

*De iuvene Hebræo, puellæ Hebrææ
amore capto,*

CV RATIO LVI.



Vuenis Tessalonicensis Hebræus puellæ Hebrææ amore captus, ita eam deperibat, vt breui in insaniam deuenerit. Huius igitur nos curam suscipientes optimo victus ordine prout atrabile affectis conuenit, constituto, illi ex elleboro syrupum à nobis compositum sæpè ad humoris præparationem dabamus. At quum nocte quadam ex lapide cyaneo stellato

AMATI LVSITANI

dicto, catapotis eum purgare decreueramus, hic puellæ domum peruenit, quam chordis dispositis per fenestram intrauit, vbi puellæ parentes inueniēs, eos pugnis pessimè affecit. Sed illico conuocato principe satellitum in carcerem fuit ductus, vbi obstrusus per aliquot dies resipuit, & mente constans factus est.

SCHOLIA.

Equus Romanis amor est, vnde morbus hic amoris dicitur. Practicarum verò auctores morbum hereos hunc appellitare solent, & quod magis ridendum est, quod ad Germanos deueniant pro huius nominis interpretatione, quia Germani Herren sua voce dominum vocant à Latino herus, & quia magnates & domini potissimum hoc morbo detineantur, ab ea voce morbum denominationem trahere contendunt. Sed eos quoque cum sua insania relinquere satius est. Hunc ceterum morbum Auicenna Fen prima libri tertij sui canonis tractatus quinti, capite vigesimoquarto, ischium appellat, quo in capite eius percurrit curationem: porro Paulus Aegineta libro tertio sue medicine capite septimodecimo, accuratissimè amantium affectiones, & depingit, & curat. Sed quomodo Erasistratus, vt Galenus refert libro De prægognitione, vel Hippocrates, vt alij dicunt, iuuenis amorem erga patris pellicem deprehēderit, meminist

Galen

Galenus predicto libro capite sexto, in quo quomodo quoque ipse mulierem Pyladis amore captam esse coniecit, exactè exponit. Caterum meminisse me in agro Eborensi apud Lusitanos puellam inueni nobilem amantem deperiisse, & in insaniam deuenisse: non minus superioribus diebus filia Benaheni mercatoris, quum ab eius patre eam esse nuptam exposuisset, ac postea eius loco soror locata esset in insaniam deuenit, quæ hodie quoque insana perseverat: nata autem puella hæc est semibrachio dextro tantum, cetera omnia membra perfecta habens.

De monstro quodam,

CV RATIO LVII.



Vlier Anconitana monstrum quoddam peperit, nam tertio vel quarto mense imprægnationis informe quoddam carneum corpusculum emisit, quod omnino hirsutum erat & pilosum, quatuor habens oculos, duas nares, quatuor aures, labra verò deformia, ut omnibus esset admirationi. Caterum quum hæc scribo Anconam venit puer Illyricus sex natus annos, boni fani habitus, exactè & perfectè omnia sua membra habens, monstrum tamen præ se ferens: quia ab eius umbilico thoracem versus, alterum pueri corpusculum

AMATI LVSITANI

deducebatur, absque tamē capite, sed duo habebat brachia, duo crura, sed vtraque immobilia, ano carebat, sed scroto absq; didymis, id est gemellis testiculis dictis ornabatur, nō secus ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quā vrina fere semper destillabat. Sed puer quū minge-
bat, & per hanc quoque viam vrinam repen-
tē mittebat: erat autem puer hic ita omni-
bus admirationi, vt eo parentes per vni-
uersam Italiam magnam corraferint pe-
cuniam. Cæterū hanc corporis defor-
mitatē si Eucharis Francofordiēsis me-
dicus diligens cognouisset, eā dubio pro-
cul in suo de partu hominis libello nun-
quam præterisset: fuit autem hoc mon-
strum Anconæ, Anno M D L I I.

De quodam phthiriasi, id est pedicu- lari morbo infecto,

CVRATIO LVIII.



Venetus vir bonus Anconæ pe-
diculis per vniuersum corpus
scatens, ita ipsis lancinabatur
fœdabatūque, vt parum fue-
rit, ne ex hoc decederet morbo, cōtra quē
morbum, vtpote à putidis & corruptis hu-
moribus originem trahētem, primo eius
causam venę sectione, tum medicamentis
purg

purgatoriis deposuimus: nō solum semel, sed bis, & ter, ac postea topicis remediis adplicitis breui ab hac fœda lue liber factus fuit: habent autem topica medicamēta sic, ℞. Lupinorū amarorum pugillos tres, seminis staphisagriæ officinis satis familiaris pugillos duos, in aceto acerrimo fiat decoctio sufficiens, quo aceto vniuersum corpus à capite ad pedes vsq; lauetur, ac postea linimēto sequēti corpore bene tereso & exiccato illinatur, ℞. Seminis staphidis, id est staphisagriæ, pedicularis dictæ herbæ partes duas, sandarachæ Græcorum, partē vnam, nitri hodierni fini & purgati partē mediam, in aceto acerrimo cum oleo raphanino omnia acuratissimè pista misceātur, & ex eis fiat inunctio, quibus breui assecuti sumus scopum, nec amplius in eandem fœdationē eger deuenit. Cæterum dixit Paulus lib. tertio suæ medicinæ, capitis tertij fine, Ego pediculariā ex aceto oleoq; tritam inunxi, ac semper quod volui sum assecutus: missa facio, quæ Aetius, Sermone vj. sui operis medici dixit cap. sexagesimo septimo, & ea quæ Gulielmus de Saliceto cap. quadragesimo octauo primi libri scripta reliquit, velut quæ Galenus cæterorū scaturiens fons, primo dixit lib. De cōpositione med. secū. loc.

AMATI LVSITANI

SCHOLIA.

Dicitur morbus hic Græcis φειλακίς à πὸ
 τῶν φειλῶν, id est à pediculis, quem auto
 res capiti, & mento, ac oculorū ciliis familiarem
 descr. bunt. Nemo tamen ex practicas scribenti
 bus, morbū hunc vniuersum corpus prebendentē
 ac fœdantē, describit aut curat. Caterūm ex hac
 fœda lue multi mortui sunt, vt Sylla, Phæreci
 des, Ennius, & vt nonnullis placet, Plato quoq;
 iis adiungēdus venit. Nouimus autem nos Vlyssippona hominem quendam non ignobilem, ex
 hoc morbo miserrimē obiisse: ita enim per vniuer
 sum eius corpus pediculi scatebāt, abūdabānt ve,
 vt duo eius serui Aethiopes nihil aliud cure ha
 berent, quā ex eius corpore pediculorum cophi
 nos plenos ad mare, quod prædictam ciuitatem
 præterlabitur, portare. Erat autem homini huic
 cognomētum, si rectē teneo, Tabora. Porro apud
 Hiberniam, & Islandiam, scimus nos homines
 semiferos subuculis croco infectis vestiri, vt pedi
 culos fugent, quas per sex menses & amplius ge
 stare solent.

Egregium quoddam remedium pro
 rubricandis capillis,



CVRATIO LIX.

VT fului reddātur capilli, multi
 multa parāt malagmata, inun
 ctiones, lixiuia, vnguēta, destil
 latio

lationes, aquas, & quæ sunt huius generis alia, ex quibus Galenus nonnulla quoque quum Critonis quatuor libros De ornatu citet, primo libro De compos. med. secūd. locos prosequitur. Nos vero quū hucusq; multa & varia in puellis experti simus (quibus vel inuitè obtemperare decet) & ex omnibus remediis hoc vnum cæterorū præstantissimum, & tutissimum inuenimus, placuit illud hîc chartis mandare, & eo magis quia Maria Abaldouinis nobilis Florentina, multo omnium mihi charissima, non altero vnquam vfa est: habet autem remedium sic. Alkanam Arabum in puluerem redactam, vt à Græcia & Mauritania mercatores afferre solent, accipito, quam paucō vino tepente exceptam in pulmenti formam redigito, & ea postea capillos per ordinem vniuersos ad radices vsque illinito, quos sic illitos per viginti quatuor horas stupis cooperitos & bene fasciatis finito, postea verò tepente vino caput lauato, & eburneo pectine, vel altero dentes oblongos & plicabiles habente, prædictos pectinato capillos, breui enim eos vt aurum reddes: nec pluribus medicamentis vt scopū consequaris opus habebis, tanta enim huius inest medicamento vis.

AMATI LVSITANI

De omento, Zirbo Arabibus dicto per
uentris vulnus extra emissio,

CVRATIO LX.



Est dictum est iuxta prouer-
bium, Fratrum discordia. Nā
quum duo fratres, quorum na-
tu maior decimumquartum
agebat annum, cōmuni cultro in eadem
mensa vteretur, euenit quod eorum alter
accepto cultro, eius mucrone alteri inter
umbilicum & stomachum vulnus infige-
ret, per quod illico omentū exiuit, ad quē
intra horam post illatum vulnus accedēs
chirurgus omenti partem digiti magnitu-
dine, sed linea prius ligatam præcidit : &
vulnus, vt opus erat, ipsius lineæ extremi-
tatibus extra relictis fuit, & oui albumi-
ne stupis excepto, & vulneri primo confli-
ctu applicito, ac postea vt decebat tracta-
tum, breui puer sanus fuit factus.

SCHOLIA.

Est omentum prapinguis pellis, quā vulgus
rete vocat, & intestina præcipue contegit,
ab Arabibus Zirbus dicta, de qua dixit Hippo-
crates lib. sexto Aphorismorum, Apho. quinquā-
gesimo octauo, Si omentum excidat, necessariò pu-
trescit, id est si omentum extra corpus per vul-
nus exciderit, nec esse est computrescat, qua ra-
tione

tione chirurgici quū primū ad vulneratos accedunt, etiam de recenti si omentum extrā prominens vel nudatum, hoc est detectum vident, illico illud ligant, & eius apparentem partem resecant, timentes si eam intromiserint, ne putrescat: quia breui ambiētis aëris frigore insitum illi calorem amittit multa manēte humiditate, quæ postea nullo altero calore regulatur, & sic omentum putrescit, Ceterū si omentum paruo tempore extrā prodierit, & medicus diligenter ad suū locum reduxerit, proculdubio non putrescet: quia adhuc eius proprius seruatus est calor, vt testatur Galenus prædicti Aphorismi enarratione, & recentiores non negāt. Porro scire decet quod quibuscunque omentum præcisum est, eorum cōcoctiones imminutæ & debiles sunt redditæ, vt nostro puero euenit, Vētriculi nanq; calorē omentum fouet & seruat, & intestina humectat, & lubrica facit magis vt per ea excrementa ad anū vsq; facilius percurrāt, vt succus ante omentū est.

De febris cōtinua, maligna gonorrhœa, ac aliis affectionibus complicata,

CVRATIO LXI.



Vuenis aurifex natus annos xx. cū venusta sed Gallica scabie fœdata muliere coinit, vnde in virga vlcera, & in inguine phlegmonen, (panum latiniore appellat)

AMATI LVSITANI

contraxit. Cæterum tumor, quem panum
diximus appellari, nullo admoto reme-
dio ex toto delituit, manente tamen go-
morrhœa, post quæ breui febris ipsum
corripuit cōtinua, maligna & sæua, quam
comitabatur tussis frequens cum quadam
spirandi difficultate, sed nihil dolebat, li-
quida tamen sua sponte egerebat multa
fœtida, & putida, cum quibus omnibus vi-
rium robur vtcunque vigebat. Nam apud
verum medicum solus casus virtutis signū
est malum. Ad hunc igitur accersitus illi-
co internam dextri brachij venam secare
feci, sanguinisq; vncias sex fluere: qui sa-
nè sanguis omnino corruptione affectus
erat. At post sanguinis missionem syrupū
ebiberet sequentem commendavi: qui ha-
bet, ℞. Syrupi de acetositate citri vnciā
vnā, de borragine vnciā mediam, aquæ
lactucę, borraginis, añ. vncias duas. Misce,
fiat syrupus. Cæterum manē in aurora ad
ipsum rediens, & omnia, vt decebat, consi-
derans, ex eadem vena sex alteras sangui-
nis vncias fluere permisi, & conditum de
acetositate citri interim gustasset suasi,
velut cordialia nonnulla, tunc verò in vi-
ctu panatellam seminis melopeponis, &
amygdalarum paucarum lacte cōcinna-
tam accipiebat. Vesperī verò iterum san-
guinis

guinis semilibram extrahere feci. Nam sanguis per nares, post duas sanguinis priores extractiones magno impetu fluebat, & multum sitiebat, & difficulter ex pectore sputum emittebat, pro qua complenda operatione, elambetium de althea accipiebat, sed ex naribus quoque excrementa quardam sicca quandoque remittebat, ob quam causam amygdalino oleo nares non raro inungebantur: veluti tracheæ arteriæ exterior regio. Tunc autem sextus agebatur dies, septimo verò malè se habere dixit, imò ea nocte eum delirasse assistentes mulieres & iuvenes testati sunt: octavo verò pharmacum purgatorium & alterans hoc illi dedimus, R. Tamarindorum vnciam vnam, prunorū pinguium numero duodecim, florū borraginis, violarum, buglossæ, rosarū, añ. pugill. medium. foliorum lactucæ, cicoreæ, endiuix, anamanip. medium. In aqua fiat decoctio, vt decet ad libram mediam, & fiat colatura: postea prædictæ colaturæ accipe vncias tres, syrupi rosati solutiui, syrupi violati solutiui añ. vncias duas, rhabarbari boni drachmam vnam, misce, fiat potus, detur in aurora, & desuper per horam dormiat: tunc verò pulli contusum pro

AMATI LVSITANI

victu, cum vno vel altero ipsius pulli bolo accipiebat, & vinum pauciferū ebibebat. post hæc verò vires potētiores sunt factæ, sed morbus quum grauis & potēs erat, ad xxx. vsq; diem lentē processit, vt Guayaci decocto postea ꝑ eo extirpādo op⁹ fuerit.

SCHOLIA.

ERat autem hæc morborum complicatio in-
eunte hyeme, qua sicca & calida fuit, adeò
vt in ea homines focum non viderint: imò, vt se-
niores totius Italia testabantur, à quinquaginta
annis antea huic similis hyems nunquam visa
fuerat: huic hyemi subsequutum fuit ver pluui-
sum, & maximè morbiferum, & in quo plures
breui ex febribus malignis correpti mortui sunt:
æstas verò sequens calida & sicca erat, sed bre-
uis, nō adeò tamen suis qualitatibus excellēs, vt
homines torserit: aut animalia (vt fieri solet) in-
rabie traheret. Mites autē morbi hac æstate fue-
re, & salubres, ac magna ex parte sanguinei:
quæ omnia dicta velim ob nōnullos medicos, qui
quum hyemem siccā & impluviā viderint, ver
verò humidū & procellosum, æstate futura ho-
mines grauissimis morbis corripī debere contesta-
bantur. freti Hippocratis Aphorismo vndecimo
libri tertii Aphorismorum, qui inquit, De tem-
poribus, siquidē hyems sicca & aquilonia fuerit,
ver verò pluuiosum et australe necesse est æstate
febres acutas, & lippitudines, Græci ὀφθαλμίας
vocat.

vocant, & intestinorum difficultates fieri, precipuè verò mulieribus, & viris qui natura sunt humidiores. Hallucinabantur autem medici ij hæc presagientes, quia parum adverterat aphorismi priora verba, quæ aiunt, Siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit: præponit autem Hippocrates, vt vera aphorismi sequatur sententia, hyemem non tantum siccam, sed etiam aquiloniam, quæ omnino frigida est, & humores intra corpus retētos ac carceratos habet. Nam hyems, de qua noster agit sermo sicca cum quadam tepente caliditate est, quæ vltimis mensibus anni 1551. & prioribus sequenti 1552. erat, medicè enim loquimur.

De Pleuritide,

CV RAT IO LXII.

M Anuel Barboſius vir fortis & robustus, annos nat⁹ ferè quinquaginta, per vniuerſum eius corpus diuturnum patiebatur pruritus siccamve scabiem. Is quum Venetiis per nauim Anconam venerat, fortè ex frigore contracto materia cutaneas partes occupans intus recepta est, quo factum est vt pruritus & scabies ex toto delituerint, & ipse in pleuritim fuerit lapsus: prope Pisaurum verò veniens nauis naufragio disrupta est, & ipse cum ceteris

AMATI LVSITANI

promiscuis commilitonibus, aliis superuenientibus cymbis & nauibus euasit, quo labore superaddito morbo Anconā defatigatus satis venit. Nam costas superiores multum dolebat, dolore quidem pungente & acuto, cum quo multum tussiebat, & spiritum sanguineum emittebat, continuo verò febricitabat, & ut paucis dicam, omnia patiebatur, quæ in graui comperiuntur pleuritide: ad hunc igitur vocatus ego, illico axillarem eiusdem lateris venā, ubi dolor erat (nā, ut dixi, dolor superiores occupabat costas) secare feci, sanguinisque uncias octo extrahere: quod proculdubio putridum, & omni corruptione affectus, ac ex phlegmone defluerat: aqua sanguinis missione dolor illico euauit, adeo ut si tussiret, minimè ut antea dolorem persentiret. Nam ante sanguinis missionem ita dolore infestabatur, ut tussim pro posse maximè retineret: vesperi verò ex toto deposito dolore febris utcūque vigebat, pro qua depellenda ac mala qualitate membris infusa extirpanda, iterum ex eadem vena totidē sanguinis uncias fluere feci, quintus namque iam tunc agebatur dies à morbi initio. Sexto verò solo lambetiuo concessio, quo semper usus est, & thoracis illinitione ex vnguento pectorali

com

communi facta transegimus. Septimo autem in insomnia melancholica & terribilia deuenit, Sed octauo purgante medicamento cum euacuauimus, quo sanus euasit, & ita habet, *℞.* Seminis maluæ, melonis, altheæ, passarū ē Coritho, añ. pugil. vnum. prunorum Damascenorum nume. decem, mixariorum, ziziphorum, añ. numero quindecim, florum violarum, borraginis, buglossæ, rosarum, añ. pugil. vñ. folliculorum senæ vnciā vnam, liquiritiæ rasæ vnciam mediam, in aqua fiat decoctio, quousque maneant vnciæ octo facta decoctione & colatura. *℞.* Prædictæ decoctionis vncias quinque, in qua per noctem infunde rhabarbari subtiliter incisi scriptulos duos, agarici optimi drachmā vñ, in aurora fiat colatura & expressio, cui decocto adde mannæ electæ vncias duas, syrupi rosati solutiui, syrupi violati solutiui, añ. vnciam vnam & mediam. Misce, fiat potus, detur in aurora, & desuper dormiat per horam; quo multa egeffit, & postea paucis diebus sanus euasit, in quibus saccharum borraginatum in aurora comedebat.

*De capitis antiquo dolore cephalæa dicto
continua febre superueniente curato,*

AMATI LVSITANI

CVRATIO LXIII.



Agustinus puer annos natus quatuordecim, quum de capitis antiquo dolore, quem Græci cephalæam appellant, grauissimè torqueretur, contigit quòd illi febris continua putrida superuenit: ex qua quum timor esset ne dolor capitis magis ingrauesceret, tantū abfuit vt ea febris dolor increbuerit, vt potius ea dolor in vniuersum abierit, & puer sanus à tam graui & diuturno dolore postea euaserit, vt tandē dici possit, Morborū morbos esse medelam.

De carcinomate exulcerato,

CVRATIO LXIIII.



Vlier Græca nobilis Patrensis quum cancrum occultum, hoc est integrū, in mamma iam diu pateretur, Venetias vt medicos consuleret pro sui salute petiuit. At medici doctè admodum, vt ab omni remediorum admotione abstineret, illi suaserunt. Illa verò Anconam veniens immemor doctorum hominū cōsiliij, monitionibus potius agyrtarum & nagiendulorum, quibus multū abundat Italia, persuasa varia topica medicamēta supra malū posuit, quibus breui cācer exulceratus est, & ipsa nō
diu

diu postea vixit, sed miserrimè è vita breui discessit.

De gurgulione plus iusto longo facto simulque de raucedine,

CV RATIO LXV.

Elius Salonis, qui propter Cibetæ catos, quos ex longinquis & valde distantibus regionibus in Italiam traxerat, Catarij nomē adeptus est, gurgulionem plus iusto oblongum habebat, ob quem multa mala sentiebat. Nam ita raucè loquebatur, vt vix eius loquela perciperetur, & grauamē nō paruum circa eādem partem patiebatur, & quod peius erat, cibum difficulter deglutiebat: cum quibus aliquando febricitabat lenta & miti quadam febricula, & caput dolebat: morbosus nanque affectus is est, ægritudo in cōpositione: eius nempe carunculæ quæ à faucibus dependens vocis instrumētū gurgulio veteribus dicitur, in magnitudine à naturali habitu excedens, non quidem ad rotundam crassitiem, quam Paulus & Aetius vuam propriè dicunt, sed in tenuem longitudinem, quā columellā prædicti autores recepto vocabulo vocitāt, ac sic columellæ laxatio propriè hic morbus dicitur: cuius causa

AMATI LVSITANI

corporea est, continua scilicet humoris aquei à cerebro calido & humido, in eo tamē humiditate superante, destillatio. Hunc igitur curare intendentes ægrotū, eius temperaturā primo contemplamur, quæ omnino calida & humida est, cōpositione verò obesus is cernitur colore rubicundus, multo victui & potui assuetus, & Veneri summopere deditus adeò, vt hic quum ætatis suæ annum quadragesimū-quintum ageret, ab infectione Gallicana eius morbi semina originem trahere suspicarer, qua de causa post varia celebrata remedia, ad Guayaci decoctū deuenimus, quod per quindecim tantum dies ebibit, & meliusculè habuit. Sed quum Andrinopolim eius propriam patriā reuersus fuit, maiori cum ocio cynarum radice decoctum per quinque supra viginti dies ebibit, & basilicè se sensit: referam tamē ipse (vt medicam artem exercētes noscant) ordinem à nobis primo habitum, & primo à victus ordine initium sumam, quo vel tantum similes morbi sanari cōsuescunt: profligantur autem destillationes hæ breui, si modo eas patientes cibaria fugiant pituitosa, qualia sunt pisces, suillæ carnes, lacticia, legumina, immoderata iuscula, herbæ, & cætera. Vtebatur verò optimum

mum succum gignentibus cibis, vnū cor-
 di præfixum habens, quòd prandium cœ-
 na maius ac liberalius semper accipiebat:
 imò quum prandium opiparum illi erat,
 à cœna nostris monitis abstinebat. Vinū,
 quod Galenus libro quarto De tuenda va-
 letudine tradit semicrudos humores quā-
 tum aliud quoduis remediū concoquere,
 in prandio tantum bibebat, & illud quidē
 paruum, caput nō feriens. In cœna autē id
 omittebat, quoniam eius halitu caput re-
 pleri, & cerebrū tentari aiebat, fortē Ga-
 leni authoritate monitus, qui prædicti vo-
 luminis libro primo hoc affirmat: vnde
 Arabes in destillationibus vinū omnino
 abnegant, somnum quoque diurnū vtpo-
 te caput replentem & noxas plures secum
 ferentem, vt poterat, fugiebat, veluti illi-
 co à cœna. Cæterum quum caput. Hippo-
 crate teste epistola Demetrio regi cōscri-
 pta, radix humanorum morborum sit præ-
 cipuè, vt Galenus adnotat, destillationū,
 opere præcium erit ipsum ante omnia mi-
 nus obnoxium destillationibus reddere.
 At quum eodem Galeno præsentē, quarto
 Methodi medendi libro, & alibi sæpè,
 non solum medicorum decreto, sed etiam
 philosophorum testimonio partem an-
 te totum sanari non liceat, sit vnde vt

AMATI LVSITANI

nisi dogmaticum ordinem inuertere velimus, à totius curatione, ac euacuatione ordiri debeamus. Porro quum operatio hæc cum medicamentis, tum etiam sanguinis missione compleri potest, nos à sanguinis missione, vtpote euacuatione vniuersaliori, initium fecimus: præsertim à communi lateris dextri vena, quæ à cephalica tum basilica interna dicta, æquè haurit vena, cuius vncias quinque fluere tantum permisimus, capitis frigiditatem timentes: etenim quantitas hæc sufficiens est multum iuuare & non nocere. Timeant quippe medici autores, apud luxatam columellam præcipuè à pituita & aquea humiditate ortam, sanguinis extractionem, quam summopere laudant ex cephalica vena, quando columella ipsa inflammata, phlegmonosa, affatimque rubens est. Proinde nos prædicta contenti sanguinis missione hirudinibus quoque; semel ani venis admotis, post syruporum & decoctionum materiam respicientium propinationem, vniuersum corpus per rhabbarum & agaricum nouiter paratum purgauimus, adiectis electario catholico vel leniente: quam postea non semel opus hoc confecerimus catapotiiis de agarico, cochiis & aggregatiuis, vel asaiarethi: post quas eua-
eua

cuationes vniuersales ad particulares nos
 diuertimus, nempe apophlegmatismis, er
 rhinis medicamentis dictis nasipurgiis,
 quæ si bene & vt decet exercentur, miræ
 inde sequuntur operationes, vt in diutur
 nis capitis doloribus non rarò experti su
 mus: non minus sternutatoriis, & vniuer
 salibus reuulsionibus, vt frictionibus, ne
 xibus, siccis cucurbitulis, & extremorum
 lotionibus, missum facio gargarismorum
 varium genus à Galeno compositū, quod
 Aetius abundantissimè Sermone octauo
 suæ medicinæ, capite quadagesimo cita
 uit, & eo nos sæpè vsi sumus, ex quo capi
 te remedium vnum non prætereundum
 vsurpauimus, quo mulierculæ in hoc casu
 frequentissimè vtuntur: & ita habet, Phi
 lumeno relatum picem liquidam accipe,
 eaque extremum policis tui infice, alte
 raque manu syncipitis capillos distende,
 ac pice illine, recurret enim statim vna:
 hoc sanè remedium affectionibus magis
 quadrat, quam si accatiæ succo (vt mandat
 Auicenna, & post eum Mesue) caput lini
 retur, ille Fen nona libri tertij sui cano
 nis capite decimo, hic verò vbi de ægrita
 dinibus vna agit, quia frigida capitis in
 temperiei pix quàm acatia magis apte
 tur. Cæterum hæc, & pulueres caput ro

AMATI LVSITANI

borantes, veluti cerataria, capitis lotion-
 es, electaria stillicidium absumentia, &
 fistentia, cum nullius profectus fuere, ad
 capitis vstionem, caustico medicamento,
 vel candente ferramento, deuenire propo-
 situm erat, Sed quum alterius medici mo-
 nitis ad balneas ire proposuerat, vt harũ
 naturalium aquarum stillicidium super
 caput præmitteret, quas duccias Italia vo-
 cat, ea omnia renuit: verum quum harum
 aquarum naturalium vsum vt noxium &
 illi contrarium propriis iudiciis & veris
 rationibus indicauimus, consilium muta-
 uit. Nam præter quod citra priscorũ me-
 dicorum morem neoterici nostri iis duc-
 ciis frequentissimè vtantur, mirum tamẽ
 in modum huius capitis temperaturæ, vt-
 pote naturaliter calidæ aduersantur, vt hu-
 ius rei testis est Gal. libro sexto, de sanita-
 te tuenda, qui calidas has aquas, sua natu-
 ra scaturientes, vt sulphureas, bitumino-
 sas, & aluminosas, calido capiti inimicissi-
 mas esse tradit: quo fit eisdẽ huius caput
 exponere periculosissimũ admodum sit,
 quum fortè, dum alterum morbum expel-
 lere curaremus, alterius & fortè sæuioris
 essemus authores, vt sæpè ex iis duc-
 ciis euenisse notauimus, ipsorum ægrotorum
 & medicorum longè frustrata spe non im-
 meri

merito, quum Salustius Burgesius, nobilis Senēsis, & Anconæ militum præfectus dignissimus ex asthmate ob materierum à capite in pectus descensum male afficeretur, & Senas peteret ut eius agri duciis, quibus maximè abundat, vteretur: illi Senenses medici doctissimè admodum consuluerunt, ab eis omnino ut abstineret. Timor autem erat, ne in pectus à capite materia irrueret, & hominem suffocaret: quibus ille prudenter paruit, & eorū consilio aliis præsidiis sanitatē obtinuit, ut ægrotus noster guayaci decocti usu quindecim dierum tempore, quanquam postea sanitati integræ sigillum imposuerit, potu decocti radices cynarum, quod ex descriptione nostra à Centuria secunda, per viginti quinque dies Andrinopoli eius propria patria ebibit: & nunc, ut ad nos rescripsit, tauricè valet. Huic curationi finem iam imponebam, ni in mentem venisset, optimum fore si selectiores gargarismos, & tutiores, quibus in hoc morbo usi sumus, describeremus. Habet igitur gargarismus primus à Galeno libro sexto De composit. medica. secund. locos scriptus, & ab Aëtio Sermone octauo, capite quadragesimo relatus, sic, *R.* Mellis libram vnā, aluminis liquidi libram

AMATI LVSITANI

vnam, florum rosarum libram mediam,
 succi hypocysthidis vncias tres, alumen
 & mel simul coquito, dein reliqua tria
 adijcito, ac rursus paululum decoquito:
 quo eodem Galeno authore, tribus mo-
 dis vti possumus: primo aqua calida disso-
 luto: secundo, aqua mulsa ad gargarizan-
 dum: tertio pro illinitione: nam eius illi-
 tu cum digitis columella reprimi & ele-
 uari potest: & vt Aëtius ait, bonum hoc re-
 medium esse adstruit Galenus, eoque vti
 iubet. Cæterum quoniam prædicta inscri-
 ptione alumen liquidum legitur, quo nunc
 caremus, consonum est, eius vice huic me-
 dicamento scissile, quod alumen plumæ
 officinæ hodie vocant, iniiciamus. quod,
 Galeno authore libro De febris ad eos
 qui introducuntur, & sexto De comp. me.
 secundum locos aluminis cæteris generi-
 bus valentius est, & gurgulioni multum
 prodest: & mea sententia eius pondus ad
 bessem accedere, hoc est ad vncias octo,
 vt in Aëtio legitur, satis esset, quia si scis-
 silis aluminis libra in hac admitteretur
 compositione, fortè violenter & quasi re-
 pentè columellam restringeremus. Secun-
 dū locale remedium philosopho relatum
 est, vt Aëtius meminit libro octauo suæ
 medicinæ, & Galenus ante eū libro sexto
De com

De compositione med. secundum locos ca-
 pite tertio prope finem, quod ita habet, &
 temporis necessitate instante apparatur,
 quia inueteratum vires suas amittit. Nu-
 ces virides accipe & exiccato, & palma-
 rum ossa, atque de ipsis vbi velis sufficien-
 ter exurito, & amborum æquales partes
 misceto, ac siccis tritis vtitor: sufficienter
 autem discussoria existunt. Proinde nos
 remedio hoc post citatum & alia varia,
 quæ consulto præterimus, vti sumus: mor-
 borum autem tempora maximè à medi-
 co contēplanda sunt, qua de re dixit Hip-
 pocrates libro De sterilibus, Conare vt
 physicus sis, ad hominis habitum ac ro-
 bur respiciens: ex ijs enim nullus est, qui
 non omnia ad amussim faciat: missum fa-
 cio Galenum variis suis libris huic rei di-
 catis, quem tantum audire citato libro
 sexto De compositione med. secundū lo-
 cos satis esset. Cæterum quum hæc ope-
 raremur, in mentem venit iuuenis olim
 Louaniensis apud collegium trilingue,
 eo tempore quo illi Cōradus Coclenius,
 vir Græcè & Latinè doctissimus, & dicen-
 di arte nobilissimus præfectus erat. Agi-
 tur autem annus decimusquintus, ad quē
 iuuenem, quum Antuerpiæ ipse agerem,
 Louanium venimus, vt eius valetudini

AMATI LVSITANI

consuleremus. Habebat autem studiosus
 hic iuuenis gurgulionem lori modo ob-
 longum, exanguem, pro quo reducendo,
 quum multa & varia à doctis medicis ten-
 tata essent, & nihil profuerint, ad eum re-
 scindendum coacti fuimus. Nam conti-
 nuo irritatu tussēs, vigilias, quin & stran-
 gulationem interim minabatur: suadet
 autem Hippocrates, & Galenus assenti-
 tur libro tertio Prædictionum, textu vige-
 simoprimum, ubi gurgulio crassior in rotū-
 ditatem creuerit, & instar vuae deorsum
 feratur, eiusque superior pars tenuior eua-
 ferit, aut quando gracilis fuerit, & ad lori
 tenuitatem redactus, tunc chirurgia am-
 putandus est: & vt nos tunc opus confeci-
 mus, forpicibus eum præcidimus, & illi-
 co ex oleo vitrioleo tetigimus, & sanus
 ac liber à tam sæuis symptomatis iuuenis
 hic fuit, qui præter omnium spem ab hac
 affectione euasit, rancè tamen postea lo-
 quebatur: nec mirum quia gurgulio tan-
 quam vocis plectrum ipsi ad magnitudi-
 nem atque elegantiam conferens, vno o-
 mnium medicorum consensu est homini
 à natura tributus, ex quo quoque tot se-
 quuntur animanti iuuamenta & commo-
 da, quot à Galeno vndecimo libro De vsu
 partium enarrantur: siquidem aer ingre-

diens

diens ab eo prius inciditur, eius ingressus violentia frangitur, frigiditas admodum compescitur, ita vt nonnulli quibus ille ab basim vsque fuerit amputatus, nō modo longē deterius locuti sint, sed etiam frigidiorē adeō senserint inspirationē, vt plerique pulmone ac thorace affatim refrigerato perierint: ea de causa nos in eius incisione, Hippocratis & Galeni consilio modum & quantitatem particulæ seruauimus, vt de hac re Centuria prima diximus. Cæterum vt oratio ex integro rationes suas habeat, puluis item, aut eiusdem generis substantia ne in laringem incidat gurgulione clypeo prohibetur. In summa, hæc iuuenis columella incisa ex earū genere erat, quas medici prisce oblongas appellabant, per summa graciles, muris caudæ modo remissas, non admodum sanguinolentas, sed albicantes magis, quas & ipsi chirurgia curare solent, tentatis tamen prius generosis medicamentis resiccantibus & extenuantibus, quia Galeno authore libro quarto Methodi medendi capite quarto, excidere res est promptissima, maius verò quippiam, atque artis egens medicamentis sanare. Caueant tamen medici, quòd quum columella pelliculis re-

AMATI LVSITANI

ferta eam trahenti ob laxitatem cedat, prolixior sanè inspicientibus sæpius apparet, vnde nō pauci inexperti, aut errore aut ignorantia ducti, altius incidentes, eā funditus auferunt, maximiq; incommodi autores aegro existunt.

De acri humore à capite ad os descendente, & aphtas inibi gignente, & postea dysenteriam,

CVRATIO LXVI.



Constantinus natione Germanus, vir multarum linguarum peritissimus, temperatura biliosus, ætatis suæ anno sexagesimo, quum ab eius capite humor acris ad os deflueret, in eo vlcera, quæ aphtas Græci dicunt, passus est. Contra quæ quū remediis vteretur, & syrupum rosatum simplicem cum de endiuia paratum biberet, prædictus acer humor ad intestina lapsus est, vnde dysenteria orta fuit: multum quippe egerebat maximo sub umbilicū dolore: egestionem primo meræ erant, biliosæ, postea virides sanguinis mixtæ, parum vel nihil febriebat: sed multum sitiebat, vires constabant, sed pulsus intus retracti percipiebantur. Cōtra hunc morbum

morbū incedentes igitur nos primo vitus ordinem huic talem constituimus: vt panatellam ex farinæ flore, quem similaginem vocamus, concinnatam pauculo butyro adiecto comederet, vel similaginis loco orizæ puluerem poneret, aut ex iure pedum vituli, aut nefrendis, veruecise, prædicta panatella pararetur, commendabamus, cui aromatum vice puluerem ex bolo Armeniæ, thure, mastiche, vtroque corallo & similibus inspergebant, à vino porro abstineret, suadebam: cuius vice aquam hordei excoriati ebibat. Sed inter noctem & diem diacodium simplex ex saccharo & papaueris decocto paratum, rotulorum figura gustabat. Sed primis diebus clysteres ex hordei decocto cum ouo integro albo scilicet & rubro, adiecto oleo myrtino, vel rosaceo, cum paucis saccharo immittebantur, post quos clysteres constringentes iniiciebantur, quorum exemplum est. *R.* Decoctionis hordei excoriati, in qua extinctū ferrum fuit, vncias quindecim, seui hircini vnciam vnā & mediam, olei myrtini vncias duas, boli Armeniæ, sanguinis draconis ex insulis Cannariæ, fortunatis dictis, aduecti añ. drachmas duas, albuminis oui optimè concussi, numero duo, pilorū

AMATI LVSITANI

leporis drachmam vnam & mediã, misce, fiat clyster: & cum pro posse quantum potuerit retineat. Cæterum quum primùm hæc parabantur, vniuersus noster conatus eò dirigebatur, vt humor à capite in intestina descendere paratus, ad nares & alias similes parteis diuerteretur, sed stomacho emplastrũ diaphœnicon, & sub vmbilico vnguentum ex corticibus castanearũ admouebatur, quibus omnibus sanitati intra sex dies restitutus fuit.

De pleuritide membranam costas succingentem exteriorem, & musculos intercostales exteriores occupante,

CVRATIO LXVII.



Irex Foroiulij, Venetorum antiqua patria Anconæ, pleuritide non exquisita, mendosa, vel spuria dicta, corripì cœpit: costas nanque succingentẽ externam membranam cum intercostalibus musculis exterioribus inflammatio infestabat, vt ex iis deprehendebamus signis: continuò febricitabat, & exteriorem thoracis partẽ dolebat, dolore quidem extensiuo & pulsatorio: nam tussis paucula, vel nulla erat, sed respiratio non admodum erat difficilis,

lis, quanquam in expiratione æger maius percipiebat nocumentum quàm in inspiratione: quin visu & tactu locus inflammatione affectus deprehēdebatur. Pulsus non admodum erat durus, sed supra idem affectum latus decubitus difficilis est: signum potens pro hac venāda affectione: quibus omnibus animaduersis, & perspecta bona viri habitudine, illico axillarem venam dolentem locum respicientem secare feci, & ex ea sanguinis vncias octo demere. Agēbatur autem iam ægritudinis secundus dies, quapropter bona victus ratione instituta hoc fomentum supra locum affectum filtro admouendum descripsi, & ita habet, *℞. Rosarum, maluarum, parietariæ, camomillæ, anethi, seminis lini, scēnagræci, añ. pugill. vnum.* In libris decem aquæ fiat decoctio sufficiens, cui postea adde olei rosati vncias tres, misce, fiat fomentū, applicito & sæpe innouato filtro, vel spogia recēti, ac postea hoc linimento illinatur. *℞. Axungia gallinæ, butyri recentis, añ. vnciam vnā, pulueris camomillæ vnciā mediam, olei rosati, amygdalarum dulcium, añ. vnciam mediam, ceræ albæ q. s. ad ignem misce-to, & fiat vnguentum molle: iis enim & cucurbitulis loco affecto affixis, ex toto*

AMATI LVSITANI

intra octo dies inflāmatiō resoluta fuit, nec pluribus aut variis aliis medicamentis pro hac conficienda operatione opus habuimus. Cæterum solet inflammatio hæc ad cutem aliquando deuenire, adeo vt necessum sit tumorem aperire: vt refert Galenus libro quinto De locis affectis, vltimis ferè verbis capitis tertij, id quod nos hucusque semel tantum obseruatum habemus. Nam quum olim apud Antuerpienses essemus, ad quos regiæ Lusitanorum classes ex India redeuntes diuertere solent, contigit quòd nobilis quidam Lusitanus, nauis alterius præfectus, in hanc incidit spuriam pleuritim, si pleuritis dici meretur, ex qua ita afflictus fuit, vt nullis remediorum beneficiis humor ex toto resolveretur, imò post aliquot dies tumor extrà apparuit, quem scalpello incidi fecimus, & paucis postea diebus ægrum ex toto ad sanitatem redegimus. Porro huic, si rectè teneo, tota lateris affecti manus ad motum impedita erat. Cæterum refert gloriosus Zoar, à se huic simile conspectum opus, & per patrem suum in muliere quadam confectum, vt apud ipsum legere quis poterit, libro primo sui Theisr capite quarto, tractatus sextidecimi.

SCHOLIA.

Pleuritis exquisita ea dicitur, quando cingens costas membrana primario affecta laborat, ut meminit Gal. libro quinto De locis affectis, capite secundo. Quum primum igitur in membrana ac costas succingente, ac musculis illi continuis inflammatio fit, pleuritis vera & exquisita fit: ad quam necessario hæc sequuntur: Febris ardens, punctorius dolor, difficilis respiratio, tussis, & pulsus parvus, arteriam & duram & quodammodo tensam indicans: ut refert Galenus prædicto à nobis libro, & libro De constitutione artis medica, & secundo De difficultate respirationis: fit autem in hac exquisita pleuritide febris continua, quia inflammatio adest, & sedes affecta parum distat à corde, imò cū panniculo ipsum inuolvente, ac septo transverso cognationem habet: fit autem inflammatio hæc potissimum à sanguine vel bile, ut meminit Galenus libro sexto Aphor. aphor. trigesimalotertio, quo fit, si inflammatio ab alio euenerit humore, exquisita fortè non erit pleuritis: reliquorum verò symptomatum causas legito apud Galenum libro secundo De crisiibus, quo nemo clarius hæc exponit. Quando tamen succingens costas interna membrana solum afficitur, tunc decubitus supra latus affectum facilis est, supra alterum vero difficilis. Porro si cum interna membrana externa, ut fieri solet, affici quoque contingat, vel

AMATI LVSITANI

musculi ipsi intercostales exteriores, tunc ad
vtrunque latus decubitus est difficilis, ut sapien-
ter admodum nos docuit Galenus libro De con-
stitutione artis medicae, inquit, Quum enim
duplex sit ea membrana quae costas velat, si ea
pars, quae exterius ossibus haeret, validè laboret,
facilius in latere decumbunt opposito. Nam si in
morbosum decumbunt, compressio molestia af-
fert: at si interior (quod etiam evenit frequèntius)
vehementius dolent, si in oppositum latus recl-
nent, quippe quum pensilis reddatur inflam-
mata particula, in morbosum verò minus, quum nec
ab ossibus prematur, nec etiam quasi suspensa
pendeat, sed potius sit ab utroque incommodo
immunis: quòd si utrinque ea membrana affi-
ciatur, par in utroq; latere decubitus est. Haec te-
nus Galenus, ex quo facile elicitur, consequens
esse huic nostro quòd agimus egrotante decu-
bitum supra affectum latus molestum ac diffi-
cilem esse: quia inflammatio externam succin-
gentem costas membranam afficiebat, quam
quum supra dolentem locum decumbebat, com-
primebat. unde dolor oriebatur. Porro quando
succingens costas membrana primum afficitur,
tunc pulsus intensus admodum est, quia interna
membrana arterias tangit, comprimit, & ten-
dit: si verò in musculis inflammatio fuerit, pul-
sus non adeò tensus est, quia non ita arteriae ten-
duntur. Ceterum evidentioris doctrinae gratia
scire

scire decet viginti quatuor costis, duo & viginti
 interstitia, siue inter costas media spatia ex
 utraque parte inesse, quia singulis duodecim co-
 stis, vndena spatia inter costas media compe-
 riuntur: quæ musculi explent occupantve, ac ea
 de causa intercostales musculi dicuntur ij. Quis
 an viginti duo sint vel potius quadragintaqua-
 tuor, in dubium vertere quis posset, & eo magis
 quia Galenus hac de re subobscurè locutus est.
 Galenus igitur, vt rem paucis absoluamus, libro
 De causis respirationis, vbi ex proposito de ijs
 musculis agit, duos & viginti tantum esse memi-
 nit, dicens, Sic etiam circa costas musculi, quorum
 in medijs ipsius regionibus duo & viginti nume-
 rantur, ad quem locum Galenus ipse, cum de eadẽ
 re loquitur, lectorem remittit, vt apud ipsum quis
 legere poterit, libris quinto & octauo De anatomi-
 cis administrationibus, & septimo De vsu
 partium, quasi predicta comētus sententia, quod
 intercostales musculi viginti duo tantum sint.
 Ceterum quod intercostales ij musculi non tan-
 tum sint viginti duo, sed quadragintaquatuor,
 vel ex hoc satis probari potest: quia thorax quum
 respirationis autor sit in quo duo contrarij motus
 reperiuntur, scilicet inspiratio & expiratio, con-
 sequens fuit natura quoque duo componeret in-
 strumenta, vt eisdem contrarias compleret ope-
 rationes, quæ proculdubio musculi sunt inter-
 costales dicti, interni & externi: interni inspi-

AMATI LVSITANI

rationi subseruientes : externi verò expirationi.
 Vnde consentaneū est asserere tot esse musculos
 interiores, quot exteriores: quod Galenus lib. à
 nobis citato De causis respirationis, paucis inter-
 iectis lineis post ea verba, in quibus viginti duos
 musculos signauit, non negat: quin potius qua-
 draginta quatuor admittere videtur, quum di-
 cat musculos istos intercostales internos & ex-
 ternos esse, quorum fibrae mutuo nexu implicite,
 & ad figurā huius characteris X intersecantur,
 & ab externis deorsum versus fibrae obliquae de-
 clinant: ab internis contrario modo: qui fibrarū
 incessus idem habetur in musculis qui ad costas
 notas habentur. Attende tamen fibrarum situm
 inter duas costas subinde quoque variari, quo-
 niam plerunque aliter se habent inter costarum
 cartilagineas, quàm inter ipsa ossa: atque ob id in-
 ter binas costas Arabes, & eorum sequaces, qua-
 tuor musculorum genera statuerūt. Sunt igitur,
 vt receptui canamus, musculi ij intercostales qua-
 tuor supra quadraginta, interni viginti duo, ex-
 terni totidem. Interni inspirationi famulantur,
 externi verò expirationi, quāquā Vesalius Bru-
 xelensis artificiosissimo illo suo libro De hominis
 fabrica, in hac re veluti plurib⁹ aliis Galeno ad-
 versatur, sed an rectè alibi, modò Deus Opti-
 mus Maximus vota nostra secundet, expone-
 mus. Accedant praedictis quatuor supra qua-
 draginta musculis intercostalibus alij plures re-
 spirat

spirationi seruientes: primo duo primarum costarum, qui superiorem duntaxat thoracis partem attollunt: totidem extremorum, inferiorem solum contrahentes: tres ex ceruice descendentes, qui sublimes thoracis particulas retrahunt simul & eleuant, septem dorsalibus costarum radicibus extensi, qui cartilaginum extrema adstringunt, octo abdominis, qui ad septum pertingunt, & thoracis: contractui auxiliantur quibus alter haud vilissimus adnumerandus venit musculus, diaphragma dictus, quos omnes hucusque percurrisse satis est, ut lectores noscant egrotum nostrum expirationem difficiliorem pati, quia exteriores musculos laesos et inflammatione affectos habebat. Nam ut obiter hoc dicam, solo septo transuerso diaphragmate dicto, in paruis respirationibus quoduis animal utitur, veluti quando musculi alij validissima pleuritide oppressi sunt, ut meminit Galenus lib. secundo De locis affect. capite secundo. Quum vero violenta respirationis vsus quidam ipsi animali oboritur, aut exercitio, aut feбри, aut vehementi aeris calore, aut alio quodam affectu, necessitas est septifunctionibus intercostales subuenire: sin autem adhuc maior vsus respirandi euenerit, etiam altioribus musculis actionem obit. At haec nunc sufficiant, quum multo plura in hac re pro Aristotele & Auerrois confutandis dicenda essent, & institutum nostrum prosequamur.

AMATI LVSITANI

*De pleuritide quodam affecto, per
lotium saniem emittente,*

CVRATIO LXVIII.

Mreator Ariminensis, vir m-
hercle probus, quū Racanaten
fes nundinas peteret, Anconæ
sæua & crudeli pleuritide cor-
reptus fuit. Nam ad quintā superiorū co-
starum dolebat, dolore quidem pūctili,
cōtinuò & intensissimè febrieat, difficul-
ter respirabat, sed difficiliter tussiebat, ob
respondentem ex affecto loco dolorem:
optimè supra affectū latus decumbebat:
supra oppositum verò nullo modo: si su-
pra eum tamen decubitus tentabat, ex
loco affecto rem pensilem persentire dolo-
rem maximum inferentem dicebat: pul-
sus huic duriusculus erat, & senæ modo
asper, quæ omnia primo die quum ad
eum inuisendum venirem, pati comperio,
& ea de causa vesperi, ea scilicet hora qua
eum cōuenimus, illico internam eiusdem
brachij venam affectum locum respicien-
tis secare feci, & sanguinem ad uncias
decem minuere: cœperat autem iam san-
guis corruptione affici, sed eo die nihil
quicquam expuit, sequenti verò die prope
noctem sputum cruentum mittere cœpit:
ad-

ad moueramus autem nos illico post sectam venam, & sanguinem detractum, fomentum filtro exceptum, quod habet, **R.** Rosarum siccarum, seminis lini, fœnugræci, hordei, maluarum, ana. pugill. vnum, parietariæ manip. vnum & medium, in libris duodecim aquæ fiat decoctio sufficiens, facta coctura, adde olei rosati librâ mediam, misce, in qua filtrum immitte, & expressum optimè calidum loco admove, & sæpe immuta. Huius cibus ptisana colata erat: potus verò hordeacea aqua iulepo violaceo, aut saccharo mixta. Secundo verò die ex eodem facto vulnere totidem sanguinis vnciæ sunt extractæ: nec enim scalpello prædictum vulnus pungere opus fuit, sed conche modo facta manu supra illatum vulnus, fortiter percutimus, & vt à cucurbitula fugiendi vacui gratia sanguis euocatur: ab hac verò sanguinis missione syrupum hūc ebibit, qui habet, **R.** Syrupi violacei simplicis, de endiuia simpl. añ. vnciam vnam, aquarum violarum, farfaræ, ana. vncias duas, misce: fiat syrupus, quē singulis diebus in aurora ebibebat: prope noctem verò diei secundi, vt dixi, hic spueræ cœpit sputum quidem cruentum, quod sequentibus diebus saniosum est redditum: tunc verò

AMATI LVSITANI

delirare cœpit, & symptomata alia gra-
uissima pati, contra quæ, vt opus erat, oc-
currebamus. At quinto die, quum lotium
conspexissem, id sanie plenum in matula
deprehendi: ita enim huius lotium sanie
infectum erat, vt lotium eius, qui gomor-
rhœam pati solet: in quo medici sæpe de-
cipi solent, credentes sanie illam, nebu-
lam, aut humoris intra venas peccantis
portiunculam à natura deuiſtam esse, pro
qua re angi cœpimus, hinc inde causam
vnde sanies decidebat inquirentes: demum
sexto die bolum ex flore cassiæ fistularis,
ad vnciam vnâ cum dimidia, pauco sac-
charo exceptum, propinauimus, & dein-
ceps melius habere cœpit: erant autem vi-
res ita imbecilles, vt septimo elapso die
nō solum panis puri micas cum iure pulli
gallinacei, sed etiam carnes ipsas conce-
dere opus fuerit, & Deo tandem auspice
penitus est à pleuritide liberatus.

SCHOLIA.

Exquisita pleuritis hæc est, quia inflammatio
succingentem costas membranam occupa-
bat, & in ea punctilis dolor comperiebatur: quā-
quam (quod sciam) nusquam nisi in exquisita
pleuritide punctilis hic dolor reperiri potest.
Ceterum subit admirari saniei per lotium exi-
tum, quem egrotus hic meiebat: & quum hinc
inde

inde animum voluerem, in mentē venit. sanie
 thorace collectam per vrinam quandoq; excer-
 ni: quod Galenus ditissimus medicina Oceanus
 non sinit libro sexto De locis affectis: per velan-
 tem autem costas membranam materia phleg-
 moni impacta resudat, quæ pulmonibus collecta
 pectoris compressione ascendit. Ceterum quum
 ipsis pulmonibus arteria venalis hæreat, & alli-
 gata sit, consequens est fieri posse materiā per eam
 demandari, & ad cor peruenire: tandem inde
 per magnam arteriam Aortæ dictam, delegari,
 & ad emulgentes descendere, & consequens per
 vrinam mitti, veluti per secessum quoq; reici co-
 tingit: ad cor autem, vt dixi, perueniens materia
 per venam putealem cauam dictā deferri potest,
 & inde ad iecur, et tandem ad venam portæ, &
 intestina: quāquam fieri posse tradit Gal. vt ma-
 teria hæc per cauā venam ad venā portæ perue-
 niat, & iecoris gibbas partes non attingat: quia
 à vena cava aliquando vena quedam deciditur,
 quæ venis portæ copulatur, per quam materia ad
 ipsas venas portæ peruenire poterit, absque quòd
 iecinoris partes gibbas contingat.

De pleuritide,

CVRATIO. LXIX.



Vella nata annos septemdecim
 post optimam mensū suorum
 purgationem, pleuritide corre-
 pta fuit: sanguinē purum spue-

AMATI LVSITANI

bat, & circa mammam læuam dolore afficiebatur, qui ad clauiculam respondebat, continuo febricitabat, tussiebat: & quum tussiebat multum, loco prædicto dolebat, cum quibus difficultatē anhelitus patiebatur. Huic occurrens ipse ab iniecto clystere, sexta eodē die bis axillaris vena eius dē lateris fuit, & sanguis ad vncias viginti extractus. Porro locus dolore affectus fomento irrigabatur, fovebatūrve, quod habet, R. Maluæ, maluanisci, parietarie, rosarum, seminis lini, fœnugræci, hordei, añ. pugill. vnum, in libris duodecim aque fiat decoctio secundum artem, cui adde olei rosati, violati añ. vncias tres, misce, & in eo filtrum vel spongia noua imbuta, aut vesica eius plena loco affecto imponatur, & postea vnguento violaceo cum illinito, iis enim puella hæc melius habuit. Sed cibus huic ptisana cū cremore, hoc est lacte seminis melonis & amygdalarum erat: potus verò hordeacea aqua, quam tepentem iulepo admixtam semper ebibebat, quibus omnibus intra quinque dies sanitati restituta fuit.

De exanthematibus, morbo dicto pulicari, absque febre in puero erumpente,

CVRATIO LXX.



Ver ad me delatus absque febre, totus maculis quibusdam pulicum puncturis similibus scatebat, & ipsis quidem niger rimis, vt mirari satis sit talem morbum absque febre, vel animi anxietate, aut pueri ipsius detrimento ad cutem prorupisse. Sed quum potenti virtuti nihil esse difficile sciamus, vt quæ per ossis medium transmittit materiam abscessum gignentem, vt refert Galen. lib. vij. Apho. enarratione. lv. ideo mirari destitimus. Ceterum duobus interpositis diebus puer hic egestiones, sanguinem multum nigrum, faeculentum, malè olentem, egestit, & sanus ac liber euasit. Sed alterum puerum tunc febrientem vidimus, cui per crura exanthemata, siue efflorescentia signa disseminata erant: quæ quoque subito apparuerunt: & breui sanus factus fuit: graßabatur autem tunc febres malignæ pestilentes, vt ex dicendis videbitur.

De febre cōtinua maligna interficiēte,

CVRATIO LXXI.



Anuel Pintus vir annos natus circiter lx. quū iam diu mœrore afficeretur, in febrē incidit continuā, & malè morigeram:

q ij

AMATI LVSITANI

fortiter sitiebat, capitis & oculorum magnam persentiebat grauitatem, intus urebatur, extrà verò membra frigeabant, lotium rubrū & crassum emeiebat, in quo pars superior albicabat. Sed pulsus debiles omnino erant quadam cum intercidētia, vt singulis tribus pulsationibus vna deficeret: qua de re tertio ad eū ingrediēs sanguinis missionem per venæ sectionem moliri veritus sum, imò ad ea quæ roborant, & vires reficiunt, confugimus. Ea huic pro victu cōcedentes, vt vitellos ouorum rosacea alteratos, pulli cōtusum ptisanæ mixtum, capi ius in quo semina citri, acetosæ, bolus Armeniæ, margaritæ præparatæ, corallus præparatus, & iis similia in puluerem redacta mittebantur, non minus conditum ex acetositate citri concedebatur, veluti eius syrupus, cum altero de nimphaea mixtus, adiectis destillatiis aquis. Vniuersus autem noster conatus eò dirigebatur, vt vires reficerentur, & febris acumen, ac malignitas infringentur: pro qua complenda operatione cordi epithemata refrigerantia applicabamus: demum resumptis vtcunque viribus, quinto die cassiæ fistularis drachmas decē ex aqua acetosa dissolutas ebibit: quibus multa egressit biliosa & mera. Cæterū
pul

pulsus debiliior est redditus prædictis cum intercidentiis: septimo quinquies in nocte sua sponte egeffit, in fine cuius hirudines duæ ano admotæ sunt, & sanguis per eas abundè extractus: octavo melius habere visus est, nono ter quoque sua sponte egeffit biliosissima & foetida multa: nihil in victu accipiebat, lingua arida & scissa facta est, mente semper constans fuit: decimo bis egeffit, sputa multa viscida excreabat, sed maxima cum difficultate, & tunc vires imbecilles multum erant: decimum vndecimi initio obiit, ultimo scilicet die mensis Februarij 1552.

De febre continua pestilente,

CV RAT IO LXXII.



Aualerius Aulonēsis mercator, vir sexaginta annorum, fortis & robustus, hoc eodem tempore febre continua pestilente & maligna corripit: nā primis diebus, vt medicus referebat, febriculā quandam lentam pati cœpit, quā ægrotus nihili faciebat, quia nihil dolebat, sitiebat tamen multum, & pulsus inordinatos habebat, & urinā crassam emittebat: quibus de causis per minorās medicamētū primis dieb⁹ æger ipse purgat⁹ fuit, & per cucurbitulas

AMATI LVSITANI

scapulis admotas secta cute illi sanguis extractus: nam in brachiis venæ non apparuerant: sexto verò die urinae bonæ cum nubecula copiosa erant: octauo peius habuit, & urinae subalbida cum subliamento albo sunt factæ: nono brachij exterior vena secta fuit: decimo per totam noctem non dormiuit, sed delirabat, & multa loquebatur, & manibus ex stragulis ne scio quid extrahebat: in aurora stridor dentium, linguæ nigredo, febris intensa, pulsus parvus cum intercurrentiis, & somni maxima appetentia, pro quibus scapulis cucurbitulae siccae applicitæ sunt: vndecimo omnia eadem habebantur, sed vires cum corporis impotentia imbecilliores sunt redditæ, & oculorum concaua nigra sunt facta, facies verò subliuida, narium extremitas acuta cum quadam albedine: duodecimi initio tremore affectus fuit, ad quem sudor copiosus calidus subsequutus fuit, vniuersum irrigans corpus. Cæterum crura etsi calebant, non tamen sudabant: elapsis verò duabus horis huic os distortum est, & sudor ex toto exoleuit, pulsus diminuti erant, inter se loquebatur, neque ab assistentibus percipiebatur. Ore non instabat, & decimotertio die mortuus fuit, quinto scilicet die mensis Martij, 1552.

De

*De febre maligna, in qua urina opti-
ma semper apparuit,*

CVRATIO LXXIII.

Hoc eodem tempore senex Par-
tinopolitanus annos natus se-
xaginta, fortis, & potens, febri
cōtinua & maligna corripī cōe-
pit, cū qua nullam corporis partē dolebat,
sed maximē sitiebat, & linguam nigram
& aridam habebat: huic cæterū primis
diebus ex cassia fistulari aluus exonerata
fuit, & sequentibus diebus vrina optima
semper optimo cum sublimamento appa-
ruit. At pulsus debilis cum intecidentiis
erat, vt h'c mirari liceat optima cum vri-
na, & nullis symptomatis, pulsus pessim⁹
erat: testantur autem hæc vitalem faculta-
tem morbo oppressam esse, cæteris adhuc
non malè valentibus facultatibus: hic quū
multis diebus absque remediis perseuera-
ret, ita in extremis egit, vt per quatuor
dies solo muliebri lacte gubernatus fue-
rit, postea verò capi aquā destilla-
titiā, & oua sorbilia pitissa-
bat, & tandem præter
aliorum spem
euasit.

q iij

AMATI LVSITANI
De febre maligna interficiente,
CVRATIO LXXIII.



Amuel Segnior hoc eodem tēpore per simili febre correptus fuit. Cæterum quum hic iuuenis robustus & fortis esset, & medicus segniter in sanguine extrahendo se gesserit, octauo obiit: sunt autem febres hæ pestilentes cordis substantiâ præcipuè occupantes, pro quibus exactè deprehendendis paucula hæc subiiciam.

SCHOLIA.

TEstatur Galenus libro tertio De præsa-
gatione ex pulsibus, capite quarto, febres pesti-
lentes nonnunquam reperiri non grassante pesti-
lente lue, eius enim inibi hæc sunt verba, Scien-
dum tamen nonnunquam incidere sine peste has
ipsas febres, vt de illis prodiderunt omnes insi-
gniores medici, vocantq; pestilētes: de quarū tota
natura disputauī latius libris De differ. febriū.
Ob hæc fortè Galeni verba Zoar gloriosus libro
sui Theisir, omnem febrem putridam quoquomo-
do pestilentem esse dicere ausus est, vt Cōciliator
libro suarum differētiarum exactè prosequitur.
Ceterū in iis pestilētibus febribus, de quibus cura-
tiones nostra habita sunt, sepe pulsus & vrina
ita naturalibus similes erant, vt omnibus admi-
rationi essent, imò eisdem affecti ita pauculū &

remis

remissum quandoque persentiebant febrilem calorem, ut non solum ipsi, sed privati eos tangentes, non febrile dixerint, quæ omnia Auicenna aduertens ex Galeno, libro tertio De præfagatione ex pulsibus, ubi hæc scripta dimisit, *Fen prima libri quarti*, quum de ijs febribus pestilentibus agit, inquit, Sunt quippe ex ijs pestilentibus febribus nonnullæ, in quibus neq; æger, neq; ipsum tangens excellentem febrilem calorem persentiunt, imò ipsius ægri pulsus & vrina à naturalibus non multum distant, & tamen febris ipsa velociter interficit, unde in ore medicorum habetur, *Vrina & pulsus optimi sunt*, sed æger tendit ad obitum: qui sanè medici hæc dignoscentes, multa sunt laude digni, utpote in arte medendi exercitissimi. Carpit autem Galenus sui temporis medicos, qui diuturna quadam peste hæc discernere nescirent, imò eos nihilo plebe præstantiores, imò imperitiores dicit: subiungam autem Galeni verba, ut artem medicam exercentes, unde Auicenna sua deprompsit, noscant: libro igitur & capite à nobis citatis Galenus ita ait, Sanè videtur quibusdā perplexa & incognita via, si quādo in ijs pestilentibus febribus, neque differentia vlla pulsum deficiet, & seipse ægrotus se rem non dicat percipere: nec ex vrina quidem petere in eiusmodi affectibus firmam notitiam semper licet, sed est etiam febre anceps, colore & sedimento similis naturali: sexcentos tales in pestilentia

AMATI LVSITANI

diuturna conspeximus, ubi medicos cerneret nihil plebe præstantiores, imò verò imperitiores multo nonnullos experiente plebeio. Vulgus enim ferè si nihil aliud, at strationem egrotorum videas observare, quæ si fieret, peiorem casum expectant. At illi quidem vsu tale signum in pestilentibus febribus inuenerunt, tu non vsu modo sed ratione æstimas: iam os etiam attēdunt, quod si illic aliquid caloris pestilentis cernant, eos peste confirmant laborare: equidem medico hæc putio clariora esse quàm vulgo: partim colorem habet depascentibus herpetibus assimilē, diffusum per plures partes scilicet quàm à primo, & si manū thoraci exercitatus medicus admoueat in explorando febrili calore, ne tum quidem prætereat eum affectus. Inspicienda porro præ cæteris vrina est. Etenim conturbata quorundā eorum videtur esse & aquosior, ac nonnullorū multo quàm pro natura tenuior, atq; hæc quidē certissima est: necnon quæ naturalibus vnde quaque similis est colore & crassitudine, hæc etiam ad secundam spem certissima est: quæ si sublimamēto probe sit prædita, multo etiam est certior, si quidem sedimentum sit leue, candidum, & equabile: præsertim sublimamentis animus est adhibendus. Nā quedam quæ subliuida quodammodo sunt, fugiunt: & item alia quæ aranearum latas telas referunt, in modum lane congestæ, At si quid tale animaduertas, vt nullū planè sublimamentum

tum innatare vrini, in peiorem partem hac interpretare: Si contraria videas, quæ retuli modo, non potest fieri, vt homo male affectus sit. Hæc autem Galeni verba ita nobis citare placuit, vt studiosi noscant, quæ in eis comprehendantur, simulq; vnde Auicenna ea quæ de febre pestilente dixit, mutuatus est: in qua aliquando pulsus boni apparent, vrina bona, & febrim ægrotus non percipit, & tamē ipse ad obitum tendit. Sed vnde hæc eueniant multi inuestigarunt, sed nemo, quod equidem legerim, hucusq; scopum attingit. Auicennæ porrò enarratores ferunt in febre pestilente hæc omnia bona apparere: quia pestilens febrilis calor ita crudeliter naturam hominis inuadit, vt in eū natura ipsa nō re agat. Sed liberè quò vellet, agat sinit, & eū vt tyrannū in domo aliena potentē dimittit, & ad suas functiones peragēdas se vertit, vnde vrina cū sublimamento optima euadit, & pulsus ordinatus incedit. Hoc enim responso Cōciliator & Gētilis de Fulgione, ac ceteri sui coætanei Auicennā sequētes, cōtenti euadūt, quod verū sit vel falsum discernēt ij, qui rei medullā & nō corticē tantū degustarūt: sed esto verū sit, nos tamen Galeni doctrinā sequentes, longē aliā rationē vtpote rei euētui magis facientē reddemus: pro qua percipienda scire decet, quòd pestilēs febrilis calor quādoq; humores in cordis sinibus contentos occupat, & ad eos magis deflectit, & tunc pestilens febris non aded

AMATI LVSITANI

letalis est: quandoque verò pestilens febrilis calor
 ad cordis corpus magis deflectit, imò ipsum pri-
 mario affectu afficit, & lancinat: & tunc mor-
 tifera & letalis pestilens febris est: & ut in vni-
 uersum autem dixerimus, febris pestilens potissi-
 mum aut cordis sinus, aut ipsius cordis corpus oc-
 cupat, apprehendit. Et in hoc à putridis febrili-
 bus pestilentes differunt, quia putrida à venis,
 & longinquiori loco putridam fuliginem ad cor
 inficiendum quoque trāsmittunt: pestilentes ve-
 rò in ipsis cordis sinibus, aut in ipso cordis corpore
 putredinem potissimum infixum habent. Id verò
 verum esse ex Galeni doctrina decerpimus, non
 quidem trivialibus De differentiis februm li-
 bris, sed potius de Prasagatione ex pulsibus. Cate-
 rum quando pestilens febris cordis corpus primò
 afficit, & id quasi manu tenet, tunc, ut dixi,
 mortifera & letalis est: quæ suo initio cum hec-
 tica febris cōmercium & similitudinē habet, ut pri-
 ma huius Centuriæ curatione dixi: vnde Gale-
 nus citato libro tertio De prasagatione ex pulsi-
 bus, prope calcem capitis quarti inquit, Etenim
 sunt, ut docuimus, pestilentes non pauca febres
 inde ab initio vsq; hecetica, distātq; ab omnibus
 alijs febribus, quæ ex magna putredine oriūtur.
 Ex ijs igitur Galeni verbis, quisque sensatus me-
 dicus rationem reddere posset, proposito quasito
 satisfaciens, quòd calor febrilis pestilens ab agro
 to non percipitur, præcipuè quando cordis corpus
lanci

lancinat: quia tunc febris hectica est, in qua febrilis calor non sentitur: imò in ea pulsus & urina non multum à naturalibus distant, precipue in eius initio. Huic rationi altera ex Galeno depromptam subiungam, & ita habet, In febre pestilente Galenus animaduertens pulsus & urinam non multum à naturalibus dissidentes, ad quandam temperamentorum repugnantiam in corde confugit, ex qua pulsus non admodum naturalibus dissimiles oriuntur. Sic enim ille tertio libratam sepe à nobis citato De presagatione ex pulsibus. capite tertio inquit, Nonnunquam percipitur in corde huiusmodi pugnantia temperamentorum, nam modo frigidius visceris corpus æquum est, & in ventriculis contenta substantia calidior: modo è diuerso substantia frigidior, cor autem calidius, ubi etiam pulsus sunt moderatis similes. Nam medius quodam modo status hic efficitur, ex duobus contrarijs conflatus: qui sanè affectus vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit: quidam inde ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de natura, qui quidem præter ceteros perierunt. Hec enim Galeni sententia de temperamentorum in corde pugnantia, optimos pulsus in peste conciliat, nec minus optimam urinam, & continendum calorem febrilem, quæ si superiori coniunxeris rationi efficacius multo omnia complectetur. Porro inquireret

AMATI LVSITANI

artem medicam exercens doctus, in quibusnam
 dignoscemus febrem pestilentem cordis corpus
 occupare, vel ipsius potius visceris ventriculos,
 cui quæsito quia Galenus oculatissimus rei medi-
 cae autor respondet, nos eiusdem verbis satisfacti
 respondemus, quæ citato loco pro coronide ita ha-
 bent: Vbi aër quem inspiramus infectus putredi-
 ne sit, putredoq; ipsa ad cordis corpus peruenierit,
 febrem pestilentem ac letalē accendit: quæ qui-
 dē ex caloris acredine ipsoq; caloris genere agno-
 scitur: & ex pulsu etiā, qui parū à natura modo
 recedens, in eodē statu perpetuò manet. Quēad-
 modū in hecticis febribus, quarum sanē duo hæc
 propria sunt signa, si perpetuò sibi illæ videantur
 similes, nec inuasionem vllam accessionis, neq; in-
 crementum, neq; vigorem, neque remissionē ha-
 beant, neque febricitare se percipiat agrotus. Hos
 pulsus nihil est necesse maiores iusto, atque inte-
 rim nec crebriores quidē esse, at omnino celeres
 tamen, quum febrietium pulsibus vniuersis adsit
 perpetuò celeritas. Ceterū quibus calor hic pu-
 tridus ad humores, quos continent cordis sinus,
 vniuersus deflexit, non autē ad corpus ipsius vi-
 sceris, multi horum fuerunt superstites: porrò de-
 prehenduntur hac peste affecti in cordis sinibus
 contentos humores infestos habere, si febrem pri-
 mū percipiant, deinde si non equaliter perpe-
 tuò febricitent, ad hæc si pulsum nō habeant præ-
 validum: nam si corpus ipsius cordis primario pu-
 tredine

tredine pestilenti afficitur, pulsus imbecilles sunt
 omnes: & ut dixi, illis qui hecticam patiuntur
 omnia fere similia habent egri, & maiori ex par-
 te moriuntur: quam enim excogites medicinam
 ad putredinem, quæ cordis corpus occupauit? At
 qui pestilenti febre infectus est, & ad ea quæ illi
 offeruntur bene se habet, plerunque euadit: unde
 Auicenna capite quarto prædicti loci dixit, Et
 quando cadit appetitus eorum qui febres patien-
 tur pestilenciales, incitentur omnino ad comestio-
 nem: quoniã qui viriliter ad ea quæ sibi offerun-
 tur se habent, & potenter comedunt, euadunt.
 Quæ verba Auicenna ex Galeno accepit, enar-
 ratione quinquagesima octaua cõmentarij tertij
 in librum tertij De morbis vulgaribus, ubi ita
 ait, Etiã hoc symptoma omnes cepit, qui in peste
 diuturna, quæ modo vixit, lahorabant: quare fa-
 ctum est, vt multi morerentur: fortissimi ergo qui
 vim sibi ipsi adferentes, cibum oblatum assumpse-
 runt, omnes fere superstites fuerunt: plurimi ve-
 rò mori, quàm comedere quicquam prius duxe-
 runt. Hæc autem Galeni vera esse, hoc anno mille-
 simo quingentesimo quinquagesimo secundo in
 multis febribus pestilentibus affectis, & cona
 obseruauimus: quia qui febribus pestilentibus
 afflictabantur, & fastidiebant cibum, maiori
 ex parte moriebantur: vt nunc, quum hæc scri-
 bo, puella septemdecim annos natæ euenit,
 cibos à se reijciebat, dicens malle se mori,

AMATI LVSITANI

quam eos gustare: ac sic per octo dies incibata manens, suum diē obiit. Sed plures alios obseruauimus prædicta febre detentos, qui vel inuiti cibaria quæ illis offerebantur assumebant, & superstites fuerunt, ut medicus Zaratusensis, Ruius mercator, & plures alij de quibus futurus sermo est. Ceterum ex bene vel male habente ventriculi appetente facultate, fastidium vel appetentia insurgit, quod Galenus non sinit commentarij prædicti enarratione tertiadecima, & quartadecima, & citata à nobis quinquagesima octaua, veluti alibi sæpe. Sed quū iam curationi huic ultimam manum imponere statuissem, in mentem subit, quod quum pestilentes hæc febres sua seuitie & malignitate spiritus lancinent, & vires breui deiciant, & dissoluant, consequens est ut medicus pro illis curandis summam adhibeat diligentiam, & pro illis profligandis multis & varijs utatur machinamentis, curatoriam indicationem potissimum desumens à morbi malignitate, & eius putredinis tyrānide spiritus dissolvente, & virium robur destruyente: quo fit, medicinis exiccantibus & cōstringentibus, ac refrigerantibus summa cura illico uti debet, ut ipsis putredo seua obtundatur, & spiritus dissolutioni parati resistāt, & dissoluta mēbra cōstringantur, & caloris acredo infringatur. Sunt autē medicine hæc, acetū, & ex eo cōpositi syrups, veluti quoq; syrus de acetositate citri, qui inter syrupos ad hoc summā

habet.

habet prerogativam, syrupus de acetositate limonis, syrupus de succo acetosa, oxysacchara, conditum ex acetositate citri, conditum siue conserua ex acetosa herba, syrupus de ribis, tamarindi, malagranata acida, bolus Armenia, terra sigillata communis, vterq; corallus preparatus, margaritæ preparata, oleum vitrioleum ex rosacea aqua vel acetosa dissolutum, & exhibitum, fragmenta lapillorum preciosorum, præcipuè smaragdus gemmarum nobilissimus lapillus, qui immerito à nonnullis parum in arte medica exercitiis, pro hac conficienda, aut saltem adiuuanda operatione exploditur, ad hæc faciunt lapis beZarticus, ex capræ Indicæ cuiusdam ventre extractus, vel ille alter ad rubedinem vergens, admodum durus castaneæ figura lacryma cerui dictus, de quibus multa in nostro diximus Dioscoride superioribus diebus Venetiis excusso: iis addere possemus plures alias medicinas, & varios cibos, in sanguinem faciliè vertibiles, nec minus varia & selecta composita, vt theriacam verā, mithridatum antidotum, & varia alia medicamenta, vt dictamnium Cretensem, os de corde cerui, ramentum vnicornis, modo verum cornu habeatur. Scordion & cetera varia, neq; enim tunc in propinandis constringentibus medicinis citatis timor aliquis est meatuum obstructionum, quia maius ex ipsis consequitur iuuamentum quàm nocumentum. Proinde qui in iis febribus

AMATI LVSITANI

medicinas has vituperare contendit, tanquam parum in arte medica exercitus, explodendus est, quia curativas indicationes in totum ignorat. Ceterum febres hæ anno hoc millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ex morbis vulgaribus habende sunt, quia multos Anconæ invaserunt, & nisi Deus Opt. Max. harum furorem auerteret, pestis morbus appellandus erat, quia breuiter multi periere, ita enim Galenus enarratione vigesima cōmentarij tertij in librum tertium De morbis vulgaribus tradit: Quicumque morbus vno in loco multos invaserit, vulgaris hic vocatur: qui simul, si hoc habeat ut multos perimat, pestis fit. Porro iis pestilentibus febribus Ancona nobilis & antiqua ciuitas, vario gēnium genere ornata, admodum subiecta est, veluti præclara Venetiarum ciuitas, omnium ciuitatum hodie regina, & quæ inter mundi habitabilia mirabilia merito digna connumeretur. Nam Ferraria tertianæ nothæ dominiū habent. Quod verò has pestilentes febres patientibus leuia purgantia pharmaca sunt danda, non verò fortia & exoluentia, omnibus notum esse vellem: cuius rei inadvertentia medici non paucos agrotantes neci tradunt, ut hoc anno experienti visum est, præcipuè in Bartholomæo Thomasio nobili Anconitano, consule olim Florentinorum: cui hæc morbo laboranti pharmacum ita potens à medicis nonnullis propinatum fuit, ut vix elephas id

fere

*ferre posset, quæ de re breui, proli dolor, vitam
cum morte commutauit.*

*De febrî continuâ, cum pulsu inter-
cidente naturali, largiter ui-
no ebibito sublata,*

CVRATIO LXXV.



Onachus Illyricus ordinis Præ-
dicatorij senio confectus, quum
febrî continuâ corripereetur, &
malè haberet, adeo vt pulsum
intermittentem grauissimis cum sympto-
matis haberet, eum ferè deploratum reli-
quimus. At ille quum vinum miram in
modum appeteret, ab assistentibus acri-
ter efflagitabat vinum illi concederent,
nam aliter viuere se non posse clamabat.
Assistentes igitur miserti hominis agro-
tantis & senio cōfecti largiter illi vinum
concedunt: Deus bone ita eius liberalis
potus huic contulit, vt breui melius ha-
buerit, & paucis interiectis diebus ex toto
sanus euaserit. Cæterum pulsus in-
tercidentia huic, vt postea no-
taui, naturalis erat, vt quum
de pulsu Barbosij egi, iam dixi.

AMATI LVSITANI
De recidua in quinto die per sudorem terminata,

CVRATIO LXXVI.



Vi chartas pro ludo Primæ componebat iuuenis ægrotauit: à morbo vero liber postea in eundem recidit, febricitabat, sitiebat, & de capitis dolore querebatur: huic secta fuit vena, & illico post sanguinis missionem aquam frigidam cum iulepo ebibit, & in tantum prorupit sudorem, vt inde liber & sanus factus fuerit. Breues admodum & acuti plerunque Anconæ morbi sunt, terminatus autem fuit hic quinto die.

De febre continua, quinto die terminata,

CVRATIO LXXVII.



Vuenis nepos Arrij ouum febris continua corriperebatur, de oris amarore cum ingēti siti maxime querebatur. At quia quādo exhibebat, fel bibere dicebat, ea de causa ab aqua in totum abhorrebat: ad quem ipse accedens, & omnia prædicta considerans, primo pharmacum hoc illi dedi,

℞. Syrupi rosati solutiui, vncias tres,
diac

diacatholiconis vnciam mediam, aquarū lactucæ, cicoreæ, añ. vncias duas, misce, fiat potus: quo multa euomuit biliosa & amara, & aliqua quoque excreuit: sequenti vero die sanguinis libram integram ex interna brachij extrahere fecimus vena, postquam sanguinis missionē bene egeffit, & aliquantulum sudauit: sequenti vero die omnia eodem modo habebantur, quo factum est, quia iuuenis boni habitus erat, tēperatura sanguineus, iterum ex cōmuni brachij vena sanguinis alterā librā fluere permisi, à qua in copiosissimum sudorem deuenit, & sanus est factus: quinto autem die crisis hæc facta fuit, in quo die maiori ex parte morbi terminabantur ij.

SCHOLIA.

Febriticantibus, quibus oris amaricatum inest, à minorante purgatorio medicamento ante sanguinis missionem inchoandum esse prima Centuria harum curat. diximus, in quam sententiam Zoar libro tertio sui Theisir, capite de febre sanguinea vadit.

**De febre pestilente cordis, corpus
potissimum infestante,**

CV RATIO LXXVIII.

r iij

AMATI LVSITANI



Iosephus, aurifex Venetus fe-
 bri cōtinua maligna, & ea qui-
 dem cordis corpus infestante
 corripī cōpit: testabantur verò
 signa ita esse, quia quum continuò feбри-
 ret, febrilem calorem vix æger vel eius
 corpus tangentes exterius percipiebant.
 Pulsus huic continuus submissus, & debi-
 lis erat, vrina naturali similis, sed æger
 ipse ad obitum tendebat: valde angustia-
 batur, & ad cor grauamen & pondus per-
 sentire dicebat, quæ comedebat non reti-
 nebat, sed breui ea vomebat: parum sitie-
 bat, ob vētriculi fortē offensam virtutem
 appetitricē: nam intus magnum calorem
 vigere nigredo linguæ testabatur: quæ o-
 mnia aduertēs, in homine præsertim æta-
 tis suæ triginta trium annorum, forti &
 valido, temperatura sanguineo, secun-
 do die ægritudinis sanguinis vncias sex
 ex brachij vena extrahere feci, & illi
 syrupum ex acetositate citri illico ob-
 tuli: quin cordi epithema frigidum cor-
 diale admotum fuit, & ori ventricu-
 li ex cydoniis confectum oleum. Sed
 interdiu & noctu ex condito acetosi-
 tatis citri gustabat, veluti conditum ex
 tribus santalorum generibus, & diamar-
 gariton frigidum: iis autem ventriculi fa-
 cult

cultas retentrix roborata, quæ comedebat retinebat, quæ erant pulli galinacei iusculum omphacio alteratum: cui pulueres miscebamus ex utroque corallo præparato, margaritis præparatis, & vulgari bolo Armeno oriëntali, vera terra Lemnia olim dicta. Vini verò loco succum acidorum granatorum bibebat, non nisi hordeacea aqua dilutū, sed interim dum hæc parabantur, sequens decoctum concinnari feci, quo ita egregiè valuit, vt postea exhibito purgatorio ex manna pharmaco septimo die ex toto sanus factus fuerit: habet autem apozema, siue decoctum sic, *℞.* Hordei mundi, rosarum rubearum, florum borraginis, buglossi, añ. pugillum vnum, dictāni Cretensis pugill. medium, scordij, pimpinellæ, borraginis, radicū buglossi, añ. manipulum vnum, seminis acetosæ, seminis citri, añ. vnciam mediam, tamarindorum vncias duas, in libris septem aquæ fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & fiat colatura, cui superadde sacchari libram vnam, & ad ignem parum admoue, cuius vncias octo in aurora bibebat, & totidem vesperi: iis enim hunc defletum & in familia orci numeratum, luci auræque vitali restitimus.

AMATI LVSITANI
*De febre continua, intra septem
dies terminata,*

CVRATIO LXXIX.

DAn Orientalis mercator, iuue-
nis boni habitus vltimis die-
bus Martij febre continua ca-
ptus est, capite dolebat, urinā
crudam & incoctam meiebat: sequēti die
post alui per clysterem excretionem do-
lor ex toto euauit, febre eo modo manē-
te, quæ natura sua in nocte grauius ægrū
affligebat: huic secta vena est, & sanguis
ex flexu brachij extractus, melius habuit,
& urinam optimā cum pendente nebula
minxit: sexto verò die epoto purgatorio
medicamento, multa excreuit, demū septi-
mos sanus fuit factus. Ebiberat autem an-
tea syrupos, vias & meatus obstrusos
aperientes.

De febre continua maligna,

CVRATIO LXXX.

PRioribus Aprilis diebus Rutiū
mercator in nocte horrere cœ-
pit, ad quem horrorem secuta
fuit febris acuta, maligna: præ-
sens in aurora igitur ipse, considerans ho-
mines eo tempore febribus acutis & ma-
lignis

lignis publicè vagantibus maiori ex parte corripì, omni data opera illico à principio contra morbum inuasimus. Est autè vir hic gracilis, natura biliosus, peràplas habens venas, annos natus tres vel quatuor supra triginra. Per balanum igitur irritata aluo, & fecibus depositis, internā brachij dextri venam secare feci, & ex ea libram sanguinis fluere, post quā sanguinis missionem syrupum hunc ebibit,

℞. Syrupi de succo acetosæ, de ribibus, rosati simplicis, añ. vnciā mediam, aquarū endiuix, lactucæ, acetosæ, añ. vnciam vnā, misce, & sic frigidum bibat. Item epithema cordiale refrigerans cordi applicitum fuit, & ptisana pro victu concessa, & inter diem & noctem ex lactucæ cauliculis saccharo paratis reficiebatur: veluti radicibus buglossæ saccharo cōditis, super quas hordeaceam aquam paucò vino granatorum mixtam bibebat: tertio verò die quū fiti ingenti premeretur, hoc decoctū, siue iulep longum dictum, parare feci, quo sæpè utebatur: & ita habet, ℞. Foliorum endiuix, cicoreæ, acetosæ, borraginis, pimpinellæ, añ. manip. vnum, hordei mundi pugillum vnum, radicum buglossæ vncias duas, tamarindorum vnciam vnā & mediam, prunorum Damascenorum

AMATI LVSITANI

numero duodecim. In libris octo aquæ fiat decoctio quousque maneant libræ quinque, facta colatura adde syrupi de succo acetosæ, de acetositate citri, de borragine, añ. vncias duas, misce, quo in aurora syrupi vice pondere octo vnciarum bibebat, & vesperi quoque pari pondere. Cæterum vt aliquid in ore ad domandam sitim teneret, prunum vnum vel alterum gustabat, & eius putamen ore tractabat, vel psilij semen sæpè à nobis vt decet paratum, & aqua mersum: vel hoc aliud,

℞. Mucilaginis psilis, feminis cydoniorum ex aqua lactucæ paratæ, añ. vnciã mediam, syrupi de ribibus vnciam vnã & mediam, misce, & ex hoc os colluat. At quinto die pharmacum leue hoc ebibit,

℞. Mannæ electæ vncias duas, rhabarbari boni drachmam vnã, antidoti Mithridatis drachmam mediam, syrupi de acetositate limonis vnciã vnã, cum aqua lactucæ quantũ sufficit, misce, fiat potus, quo nonnulla excreuit. Sexto nocte graue & insomnem habuit, & pulicare accidens per vniuersum corpus rubricas apparuit, signum quod febrem pestilentem omnino attestatur: vt refert Galenus libris Methodi medendi, & variis aliis locis, sed præcipuè enarratione vigesima octaua cõment

mentarij primi in libram sextū De mor-
bis vulgaribus, in quibus omnibus locis,
Thucydidem testem adducit. Septimo die
puhicare symptoma cum pauculo sudore
evanuit, & vrina hypostasis alba apparere
cœpit: octauo deliravit, & clausis oculis
multa loquebatur, quæ ab assistentibus
non intelligebantur: tunc ad anum hiru-
dines duæ admotæ sunt, quæ multum san-
guinis extraxerunt: nono ad cucurbitulas
cum scarificatione secta cute cōfugimus,
tunc minus delirabat, & vrina cum subli-
mamento rubra apparuit: decimo & pro-
ximis diebus, omnia eadem: decimotertio
parum sudavit: decimoquinto per phar-
macum purgatus fuit, tandem decimosep-
timo copiosè sudavit, sudore quidē mul-
to & calido, à quo liber evasit.

De febre putrida continua,

CVRATIO LXXX.



Vuenis magnus lusor, & qui to-
tam pecuniam Primeriæ ludo
amiserat, in febrem putridam
cōtinuā lapsus fuit, caput dole-
bat, sitiebat, & delirabat: ad hunc igitur
ingressus medicus quidā cucurbitulas sca-
pulis admouere fecit. Nam sanguinis mis-
sionem per venæ sectionem eo tempore

AMATI LVSITANI

(vt aiebat) timuit, quia luna ex diametro
foli opponebatur: quarto verò die ad eum
accedens ipse, videns omnia prædicta pati,
illico ex flexu brachij basilicam venam se-
care feci, & ex ea sanguinis libram vnā
extrahere. Miseri profectò reputandi sunt
medici illi, qui ad lunæ coniunctiones &
oppositiones ægris malè habentibus ani-
ma duertunt, sanguinis missionem vel per
pharmacum purgationem necessariam ti-
mentes. Delirabat autem hic, & multa
effutiebatur, quæ ad ludum faciebant, quum
aliquândo magno applausu, primeriam ha-
bere eleuata voce loquebatur, quandoq;
verò ad eam conficiendam, deesse carche-
siorum folium vnum vel alterum, aut au-
reorū, vel baculorum, aut ensium, anxio
animo, & summissa voce dicebat, & inte-
rim contra vaftrum, & cauillatorem, &
eum qui artem componendi folia tenet,
agere imaginabatur: vesperi tandem vi-
dens eum sic prædictis teneri ex cephalica
vena brachij totidem sanguinis vncias
extrahere feci, quo in die aluus respon-
deret balano curauimus, & syrupum re-
frigerantem, & aperientem ebibebat:
quinto verò die quum multū sitiret, aquā
multam ebibit, qua nōnulla euomuit, &
paululum sudauit: sexto pharmacū purga-
torium

torium ebibit, quo multa egescit: octavo lotium crudum multū & viride meiebat, qua de causa iulep longum nostro modo concinnatum sæpe ebibebat. Undecimo illi labia torquebantur, retrahebanturve, & in capite magnam persentiebat caliditatem: vesperi ano applicitæ sunt hirudines, vires parum constabant, sed lotium tunc vt primo subuiride, multum, sed cum nebula apparere cœpit, & lingua nō adeo exusta vt antea erat: duodecimo sua sponte duriuscula egescit, & multa, in quo die frictiones, & retractiones ab scapulis ad crura vsque sunt factæ: tertio decimo vinum olfecit, cuius odore multum oblectabatur, sed post eius odorem caput doluit, & febris auda fuit, & sitis intensior cum lingue crassitie videbatur. Tunc verò quum in decocto bibendo perseueraret, symptomata omnia sunt remissa, & ipse ad sanitatem paulatim peruenit: timor autem apud me fuit, ne hic in quartanam, aut abscessum aliquem laberetur.

De pterygio, id est ungue in oculo,

CV RATIO LXXII.



Ilia Heben senioris vngulam in oculo patiebatur ita magnā vt pupillam ferè operiret: est

AMATI LVSI TANI

autem oculi vnguis, siue ungula Græcis
πτερόριον dicta, nervosa, circa tuniculam
 corneam exuberantia, ut plurimum à ma-
 iori angulo initium habēs, & ad oculi co-
 ronam procedens, ut pupillam quoque quā-
 multum crescit, operiat. Oculi igitur vi-
 tium hoc curaturi primò vniuersalibus
 euacuationibus celebratis, ad medicamē-
 torum admotionem in oculo ipso conde-
 scēdimus. Præcipuè ad hoc sequēs, quo vni-
 uersa cura clausa est: & ita habet, Ouum
 accipe, cuius album per foramen extra-
 he vitello manente, & vice albi eiectionis
 ouum per prædictum foramen ex sale ni-
 tro fino & puluerizato imple: postea vero
 totum ouum ex maza coopertum, arma-
 tumve sub cinerib⁹ calidis dimittito, quo-
 usque totum durum factis euadat. Deposi-
 tis igitur crustis, ex vitello & sale nitro
 mixtam materiam in subtilem pollinem
 redige, cuius puluisculum melle exceptū
 oculi vngui admoue, & bis in die innoua,
 breui enim opus complebis. Cæterum
 enim memini me huiusmodi oculorum
 vngues aqua forti argentariorum rosa-
 cea temperata curasse.

De febre maligna cum sympto-
 matibus,

Curatio

S Oror Benfarasij musici insignis, quum ad Iacobum Codutum eius spōsum inuitē intrare proposuisset, consueti menses illi superuenere: qui quum ad septimū diem plerunque fluere solerent, tunc ad tertium tantum cursum habuerunt, adeo ut maiori ex parte suppressi fuerint: quā mensium suppressionē secuta fuit febris continua acuta ex malignarum genere, ut paucis iis deprehendetis. Nani febris cōtinuò affligebat, sed nocte grauius: quā ardor in ore vteri & ano comitabatur ita intensus, ut membra hæc exuri clamaret, sed circa fauces vlcera duo fordida compa- ruerunt ex aphtharum genere: vitium sanè familiare admodum febricitantibus omnibus, hoc anno 1552. cum quibus omnibus tussis sicca erat, linguæ nigredo, narium interna exulceratio, parum dormiebat, et si dormiebat variis cum infomniis loquebatur. Sed cum omnibus iis parum sitiebat, non egerebat nisi per glandē vel elysterem aluo prius irritata: vrinam rarò videbamus, quia rarò mingebat. Est enim febris hæc (ut dixi) ppter mensiū suppressionem orta: quia sanguis ob varios fortè quos passa mulier hæc est animi & corpis

AMATI LVSITANI

labores, plus iusto crassus, & lentus factus est, vnde cotyledones, id est venarum in vterum definentium oscula exire non valuit: quo factum est vt ibi obstrusus cōputruerit, ex qua sanguinis & materierum putredine cor malè affectum est, & consequenter febris orta, & cætera symptoma-
ta. Iuuenis autem est mulier hæc, annos nata sex supra viginti, temperaturā atrabilariam cum multo sanguine habens, quam quum sic malè affectam comperissem, Galeni doctrina instructus ad ea quæ vltimo in via & methodo resolutiua comperiuntur, prima intentio curatiua dirigi debet. Quia, vt nostis, in febribus continuis quinque sunt, à quibus indicationes curatoria colliguntur: febris nimirum putredo, perspiratio impedita, obstructio, humorū obstruentium copia. Quū igitur plethora esset, & cætera omnia consenserent, sanguinem mittere opus fuit ex sapphena pedis vena præcipuè: quia sanguis (vt audistis) corporis inferiores partes obrepserat, & eius multum fluere fecimus, & eo magis quia feruidi sanguinis copia apparebat, cuius timorerat ne in principem aliquam partem decumberet. Cæterum humorum copia euacuata ad ea quæ obstructiones deponunt veniendum erat,

ni

ni methodus curatoria in hoc morbo varianda fuisset, tametsi Galenus etiam urgente materia obstructas vias aperire desiderat: opus est enim primò febris malignæ acedinē domare, ac infringere, quæ spiritus lancinat, & vires dissolvit: quam intensiorem complemus syrupis de acetositate citri, de nenuphare, de succo acetosæ, de ribibus, rosato simplici, & similibus, cum suis destillatitiis aquis & decoctis ad id facientibus: quarto verò die ex manna, & rhabbari diluto pharmacum ebibit, quo multa deiecit: quinto iulep lō gum hoc parare fecimus, multum ad rem faciens: & ita habet, ℞. Hordei mundi libram mediā, foliorum endiviæ. borraginis, pimpinellæ, acetosæ, portulacæ, radicū buglossæ, añ. manipulum vnum, florum nenupharis, violarum, rosarum, anapugil. vnum, seminis melonis mundi, cucurbitæ, citrulli, anguriæ, acetosæ, citri, limonis acidi, añ. vnciam mediam, prunorū sebesten, añ. numero quindecim. In libris octo aquæ fiat decoctio quousque tertia pars absumat, & fiat colatura, cuius decocti vncias quinque, adiecta altera iulep violacei, in aurora bibebat, & vesperi totidē: hoc autem decocto delectari aiebat. Sed tunc ardor circa pudenda maximus vige-

AMATI LUSITANI

bat, contra quem fomentum ex herbis frigiditatem cum adstrictione inducentibus paratum est, neq; minus contra aphtas in gutture habitas tunc instabamus, medicinis tam sæpe à nobis citatis pro illis abigendis: ita enim mulier hæc iis symptomatis infestabatur, ut venenum illi in potu datum esse clamaret: qua de causa breui ramentum cornu animantis vnicornis dicti, in aqua acetosæ illi propinatū fuit, veluti lapis Bezoarticus ex ventra capre cuiusdam Indicæ extractus, quem Indiæ principes, & omnes Lusitani nostri pro summo antidoto contra venenum habent. Octavo verò die rigorem paruum hæc persensit, & ita paruum, ut assistentes cum ea in dubium traherent, an rigorem persentiret vel nō: tunc lotium melius apparuit, & symptomata omnia imminui cœperūt & agrotata ipsa dormire cœpit: nono prædicta hora rigor quoque superuenit, sed parvus quoq; quem ego salutis indicium & nūtiū dicebam: decimo & undecimo omnia ut antea erant, sed rigor iam non erat, duodecimo pharmacū purgatorium hoc ebibit. *R.* Tamarindorum vnciam vnam, rhabarbari optimè pisti drachmas duas, in vnciis quatuor aquæ cicoreæ per noctem macerentur, & in aurora fiat colatur

latura, & expressio: cui infuso adde mānæ electæ vncias duas, diaphiniconis drachmas tres, electarij de psilio drachmā vnam cum dimidia, syrapi de acetositate citri vnciam vnā. Misce, fiat potus vnus, detur ieiuno stomacho, & desuper per horā dormiat: hoc enim ita purgata est, vt decimo quarto die ex toto libera & sana facta fuerit, veluti plures alij agrotantes, qui eo tēpore similibus febribus correpti erant.

De villico cannas putidas mouente, & inde infecto,

CVRATIO LXXXIIII.

Qui cannas putidas euoluit villicus, totus tumuit. Caterū vt veneno affectus curat⁹ fuit: expirant autē ex se canne putidæ vaporem quēdam, prorsus venenum sapientem.

De febre continua maligna, semper cum sudore affligente,

CVRATIO LXXXV.

Baldus fori Sempronienſis vir triginta sex annorum febrile cœpit, febris quidem continua, cum qua latus vniuersum dolebat, & de capitis ingenti dolore querebatur. Cē-

AMATI LVSITANI

terum hic multum semper sudabat, sed
vesperi magis, non quod eo sudore febris
solueretur, quum in nocte ea magis sem-
per ingrauescebat, adeo ut duplicem mor-
bum hominem simul inuadere, potius quam
duplicem continuam tertianam, credide-
rim. Erat autem vir hic rufus, sanguineus,
benignus, exercitio deditus, cui prioribus
ægritudinis diebus vena bis in flexu bra-
chij secta fuit, & sanguis abunde extra-
ctus, nec minus hirudines ano admotæ
sunt, & cucurbitulæ scapulis cum scarifi-
catione applicitæ: symptomata maiori ex
parte leuia erant, vel saltem non graua:
dormiebat, optimè comedebat, vrina ad
vndecimum vsque optima cum nubecula
semper apparuit, cum quibus omnibus
pulsus mediocres erant. Cæterum post vn-
decimum diem vrina subiugalis & turbi-
da apparuit, & vires imminui cœperunt,
& symptomata varia ingrauescere: demum
initio quartidecimi diei obiit. Noua autem
materia venenosa à membro ignobili ad
nobile mota est, vnde mors originem tra-
xit: neque enim hic aliter sentiendum ar-
bitrarer, imò ita dicendum docuit Gale-
lenus, lib. De constitutione artis medicæ.
Sic enim hoc modo, quum hæc scribimus,
obiit vir robustus & fortis Picenus, qui
arcu

arcubusia ad ædes diui Augustini præparabat: ad decimum autem vsque diem urinam optimam semper habuit, veluti & pulsus apprimè fortes & consonos, & tamen tertiidecimi initio obiit. Magis autem mihi in hoc casu ad humorem venenosum hunc confugere placet, qui ex ignobili membro ad nobile raptum habuit, quàm ad eam temperamentorum pugnantiam in corde repertã, ex qua pulsus optimos eleuari Galen. tradit: & nos hac in Cæturia sæpe annotauimus, vel ad putredinem febrilem, cordis corpus occupantem, quæ tunc hæctica respondet, vnde & febrilis calor non multum ab ægrotante, vel eius cutem tangente, excessius percipitur: & pulsus cōtinui non multū à naturalibus differūt, imò eo tempore lotium optimū cum bono sublimamento videtur, vt ex Galeno lib. De præsa-
 gatione ex pulsibus, in hac Centuria sæpe inculcaui. Sūt etenim hæc digna varia repetitione, quum quæ bona sunt, Galeno ex Platone sæpe repetēte, multoties inculcanda sunt. Causam verò reddere quòd ij obierint ob raptum materiæ venenosæ ab ignobili mēbro ad nobile decasæ, vel ob ipsius materiæ peccantis heterogeneitatem, quæ ad id tempus sua malignitate

AMATI LVSITANI

occultabatur, non verò ob prædicta, facile erit, quum quis nouerit hæc successu, illa verò morborum initio maiori ex parte euenire.

De citta, id est pica morbo, quæ μελακίαν quoque, quasi mollitiæ medici appellant,

CVRATIO LXXXVI.



Ilia illius qui quum loquitur, pessimè animi conceptus suos exprimit, annos nata duodecim, facie pallida, positione gracilis, cittam morbū patiebatur. Nam indiscretè lapillos, terram, calculos, cretam, gossipium, lanā, & varia similia comedebat, & ita eisdē delectabatur, vt inter suendum eius puluinaris, super quo mulieres suere solent, gossipium suauī appetentia comederet, tametsi à matre & assistentibus increpabatur. nec enim prædicta tantum comedebat, sed absurdissimos alios cibos. Ob vitiatos autē humores ad ventriculi osculum defluentes, non solum in prægnantibus, sed puellis & viris vitium hoc fieri solet, vt refert Galenus libro quarto De symptomatum causis. Erant autem in puella hi vitiosi humores calidi, qui quoq; frigidi plerunque in aliis vitium hoc producere nati sunt. Curaturi

igitur

igitur nos puellam hanc primò, quòd optimis & selectis vteretur cibis proposuimus: veluti carnibus phasianorum, perdicum, turdorum, merularum, caponum, gallinarum, hœdi, veruecis, & similiū, non minus vtebatur ouis recentibus, piscibus petrosus, & aliis optimi succi cibariis: ex tragematis & bellariis accipiebantur Martij panes, pinosaccharatum, vua passa exicata, & similia: ex oleribus verò permittebamus spinachiam, aureū olus, atriplicem dicimus, albam endiuia, portulacam, mentham & anethū. Cæterum quantū ad medicamenta attinet, quibus pro hoc propulsando vitio vsi sumus, primò vomitoriis non solū ieiuno stomacho, sed à pradio ebibitis cœpimus, quibus nonnulla euomuit, parui tamen momēti: dein verò syrupum hunc ebibit, qui habet, *Rx.* Geleniabim de saccharo vnciam vnā & mediā, oxymelitis simpl. vnciam vnā, aque absinthij vncias duas, misce, & calidum bibat. Est autem geleniabim vox Arabum, vel rosaceum collatitium ex saccharo paratum significans, vel (vt ita dicam) est geneliabim ex saccharo syrupus rosatus simplex, saccharo primò aqua endiuia lauto. Porro, quia syrupū hunc pro ventriculi affectione damus, eū parū aquis dilui

AMATI LVSITANI

mus, vt in eo longiorem trahat moram,
nec sic facile ab eo permeet: hunc autem
syrupum bis in die bibebat, quē per octo
continuos dies ebibit: in fine quorum hic
ram Galeni forma pilulari, pondere dra-
chmæ vnius cum dimidia deglutiuit, &
ea multa egeſſit. Sed interim, vice cretæ
Aetij cōſilio amyllum recens illi elargie-
batur, & quandoq; oſſicula pullorū exu-
ſta roderet pro terra & carbonibus per-
mittebamus. Forinſecus verò ſtomachus
lana ſuccida oleo cydoneorum imbuta fo-
uebatur: poſt habitam verò purgationem
duos dies iterū ad ſyrupi potū rediit, oxy-
melitis tamen maiori addita portione, ac
ſic iterum pilulas ex hiera picra degluti-
uit, agarico quandoq; adiecto, & viciffim
ad quadraginta dies ſecuta fuit, in fine
quorum rotulis iis utebatur: qui habent,
℞. Specierū diarhodonis Abbatis, dia-
margaritonis frigidi, añ. drachmam vnā,
aromatici roſati ſcriptulum vnum cum
vnciis quinque; ſacchari albi diſſoluti in a-
qua roſacea moſchata: ad ignem paretur
conditum, & poſtea ex eo rotuli formen-
tur pondere drachmæ vnius cū dimidia,
ex quibus ſingulos ſingulis diebus in au-
rora ieiuno ſtomacho comedebat, & deſu-
per vini abſinthites, noſtra induſtria mu-
ſti tem

sti tempore parati, vncias tres bibebat: sed tunc ceratum coccineo panno extensum stomacho applicitum habebat, & vt nosti, ad scuti formam redactum, & ex iis paratum: ladano, viroq; corallo, œnãthe, rosis rubris, coriandro præparato, & similibus: iis enim ita bene habuit puella hæc, vt eam ad balnea mittere nõ opus fuerit. Patauium autem eam mandare statuera- mus, quum thermarum potu multum iu- uari credebamus, at quum prædicta suffe- cerint, supersedimus cætera omittentes.

SCHOLIA.

FAmiliare admodum vitium pregnantibus est, non solum extinctos carbones, cretam, ci- moliam, lapillos, sed alios absurdos cibos comedere: vt huius rei primo Hippocrates meminit libro suo De superfætatione, quum inquit, Si qua præ- gnans terram edere concupiscat, aut carbones, ea- q; edit, in capite pueri, vbi natus fuerit, signum à talibus apparet: quale verò signũ hoc ab Hip- pocrate repertum sit, audi. Est sanè, vt ipse sæpè vi- di, & obstetrices quoque mecũ sentiunt & serua- runt, super ipsum caput nescio quid luto simile, omnino & absurda quæ mater comedit referēs: cui simile quoque habent ij qui in lucem exeunt, & matres octauo mense coiuerunt, vt ex Hip- pocrate & Aristotele primo moniti sumus. Ceterũ

AMATI LVSITANI

tametsi pregnantibus familiaris hæc sit affectio, non pregnantibus tamen mulieribus, veluti puellis, & viris quoque euenit, vt huius rei Galenus auctor est, libro quarto De symptomatum causis, & Curatio nostra firmat. Dicitur autem morbus hic Grecis λήρη, Romanis verò pica: quia vt avis pica multas & varias pennas habet, ita qui affectionem hanc patitur, varia & absurda appetit cibaria. Vel potius pica dicitur, quod eadem auicula prædicto morbo sæpè laborat, vt Galenus vult, & Paulus Aegineta confirmat, operis sui medici capite primo. Aetius verò, & si ea quæ capite decimo sermonis sextidecimi suæ Medicinæ continentur, Galeno referat, sic tamen ait, Circa secundum mensem affectio quedam pregnantibus accidit, quæ à pica auicula nomen accepit: alij tamè ab hedera similitudine, quæ λήρος, sive λήρος Grecis vocatur, hanc affectionem citatam Grecis appellatam esse sentiunt, nam sicut illa variis planis, prout occurrunt, se implicare solet, ita mulieres ex pica laborantes varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatè tum in suauitatè gustatè exhibent, & cetera. quæ cum iam dictis parui sunt momenti, & fortè non vera. Est porò affectio hæc deprauata stomachi appetentia: quæ à vitiosis humoribus in ipso stomacho congestis oriri solet, vnde Galenus quarto libro citati voluminis De symptomatum causis capite septimo ita inquit, Depravata autem appetentia partim

ad.

ad immoderatam cibi potionisq; exhibitionem
vertitur, partim ad aliene qualitatē desiderii:
& multis interiectis subdit, Pravas autem qua-
litates appetunt ū, quibus ventriculi tunica pra-
uo aliquo excremento sunt imbuta, atque consue-
vit huiusmodi affectus mulieres vitiosis humori-
bus refertas infestare: idq;, quum vterum gestat:
vocatur pathos ipsum citta, id est pica, siue μάλα
κίττα. appetunt autem maximè per hunc affectum
& acida & acerba, nonnunquam acria quoq;
interdum vel cimoliam terram, vel testas, vel
extinctos carbones, aut alios huiusmodi cibos ab-
surdos. Atque complures earum huiusmodi vi-
tio laborant vsque ad secundum ac tertium men-
sem: in quarto verò quiescunt, partim quòd vo-
mitione vitiiati humores expurgantur, partim
quòd concoquuntur, vtpote exiguum cibus tum sis-
mente muliere ob fastidium, partim etiam quòd
multitudo vacuatione sit imminuta. Quippe pri-
mis duobus mensibus foetus paucum ad se san-
guinem attrahit, eo quòd parum adhuc auctus
sit, adeo vt ne foetus quidem nominari tum de-
beat, sed λόγμικα potius, id est conceptus: vbi
verò iam increuit, tum plurimo indiget ali-
mento, atque tum, nō id quòd optimum est ē ve-
nis, vt antea dicebam, allicit, verumetiam
quia maiorem alimenti copiam requirit, ali-
quid vitiosi simul attrahit, ita fit, vt vniuer-
sum corpus & plethoricon, id est plenum esse

AMATI LVSITANI

desinat, & minori horum vitio crucietur. At fœtus ipse excrementa, quæ ab attracto redundant alimento, ad duas reponit membranas: quo fit, vt ipse quoque & maiorum humorum vitio, & maiori intemperie infestetur, quandoquidem à vitioso sanguine alimentũ sumit, nisi grauida mulier residuo, quo vterũ gerit tempore, optimis vtatur cibus, hæc Galenus. Quæ in totum nostro faciunt proposito, & ex quibus altera diluitur quæstio, an fœtus optimo, vel prauo nutriatur sanguine. Nunc institutum nostrum prosequamur, & Galenum viros quoque infestari pica morbo dicentem, audiamus: ita enim altera linea interiecta ab eo loco, quem paulo antea adduximus, inquit, At quia de prauarum qualitatum appetentia sermo incidit, factum est vt malaciæ quoque meminimus, quæ viris etiã nonnunquã acciderit, quando ipsis quoque vitiiati humores ad ventriculi osculũ defluunt, vt nostræ cõtigat egrotanti. Ceterũ vt à vitiatis excrementis deprauata sit cibariorũ appetentia, ita quoque pro vitiiati humoris ratione deprauata eorũ, quæ bibuntur, appetentia, vt inibi quoque Galenus testatur. Sunt autẽ quæ deprauatam appetentiam potius faciunt, humores falsi aut biliosi, humiditatis nativæ feruor, dipsas deuorata, aqua marina, vinũ vetus, febris ardens. Sed hæc ad quantitatem potius referenda sunt, quàm ad qualitatem: quia potius quantitatem augent, neque qualitates immutant. Quod

verò

verò hiera picra tam sepe pro hac propulsanda affectione vsi sumus, Galenus in causa est, qui eā probatissimam ad vitiosos humores deponendos, qui in ventriculi tunicis continentur, ait. Porro dicitur affectio hec malacia, quasi mollities & defectio quedam eius, qui eam patitur: vnde & malacia quoque pro maris tranquillitate vsurpatur à doctis, quam vulgò bonaciam cōtra malum omen nauta vocant.

De coeliaco morbo, & *ναχέξια*,
& *ἀτροφία*.

CV RATIO LXXXVII.



Vilectioni & studio cōtinuus & assiduus erat, iuris peritissimus, excellēs doctor Amianus, stoma-
chū imbecillē cū acidis ructibus habebat, & egestionēs, diu est, liquidas & fluidas assiduò emittebat, cū quibus renes dolebat, & in eis caliditatē excellētē, veluti in hypochondriis pērsentiebat, fastidiebat, & toti⁹ corporis malū habitū, *ναχέξια* Græci vocant, incurrere quadā cū gracilitate incipiebat. Erat autē vir hic natus annos circiter quadraginta, tēperatura atrabiliaris. Noristi tu autē lector optime, natura melancholicos ingeniosissimos esse, & in artibus omnibus excellentes, vt Aristoteles Peripateticæ sectæ princeps,

AMATI LVSITANI

libro Problematum memoriae commen-
dauit, quanquam scioli cum Petro Ebano
Conciliatore dicto, problema illud longè
aliter torquent & interpretatur, ignoran-
tes humorem melancholicum diuinitatis
cuiusdã esse participem: de qua re, quũ da-
bitur occasio, plura & meliora cum Ange-
lo Politiano dicemus. Nunc autem huius
excellentis & præclari viri affectiones per
nos curatas percurramus, cuius per infe-
riora excreta assidue (vt dixi) liquida, sub-
albida, malè cocta, humentia, sed non fœ-
tida erant, vnde hunc coeliacam affectio-
nem pati deprehendi: magis enim in cœ-
liaca hac affectione cibaria alterantur,
quàm in lyenteria, quæ ab stomachi in-
temperie euenit, vt in Scholio examusim
hæc declarantur. Ortum autẽ coeliaca hæc
affectio contrahit à ventriculi frigida in-
temperie, multa cum pituita eius cauita-
te abundante, vnde cæteræ affectiones de-
pendentiam habent. Ob assiduum autem
studiũ excellens vir hic ventriculi intem-
periem quandam contraxit frigidam, vn-
de comesta non rectè cõcoquebat: sed ma-
gis pituitam multam in eius vetriculi ca-
uitate coaceruabat, quæ indies intempe-
riem magis & magis fouebat: adeò vt ab
hinc mensem vnum in coeliacam lapsus

fuerit

fuerit affectionem, quam & nunc patitur,
 & eam alia prædicta comitantur. Curatu-
 ri igitur nos malas has affectiones, ad ea-
 rum originem attendere, & eam primò
 depellere opus est: est autem ea, morbus
 dictus, intemperies frigida & humida ven-
 triculi: quam cōsequitur coeliaca affectio,
 non omnino morbus dicenda, sed magis
 symptoma ex morbo consequens. Imbe-
 cilli autē reddito vētriculo alteratrix ceu
 concoctrix dicta facultas, (pituita etiā fa-
 uente) ingesta rectè non concoquit: quæ
 etsi rectè cōcoquere valeret, ob imbecilli-
 tatem tamen virtutis continentis, quæ in
 ipso ventriculo est, breui per *πύλινον* por-
 tonarium vulgò dictum, ea ad tenuiora in-
 testina descēdunt, & inde per crassiora ci-
 tò foras extruduntur: à tenuibus porrò in
 testinis, ceu à promptuario quodam, me-
 seraicæ venæ ad se chylum attrahunt, &
 ad iecur postea transmittunt: quī quū hac
 in affectione exactus non sit, neque per-
 fectè coctus, vt chyli nomen non merea-
 tur, factum est vt. ex eo meseraicæ venæ
 parum vel nihil attrahant, vnde iecur &
 cætera omnia mēbra malè afficiuntur, a-
 deo vt *λαχέξια* & *ἀρρογία*, tabis species, inde
 pullulēt, gignātūrve: sed qua via inferius
 exponemus: nunc verò ne Curatio nostra

AMATI LVSITANI

longius percurrat, ad ea remedia, quibus
vsi sumus, recensenda pro iis profligandis
affectuibus accedamus. Quum ergo à
ventriculi imbecillitate morbus hic pen-
deat, vniuersus noster conatus eò dirigi
debet, vt ipsum robaremus, & in pristinā
sanitatem reddamus. At quum pituita in
ipsius cauitate fluitans impedimento sit
medicamentis & remediis ipsi adhiben-
dis, per vomitum & sputum continuum
mittebat: quæ enim in ventriculi cauitate
continentur (Galeno sæpè teste) per vomi-
tum facilè euacuantur. Solliciti igitur fui-
mus per vomitum hunc ciere humorem,
hac tamen lege, vt opus hoc leuioribus cõ-
pleretur medicamentis, idq; per interual-
lum: aliter stomachus vellicaretur, & di-
stenderetur, & consequenter in maiorem
lapsum eum traheremus. Prouocabamus
igitur vomitum alternis diebus, quãdoq;
ieiuno stomacho, quandoque verò post
ouorum vitellos ingestos, vuam passam,
& nonnulla alia cibaria, iis sequentibus
vomitoriis, ℞. Aquæ naphæ, id est floris
arantiorũ, libram vnã, & tepidam bi-
bat, & vomat: vel hoc, ℞. Seminis ane-
thi, raphani, cumini, añ. vnciã mediam, in
libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens,
facta colatura, decocto adde oxymelitis

vncias

vncias duas, misce, & tepidum bibat, quo liberaliter vomebat: à vomitu verò in aurora completo, altera interposita hora hunc ebibebat syrupum, *Rx.* Mellis rosati colatitij vncias duas, oxymelitis vnciam mediam, cinnamomi optimi scriptulum vnum, aquæ absinthij vncias duas, misce, & calidum bibat: quem vesperi per horam ante cœnam iteret, & per quinque continuos dies prosequatur. Sexto verò die bolum hunc in paruas redactum portiunculas, nō nisi leuibus placentulis, nebulis aut obliis, vel ostiis dictis, primo aqua madefactis, exceptum cocleari argenteo, cum paucò rhodomelite colatio deglutiebat. Ita enim sacram amarā, veluti cætera medicamenta amara ægro-
tantes, ne eorum percipiant amarorem, deuorare debent: habet autem bolus sic,

Rx. Specierum hieræ cum agarico drachnam vnā & mediam, electuarij de cinnamomo drachmam vnā, rhabarbari optimi drachmam vnā, cum saccharo & rhodomelite misce, fiat bolus, quem in aurora eo modo dicto capiat, quo optimè purgauit: interea tamē dū hæc operabantur, exterius ventriculus oleis respicillabatur, vt nardino, mastichino, absinthino, & menthæ succida lana exceptis, veluti

AMATI LVSITANI

ficcis fomentis, stomachum roborantibus. Sed post habitam purgationem stomachale scutum ita parauimus. *℞.* Ladanii puri & bene olentis drachmam vnā & mediam, ligni aloës drachmam mediā, mastichis, thuris, añ. drachmas duas, nucis moschatae, mascis, piperis longi, garyophyllorum, calami aromatici, methæ, añ. drachmam vnā, cum cera & resina, añ. quantum sufficit, ad ignem misce, fiat ceratum stomachale, quod in panno cocco infecto rubro ad scuti figuram extendatur, adiecta semidrachma galliæ moschatae ex Mesuæ descriptione, & ventriculo admoveatur. Hoc enim ad ventriculi malam intemperie propulsandam multum conducit, veluti ad concoctricem & retentricem facultates ipsius ventriculi malè affectas roborandas, & instaurandas: quod vnum nobis præcipuum in hac curatione propositum est, pro quibus recuperandis, quum multa à Galeno libro septimo Methodi medendi, tum sæpè alibi docentur, tum etiam ab Alexandro Traliano libro quoque septimo suæ Medicinæ, capite quinto: nos tamē iis vti sumus,

℞. Diacytonitis cum aromatibus libram vnā, theriaces optimæ unciam vnā, diacinnamomi uncias duas, in mortario

tario marmoreo omnia rectè pistentur, & cum aromatica cydoneorum miua ad formam opiatam dictam, redigantur: & fiat conditum, de quo singulis diebus singulas vncias ieiuno stomacho comedebat, & desuper pro posse dormiebat, & ad quatuor sequētes horas cibum non capiebat: iis enim & optimo victu, cuius inferius sermonem faciemus, intra viginti dies melius de ventriculo habere cœpit. Cæterum quum cachexia & atrophia morbi graues & sæui perseuerarent, in mentem subit rhaponticum verum ex Ponto ad nos delatum pro eis abigendis summum fore remedium, vt ex Dioscoride didiceramus: id quod postea vt præfagieramus ad votum respondit. Cœpi igitur rhaponticum hoc modo parare, ℞. Rhapontici Græcorum boni & recētis vncias duas, radicis apij vnciam mediam, crassiori modo rhaponticum pistetur, & in libris duodecim vini boni albi & odoriferi per noctem maceretur, & manè ad ignem lentū fiat decoctio, quousque tertia pars absumatur, modo tamen in coctura ea seruetur diligentia quam in radice cynarum seruari desideramus. Facta igitur colatura prædicti vini vncias sex primò ieiuno stomacho ebibit, ac sic vicissim ad integ-

AMATI LVSITANI

gram librā peruenit. Nam primis diebus
semel tantum in die ieiuno stomacho
hoc bibebat vinum, postea verò vesperi
eum quoque repetebat, prospero & fau-
sto ita successu, vt intra viginti dies eius
vini potu sanus & liber euaserit: vnum ta-
men scire decet, quòd interea dum hoc
ebibebat vinum, frictiones siccae per vni-
uersum corpus asperioribus linteis illi fie-
bant: post quas & sinapismis, & picatio-
nibus vsi sumus remediis tam rarò à neo-
tericis in vsu habitis, sed nos Galenum li-
bro decimoquarto Methodi medendi, vt
eius alios varios locos subdiceam, pro hoc
complendo opere secuti sumus, vt Alexā-
drum Trallianum libro octauo suæ Me-
dicinæ eiusdem numeri capite, in quo de
inueturato cœliaco affectu agit, & Aetiū
Sermone nono suæ medicinæ, capite tri-
gesimo septimo. Cæterum silentio præ-
terire non est, quòd iecinori ea quæ robur
adferebāt extrinsecus admovebamus re-
media. Nunc demum victum & eius or-
dinem, quem vir hic in hoc morbi succes-
su seruauerit, paucis dicamus: in primis
quum ventriculus imbecillus est, & eius
facultates retentrix & coctrix imbecilles
sunt, consonum est, hic leuioribus & sub-
tilioribus vescatur eduliis, ventriculum
minim

minimè grauantibus, quare in ipsius curationis limine, capi, aut gallinæ, vel perdicis succum bibebat, quem sic extrahere mandabamus: alitem exanteratam accipe, & ipsam optima & pura mastiche cum cinnamomo selecto, quod facile in officinis & tabernis habetur, & pauculo pane refarci, & ad ignem in veru coque, quam sic non exactè assam torculari exprimes, & succum multum inde (vt ab amygdalis oleum extrahitur) ægro potādum dabis, non nisi puluisculo specierum diamoschi, & diambrae adiecto. Est sanè succus hic optimus, quia facilis concoctu, ventriculum minimè grauens, & paucas vel nullas gignens superfluitates, cum quibus mastichis & cinnamomi ratione ventriculi malas qualitates emendat, & eius facultates vitiatas, ac debiliores redditas, roborat & instaurat: in quo succo, aliquando panis assulas ad ignē primò exiccatas, vel, vt primò erant, mittebamus, & eis cum eo victitabat. Post hunc verò succum ebibitum, parum pulli, aut alterius alitis optimè & bene elixæ ac præparatæ comedebat, ac tandem parum vini rubri generosi adstringentis bibebat: multus etenim potus ventris fluxionibus infestissimus existit, vt omnes testatur me-

AMATI LVSITANI

dici. Proinde omnis liquor qui potui similibus datur, paucus & conueniens fit decet. Cœnam porrò prandio liberaliorē, & magis copiosam & opiparam illi permittebamus, vt in hoc morbo Actius agendum suadet: quanquam, vt verum fateamur, & cum Galeno, vt decet, loquamur, iis qui sic affecti sunt cibum partiri sæpè decet: id quod nos summa cura semper in hoc ægroto seruatum habuimus, vno pro maximo habito, quòd initio cibi hic semper parum diacytonitis prægustabat, vt ventriculum ad ea quæ postea comedere debebat, stabiliret. Cæterum prædictis alitibus, quibus ægrotus hic vescebatur, addas velim pullum columbinum domesticum, ficedulas, fasianos, turtures, gallinas Indicas, Africanas dictas, quas Græcia meleagrides appellare solet: quarum carnes fasianis anteferuntur: ita enim delicatæ & friabiles hodie Romæ habentur, vt omnium auium carnes faciliè superare dicantur: iis adde ex quadrupedibus hœdum, veruecem, lepores iuuenes, & cuniculos paruos: ex quorum carnibus succus eo modo à nobis paratus, concinnabatur veluti contusum, pistum dicunt, ex iure earundem apparatus, adiecto puluisculo alicuius electuarij stomachum roborantis,

tis, aut cinnamomi, vel nucis moschatae, piperis longi, aut garyophyllorum, & similia: aut aqua coquebantur, mentha, & cerepholio, herbula vniuersae Hispaniae (vt puto) ignota, aut hyssopo, vel petroselinino vulgari, vel simili adiecta, cum praedictis aromatis & croco. Legumina omnia prorsus respuimus in hac curatione, orizam tamen laudamus, veluti in curationis successu, carduum, pineam scolimum & cynaram dictum, terra obrutum, & album redditum, & eius caput chychophyllum dictum, coctum tamen & pipere comesum: ex fructibus autem oliuae colymbades, & amygdalae laudantur, & vua passa cum seminibus, sed ex tragematis & bellariis pinosaccharatum multum laudatur, & Martij panes, veluti condita altera palmaris longitudinis, suauia, cinnamomi colorem referentia, quae Venetiis à moscho fortè quo ornantur, moschacholia, vel mostacholia vocantur, & eorum vice Lusitani, Hispani canellones suauissimos & cordiales admodum parant, vt varia alia condita saccharæa moschata, & ambarata præteream.

SCHOLIA.

Dicitur morbus hic Coliacus, ἀπὸ τῆς λω-
λίας nomine, ventrem siue stomachum

AMATI LVSITANI

significante, in quo potissimum fit: non me tamē
 latet τλιω βειλεχv apud Hippocratem, quandoq;
 ventriculum, quandoque verò aluum significa-
 re, vnde nonnulli celiacum morbum non tam
 ventriculi passionem, quàm gracilium intesti-
 norum esse contestabantur: sed falso, quum cœ-
 liacus morbus stomachi passio sit. Ceterū calia-
 ca hæc affectio apud Hippocratem & Galenū,
 vt aliqui aiunt, sub lyenteria comprehenditur.
 Nam Galenus libro sexto De locis affectis capi-
 te secundo, in quo ventriculi & intestinorū pro-
 sequitur affectiones, inquit, Sunt alia quoq; acci-
 dentia quæ quidem haud absurde, & intestinis,
 & ventriculo simul affectis euenire creduntur,
 vt quas lyenterias, id est leuitates intestinorum,
 celiacas, id est ventrales nominat, quum videli-
 cet materia nequaquam sunt mordaces. Nam
 vt mordaces ob mordendi vim omnia intestina
 ad excretionem excitāt, ita non mordaces inte-
 stinorum imbecillitatem sequi cōsueverunt: quia
 retinere contenta, ne exiguo quidem tēpore pos-
 sunt. Siquidem illicò excernunt ea, perinde ac si
 graue aliquod onus deponerent, haud secus quā
 in destillatione vrina contingit, & cetera. Ex
 quibus citatis verbis satis clares Galenum per
 lyenteriam celiacam affectionem intelligere: sed
 quomodo Galenus intelligendus veniat, & qui-
 bus celiacus morbus à lyenteria differat, corda-
 tissimè & candidissimè exposuit Aegineta li-
 bro

bro tertio sue medicinae capite quadragesimo dicens, *Leuitas intestinorū*, quæ Græcis λυιεντερία dicitur, duplici cōtinetur discrimine: hæc ex summa intestinorū exulceratione contrahitur: quorum verò *lyenteria* ex cicatricibus quas excitauit *dysenteria* parte plurima, vel aliis oboritur fluxionibus. Altera verò ex infirmitate & languore virium alimenta in ventriculo continentium creatur: eademq; cum cæliaca dispositione confunditur, misceturq;. Etenim in hac languente & imbecilla ventriculi facultate, nec coquantur, nec digeruntur alimenta. Sed cruda, humentia imperfectaq; redduntur, aluo continenter fluida. Verum in utroque leuitatis genere celerius quàm in cæliacis, quæ assumpta sunt egeruntur: tamq; intensa est cruditas, vt alimenti assumpti genus apertè cognoscatur, atque hæc nota potissimum à cæliacis discernuntur. Hæc enim *Aegineta* ita appositè, eleganter & aptè sunt dicta, vt nullius alterius doctrina pro hac deprehendenda affectione opus sit: & eo magis, quum ex eis dignoscatur, cæliacam ventriculi passionem esse, quæ sæpè cum *lyenteria* à ventriculi imbecillitate exorta confunditur, sed dignoscitur quòd in cæliaca cibaria non ita cruda, vt in *lyenteria* emitti solent, egeruntur, sed liquida, fluida, & humentia. Dicitur ceterum *lyenteria* non quidem propriè morbus, sed magis accidens, & passio morbum consequens, quæ à Galeno ita

AMATI LVSITANI

definiri solet, *Lyenteria*, id est leuitas intestino-
rum, est velox & sine aliqua, vel parua trāsmuta-
tione ciborum excretio, quæ multis de causis
euenire contingit, quas ad præsens recensere lon-
gum esset. Quando igitur ea quæ comeduntur ce-
leriter deiiciuntur, talia qualia deglutita sunt,
hanc passionem leuitatem intestinorum medicò
vocamus, quæ ex potentie cōtinuæ debilitate fit:
& vt Galenus adnotat libro quarto Aphorif-
morum enarratione duodecima, consequitur ad
omnium quæ ad aluum pertinent instrumēto-
rum intemperaturas, hoc est ipsius ventriculi, in
quem cibos deiicimus, & eorum quæ ex hoc susci-
piunt, atque transmittunt intestinorū. Ex qui-
bus verbis satis percipimus in *lyenteria* leuitate
intestinorum dicta, intemperantias ventriculi,
gracilia quoque intestina infestare, id quod in
cœliaca fieri non contingit: quia vt in *lyenteria*
ventriculi alteratrix facultas ferè abolita est, vt
ex cibariis ingestis deprehenditur, quia talia se-
cundum omnes suas qualitates permanent, qua-
lia assumpta erant: ita in *cœliaca* passione non o-
mnino deperdita est, imò in ea aliqualis potentia
reperitur, qua mediante cibaria parum alterat,
& ea liquida reddit, & flatu eleuat. Dicamus
igitur, quod in leuitate intestinorum calor pror-
sus languet: in *cœliaco* verò affectu aliquantulū
viget: vnde ructus acidi etiam à principio eleuā-
tur, quia imperfecta fit à calido innato conco-
ctio

Etio, ut paulo inferius dicemus. Non igitur de cœ-
 liaca affectione Hippocratis aphorismus primus
 libri sexti Aphorif. intelligetur, quum dicat. In
 longis leuitatibus intestinorum si ructus acidus
 fiat, qui prius non erat, signum bonum: quia in
 hac cœliaca affectione ructus acidi, quoad inna-
 tus calor auctior factus est, semper cōperiuntur.
 Nam prædictus aphorismus, In longis intestino-
 norum leuitatibus, rationem habet in quibus à
 principio ructus acidus non erat, sed postea su-
 peruenit. Quia morbi huius initio vètricus vi-
 ribus destitutus erat, ut cibi eo modo crudi quo
 ad eum perueniebant, absq; vlla vel parua altera-
 tione illico foras emittebantur. Non igitur in ci-
 bos ingestos calor quicquam agebat: successu ve-
 rò tēporis aucto nativo calore cibi aliquantulum
 alterantur, & eorum ferè semiconcoctio fit, vnde
 flatus & fumi, ac acidi ructus excitātur: quod si-
 gnum optimū esse tradit Hipp. quia quū in prin-
 cipio nulla neq; perfecta, neq; imperfecta conco-
 ctio erat, nunc demū concoctio apparere incipit:
 quæ & si imperfecta est, optimū tamen est signū:
 quia nativū calorē à principio sepultū, nūc reui-
 viscere indicat: qui quum diminutus est, exactē
 non cōcoquit, sed cibum immutat, & in acidum
 trahit. Nouit̃is autē acidum saporē à calido co-
 quere incipiēte, nō verò perfectā mutationē atq;
 alterationem afferre potēte fieri, ut tradit Gale.
 lib. quarto De facultatibus simp. medicamē. cap.

AMATI LVSITANI

decimoquarto, & libro tertio De sympt. causis capite primo: vnde libro secundo De temperamenti capite octauo, ipse Galenus inquit, Venterculus, si bene concoquit, temperatus est: si non bene concoquit, intemperatus: si nidorosos, vel fumosos edit ructus, igneus in eo calor est: si acidus imbecillus & infirmus: vt liquido constet acidum hunc saporem à diminuto calore concoquente euenire. Quum igitur cibaria sic incocta & acida manebat, ea per aluum veluti ex vase destillante excernebantur. Item quum longo tempore membra cibum non persenserunt, consequens fuit corpus extenuari, & iecur malè affici, vnde cachexia, id est totius corporis malus habitus, morbus: & atrophia, id est sine nutrimento, vel totius corporis maxima macies pullularunt. Sunt autem duo ij morbi tabis species: quibus phthisis tanquam tertia adnumeranda venit, de quibus quum dabitur occasio sermonem faciemus. Ceterum quod lyenterie, id est lenitatis intestinorum nomen, huic affectioni omni ex parte non satisfaciatur, meminit Galenus enarratione prima libri sexti Aphoris. vbi eos qui primum rebus nomina imposuerunt redarguit, veluti Erasistratum, qui in lyenteria cruda excrementa cum mucosis ac sanguinolentis strigmentis excerni contēdebat. Ceterum scire decet, Cornelium Celsum longè aliter celiacum morbum describere, quàm nos hucusque fecerimus: inquit enim ille libro quarto capite

duodecimo, Morbum hunc pylori, id est portonam
 rē, proprium esse, in quo venter induratur, &
 torminibus premitur, aluusq; ipsa adeo nihil
 reddit, vt ne spiritus quidem infra sed nec supra
 erumpere possit, à qua passione olim Antonius
 Beniuenius patrem suum eviscere meminit, libello
 suo De abditis morborum causis. Porro curatio-
 ni nostræ utpote veris tempore exercita, & pitui-
 ta in ventriculi cavitate fluitante, aphorismus
 Hippocratis duodecimus libri quarti Aphorism.
 non aduersatur, vt consideranti notū euadet, ita
 enim Hippocrates eo loco tradit. Quorū alui in-
 testinorum leuitate laborant, hyberno tempore
 supra purgari malum.

De cholera morbo,

CV RATIO LXXXVIII.



Xor proxeneta ex Bario, olim
 Iapygia Apulia ciuitate dicta,
 quum cholera morbo vexaretur,
 illi post duos dies vomitus
 ventris fluxu perseverante constrictus fuit.
 Caterum sequenti die huic menstrua, quæ
 ante sex menses non viderat, erupere: &
 eodem die ventris fluxus ex toto cohibi-
 tus fuit, quo in die lingua arida, quadam
 cum nigritie & febre ingenti apparuit.
 Sed menses ita pauci fluxerunt, vt intra

AMATI LVSITANI

diem ex toto suppressi sint, & fluxus ventris ex se reuersus, ex quo quum virtus imbecillis fieret, ad ventris constrictionem cum clysteribus opus id conficientibus nos diuertebamus, & tunc febris & symptomata augmētabantur: ob quæ iterum ad fluxus euocationem redibamus, & tūc symptomata omnia minuebātur: sicut enim vicissim pro virtutis constantia, vel eius imbecillitate, fluxū permittebamus, aut eum constringebamus. Elapsis verò nonnullis diebus ægritudinis mulieri huic tremores superuenerunt, & lumbricos multos per clysteres iniectos egressit: ob quos illi catapotia ex aloë obtulimus, & melius habuit. Fuit autem morbus hic ab humorum multitudine exortus, at quum hæc meliusculè haberet, in capitis anteriore parte magnum passa est dolorem: pro quo leuando multis topicis remediis vsi sumus, & nihil profuere: quade re quum virtus adhuc imbecillis esset, nasi venam præscindi fecimus, & hirudinem vulnere apponere, quousque ex se cecidit: postquam euacuationē dolor breui ablatus fuit, & mulier ipsa intra mensem sanitati restituta, quæ obesa & humoribus pessimis referta erat.

Scholia

S C H O L I A.

Cholera morbus, vt aliàs dixi, & Alexand. Tralli. lib. vii. cap. 16. tradit, ex acutissimis affectib. est, syncopim insignem, immodicamq; virum resolutionem asserens: qui non idè cholera dicitur, quia à bile omnino fieri consueuerit, sed potius quia materia, qua per ventrem adfertur, ex intestinis videtur excerni: intestina verò choladas veteres appellabant, vt etiam Homerus in verbis testatur $\lambda\iota\chi\upsilon\nu\tau\omicron\ \chi\alpha\mu\alpha\iota\ \chi\omicron\lambda\acute{\alpha}\delta\iota\varsigma$, qđ est fusa erant humi intestina. Caterum nō me latet fluxum ventris quēcunq; non sic facillè cobibendum esse, quū inde, hoc est ex importuna constrictione, non nisi parotides, phrenitides, febres acutissimæ, & alij perniciosissimi morbi oriantur. Non igitur credere est, anterioris capitis dolorem superuenientē huic mulieri, ex retētis humoribus caput ascēdentibus euenisse: sed magis ob sanguinem vitiosum ex iecore per venas ad alendū caput ascendisse, qui in eo malam qualitatem cum solutione continui imprimens dolorem fecit: pro quo leuando narium vena secta fuit, & sanguis per hirudinem extractus. Et enim frontis venam secare, posteriori capitis parte dolente, saluberimum est, vt meminit Hippoc. ita anteriori capitis parte dolente, narium venam tundere, & ex ea sanguinem demere optimum est: vt suadet ditissimus ille medicinae Oceanus Galenus lib. secūdo De compo. med. per l. capite secundo,

AMATI LVSITANI

dicens, Quod si amplius sanguis redundare vi-
 deatur, etiam ex naribus aperta vena, & quan-
 tum sufficere videtur, sanguinē euacuato. Vnde
 Auicēna Fen prima libri tertij sui canonis tra-
 cta. primo, cap. vigesimonono, in quo de vniuerſa
 li Methodo medendi capitis morbu agit, inquit,
 Quaecunq; demum fuerit materia, incipiemus à
 sanguinis missione præcipuē capitalis venæ, &
 aliarum, quæ caput respiciunt, vt sunt frontis, na-
 rium, & earum quæ retro aures sunt, de quibus
 capite de phlebotomia diximus. Hec Auicenna:
 quæ in vniuersum cum Galeni dictis conueniunt.
 Ceterum quod retro aures venæ ab Hippocrate
 & Galeno secabantur, liquido euadit ex cōmen-
 tario quinto, in librum sextum De morbis vul-
 garibus enarratione vigesima secūda, in qua Ga-
 lenus, quum Hippocratis interpretatur hæc ver-
 ba, In cedmatibus venas in auribus posteriores sca-
 rificare, inquit, cedmata appellat fluctiones in
 crura decumbentes: & subdit: scribit enim ipse
 venas in auribus quum non in auribus, sed cir-
 cum aures esset dicendum, Nam post aures sunt
 venæ insignes, in auribus verò sunt perexiguæ,
 sunt autem, vt nos dicamus, venæ hæ retro au-
 res, barbaris guidæes dictæ, quas Græci οφθαλμι-
 δας. Romani verò ingulares appellant, et eas aliq̃
 quocq; apoplecticæ, & somni venas vocāt: quia ex
 earū obstructione apoplexia & somnus oriatur,
 de quibus ad præsens hæc sufficiant. Vt receptus
 igitur

igitur canamus, liquido constat Galenū & Au-
cennam, vt plures alios taceam medicos, in capi-
tis egritudinibus narium venam secare, & ex
ea sanguinē mittere: quod propter morosos quos-
dam medicos dictum volo, qui de euacuatione
per venā narium facta nusquam apud probatos
autores legisse, clamabant: quos nos sua cū insci-
tia & pertinacia relinquimus, eorum precipuē
vnum, qui tanquam albus coruus hac in re ha-
bendus est: vt qui ob albedinem cum coruis ver-
sari non potest, ob magnitudinem verò neq; cum
columbis: ita enim hic cū barbaris barbaras scri-
bentibus practicas, quorum lectionibus assiduus
& frequens est, medicus dici nō meretur, quum
id ignoret, de quo ipsi tam sepe mentionem fa-
ciunt: cum Galeno verò minus, quia eius doctri-
nam in totum ignorat.

De duplici tertiana continua, ad quam
uaria symptomata secuta sunt,

CVRATIO LXXXIX.

Vius prædictæ filia, mulier an-
nos nata vigintiquinq;, natura
gracilis, colore albida, duplici
tertiana cōtinua affligi cœpit,
pro qua subleuanda pedis vena saphena
dicta secta fuit, & sanguis abundē extra-
ctus: à qua sanguinis missione, ex febre
melius habuit. Cæterum duobus interpo-

AMATI LVSITANI

fitis diebus huic dolor superiores thora-
 cis partesprehendens superuenit: pro quo
 leuando facculus ex milio calidus dolenti
 loco admotus fuit, & sanguis ex iecoraria
 aliquantulum extractus, & breui ex toto
 dolor euauit. Sed paucis interiectis die-
 bus hanc angustia apprehenderunt, qui-
 bus colli venæ, & reliqua vasa crassiora
 sunt reddita, imò tunc oris tortura compa-
 ruit: pro quibus profligandis symptoma-
 tis hirudines duæ ano admotæ fuere: &
 cucurbitulæ siccæ coxis, & intra umbili-
 cum, & stomachum applicitæ. Trahebant
 autem symptomata hæc ortum suum à
 matrice: quia eius maritus diu absens
 erat: pro qua placanda ex Mithridate
 antidoto, veluti ex terebenthina, pessuli
 parabantur: non minus ac ex mercuriali
 cauliculi intra os vteri mittebantur: ela-
 psis verò duodecim morbi diebus mem-
 ses apparuerunt pauci, & non bene colo-
 rati, pro quibus, vt decebat, ciendis deco-
 ctum à nobis paratum ebibit, & aliquan-
 tulum responderunt, cum quibus & graui-
 ter se habebat, adeò vt postea de faucium
 angustia contristaretur: pro qua curanda
 sub lingua venæ sectæ sunt, & sanguis ex-
 tractus: vnde postea melius habuit, & pau-
 latim cōualefcere cœpit, donec integram
confe

consecuta est sanitatem.

De dysenteria cōtagiosa, et pestilenti,

CV RAT IO XC.



D maris portum nauclerus matrem suam senio confectam domi habebat, quæ dysenteria correpta intra mensem obiit. Cæterum post vetulæ obitum prædicti naucleri tres filij eodem morbo afflicti, breui perierunt. Sed & quartus huius filiulus quum ex eodem morbo prope obitum esset, ad eum vocatus, diverti: quem quum conspicerem, & eius pulsum attrectarem, pro deplorato reliqui: ne tamen ceteri domestici adhuc bene valentes in eundem morbum laberentur, consului circa res non naturales optimè se gererent, ac ex surculis, & bene olētibus herbis, & suaviter spirantibus sarmentis, lignisve focum instruerent, eumque domi pluribus in locis perennem haberēt, ut ex rore marino, stœcade, origano, pulegio, maiorana, lauro, iunipero, cupresso, & similibus: item domus fenestellas ab aliis domibus occupatas, ut à vento perflari non possent, apertas & patentes haberent. Contraxit autem morbus hic seminiū à vetulæ putore exhalante, & aërem inficiente, unde pueri infecti

AMATI LVSITANI

sunt, & tanquã minus resistere valentes occubuerunt. Cæteri verò domestici hoc nostro cõsilio muniti euaserũt, nec in morbum inciderunt: hoc enim ita agendum ab Hippocrate diuino accepimus, vt qui ab vniuersa Græcia pestem fugauit accensis ignibus, ob quam rem Athenis aurea statua illi erecta est: &, vt Aristophanes inquit, honores Herculi decretos, vni Hippocrati ob eius merita vniuersa Græcia impartiebat. Veluti sui Coi, qui singulis annis illi per multa secula parentabant, eo præcipuè die quo natus fuerat: est autẽ natus Hippocrates primo anno octogesi-
mæ olympiadis, die vigesimo septimo mensis Agrianei: floruit eo tempore, quo Democritus Abderitanus, vt ex eius Epistolis claret, & Plinius confirmat libro Naturalis suæ historiæ: &, vt Eusebius in Chronico tradit, anno mũdi quater millesimo septingentesimo & sexagesimo, quo tempore Ezras propheta quoq; vixit: demum floruit Hippocrates tempore belli Peloponnesiaci.

De puero absq; manifesta causa faciem tumentem habente,

CVRATIO XCI.

Sacer



Acerdotis filius annos natus octo, quum absque externa causa in eius facie tumeret, nec dolorem aliquem persentiret, factum est, ad sex vel octo dies nihil remedium illi applicitū sit. Cæterum quum facies in tantum tumuerit, vt deformis puer videretur, ad eum sum vocatus: cui tunc theriacam paucō vino darent, consului: sequenti verò die quum ad eum diuertissem, eius vniuersum corpus attrectaui, quòd quum circa iecur manum admouissem, illico doluit. Tunc verò puerum sic malè affectum esse, & vultus inflationem à iocinoris vitio contraxisse ortum noui: qui in deterius ruere deberet, hoc est in aquam intercutē morbū, ni illi summa cura obstitissemus: obstitimus autem primò optimo victus ordine cōstituto. Nam quū puer voracissimus esset, & multa indiscretè comederet, factū est inde iecur obstructionem traxerit: ob quam sanguis non exactè ab eo conficitur, qui postea altas partes alere ascensus, vt nutritioni ineptus, ita inflationem prædictam effecit. Iussimus igitur vt puer parcissimè comederet, vescereturq; cibariis ad caliditatem & siccitatem declinantibus, optimū præcipuè succū gignentibus, vt carnibus aui-

AMATI LVSITANI

ularum mōtanarum, perdicis, turdorum,
 merularum, phasianorū, attagenis, melea
 gridis, turturis, gallinæ, capi: & ex quadru
 pedibus hœdi, veruecis, cuniculi, & lepo
 ris, quas potius assas, quàm aqua coctas co
 mederet suadebam. Si quando tamē elixē
 parabātur, herbis his condiebātur, hyssop
 o, mētha, satureia, maiorana, cerepholio,
 fœniculo, basilicone, porro, vulgari petro
 felino, & similibus adiectis aromatis. cro
 co, garyophyllis, cinnamomo, & caro.
 Sed cœna illi amplior erat quàm prādiū,
 vnū semper præ oculis habendo, vt ea quę
 comedebat optimē dētib⁹ attereret & mi
 nueret. Ex bellariis & fructibus laudaban
 tur vua passa, pistatia, quę vino maluatico
 macerato summā prerogatiuā in hoc ha
 bent casu, amygdalæ & pinea: quibus ad
 das velim, cappares ex oximelite paratos,
 asparagos, & fœniculum marinū, cretamū
 dictum, in summa in hoc casu omnia quę
 aperiēdi obstructiones facultatē habent,
 laudantur, quę verò obstructiones pariūt,
 abnegantur. Proinde à cibo exercitium &
 balneum vitabantur. Potus huic puero vi
 num album meracū erat, in parua tamen
 quātitate. Cæterum quū primū ad pue
 rum venimus, illi terebēthinæ drachmas
 quinque paucō cū saccharo propinauimus,
 qua

qua optimè aluus respōdit: altero verò interposito die syrupū hunc ebibit, *℞*. Syrupi de fumo terræ vnciam vnam, oxymelitis vnciam mediam, aquarum fœniculi, agrimonij veri, eupatorij, añ. vnciam vnam, misce, & calidū bibat: iecinori porrò inunctio sequēs adaptabatur, *℞*. Oleorum camomillini, nardini, absinthini, añ. vnciam mediam, pulueris absinthij, spicæ, nardi, añ. drachmas duas, succi agrimonij vnciam vnam, cum cera quod satis sit, fiat linimentum: quo manè & serò iecur inungatur. Sed quum hæc moliebamur, quòd aluus rectè responderet solliciti eramus. Ebibitis igitur syrupis sufficientibus, bolum hunc deglutiendum puero dedimus, *℞*. Rhabarbari optimi drachmam vnam, agarici albi & friabilis drachmam mediā, diaphiniconis drachmas tres, cum saccharo, q. suff. misce, fiat bolus, quem in aurora capiat, & desuper per horam dormiat, quo multa pituitosa egeſsit: tunc puer melius habere cœpit, & vultus detumescere. At quia puer medicamentorum ebibitionē in totum iam exhorrebat, pro hac cōplenda operatione in aurora ius capi ex acori radice, hoc est galanga crassiori præparatum ebibebat, incoctis quoq; in eo radicibus petroselini, & iecoris lupi puluisculo,

AMATI LVSITANI

semidrachmæ pondere, respersis. Valet autem iecur lupi omnibus iecinoris intemperiebus, specifica quadã virtute, vt testatur Galenus, & post eũ cæteri omnes medici. Multa porro pro hac complenda operatione laudantur, quæ medici quum de iecinoris obstructione pertractant, describunt: inter quæ apozemata sunt, ex simplicibus deobstruendi vim habentibus cõposita, veluti & syrupi similes vires obtinentes, quib. addimus trochiscos de rhabbaro, de eupatorio, de absinthio, confectiões dialaccæ, diacucumæ, & similes. Sed puer hic paucis iis à nobis citatis, stante citato victus ordine, intra viginti dies sanus est factus. Ex hoc eodẽ affectu puerum alterum curauimus, annos natũ duodecim: cui pro victu maiori ex parte pulicula ex farina triticea parata, & optimè cõcinnata, veniebat: cui optimè coctæ pullegij vel origani summitatũ puluisculum iniici faciebamus: clysteres verò pro huius aluo exonerãda, ex alliorum ficcis spicis aqua cocta parabantur, non nisi melle discocto, & communi oleo, ac salis mica, adiectis. Eius porro purgatorium medicamentum, vinum erat, in quo radices sambuci & ebuli incoctæ fuerant, quod summo opere euacuabat, & ad morbum multum

tum faciebat. Ruri autem hic agebat.

De febre cum symptomatis,

CV RAT IO XCII.

MVlier Veneta, quæ ex auro & argento muliebres coronas parare solet, in aurora febrile cœpit paruo quodam rigore præcedente: noctu verò quum grauitè à febre affligeretur, vt mori eam vicini & assistentes crederent, ad eam inuisendam repente sum vocatus: quam quum primùm contēplor, eam iuuenem crassam, optimo & multo victui assuetam, continuo febricitatē comperio: cui pulsus crassi, magni, frequentes, & veloces erant: cum quibus caput, & vniuersum corpus dolere dicebat imò tempora foras ob dolorem exilire clamabat: quibus omnibus animaduersis illico nulla data mora tertia hora noctis, ex dextri brachij iecoraria vena sanguinis vncias quindecim extrahere feci, postquam sanguinis missionem clyster more Galeni, vt qui à sanguinis missione clysteres iniiciendos mandabat, iniectus fuit: post quas euacuationes melius habuit. & paucopane loto saccharo resperso contenta, eam noctem transegit. Ad eam verò in aurora diuertens, syrupos.

AMATI LVSITANI

ex oxyfaccharo, & aliis humores refrigerantibus, & membrorum intemperiem calidam infrigentibus concessimus: quibus & tenui victus ordine sexto die purgatorium pharmacum ex manna & rhabbari diluto ebibit, & sana euasit: veluti eo tempore miles ille, qui nunc Romæ apud illustrissimum Dominum Vincetium de Nobilibus agit: & Ianio cum uxore, qui apud fontis forum in angiportu agebat: & myropola monoculus: qui omnes, vt varij alij eo tempore, sani sunt facti: quibus omnibus illico secta vena fuit, & sanguis extractus.

SCHOLIA.

Percontabitur hic doctus medicus, cur est quod quum Hippocrates tam raro sanguinem in febribus & morbis extrahebat, nos tamen tam sepe, & copiosè sanguinis missiones molimur? cui quæsito Galenus vberimus medicina oceanus respondet commentario tertio in librum primum De morbis vulg. enarratione vigesima sexta, qua Critonis historiam prosequitur dicens, Vnde mireris quid causa fuerit, quominus huic morbi initio Hippocrates secuerit venam, sed scimus ad plurimos eum, quos descripsit, morbo iam progresso accersitum esse, hæc Galenus: cum quo nos, tanquam cum medicina principe,

cipe, morborū initijs vocati illico, vbi opus est, sanguinem demimus: quanquam in omni morborum tempore, (vt ille ait) si modo expedit, venæ sectio tutò exerceri potest.

De phlegmone ori ventriculi impacto,

CVRATIO XCIII.



Rauiter & continuo febriebar mercator ille, qui post longum cōfectum iter Anconam venit, vir annos natus trigintatres, boni habitus, medio Maij mēse, cum qua febris de ore ventriculi, quod ad cartilaginem ensiformem dictam, vel malum granatum iacet, maxime querebatur. Quum in eo dolorem continuum & vigentē sentiebat, cum quibus & inflatio aliququaliter imminens extra in ipso ventriculo apparebat: vomebat hic, & totus nauseabundus erat, vt faciliè iudicares hunc in ore ventriculi inflammationem pati. Ad quē accedens ipse, illico per lenem clysterem depositis ex aluo fecibus, ex interna brachij dextri vena sanguinem pondere decē vnciarum extrahere feci, & loco dolenti extrinsecus ad mouere quæ constringendi ac reprimendi vires habēt, vt sequēs hoc,

AMATI LVSITANI

℞. Oleorum cydoneorum, myrtillorum
 añ. vnciam mediam, pulueris myrobala-
 norum citrinorum drachmam vnam, boli
 Armeniæ drachmam mediam, misce, & te-
 pido locus affectus inungatur. Cæterum
 quum remedium hoc parū valeret, & do-
 lor ingens cū anxietatibus & nausea per-
 seueraret, ex eodem vulnere brachij ite-
 rum sanguinis missio ad vncias octo repe-
 titā fuit, & emplastrum hoc admotum,
 quod habet, ℞. Farinæ hordei vnciam
 vnam, rosarum rubearum ficcarum, santa-
 lorum rubeorum añ. vnciam mediam, pul-
 ueris summachiorum, hypocysthidis añ.
 drachmas duas, olei rosati omphacini vn-
 ciam vnam, succi omphacij, id est agrestæ
 vnciam mediam, cum succo endiuix, & ro-
 sarum quantum sufficit, misce, fiat empla-
 strum, quod sic frigidum ob intensam ca-
 liditatem dolenti loco admoue, & sæpe
 innoua: quo vir hic melius habere cœpit,
 nec dolor ita intensè eum vexabat. Porro
 quòd alius singulis diebus responderet,
 solliciti admodum eramus, præcipuè leni-
 bus clysteribus, vt hoc sequenti, ℞. Iuris
 pulli, vel decocti maluarum vncias quin-
 decim, olei rosati, violacei añ. vncias duas
 vitelli oui numero duo, sacchari vnciam
 vnam & mediam, cassiæ extractæ vnciam
 vnam,

vnam, salis communis drachmam vnam,
 misce, fiat clyster. Elapsis verò quinq; die
 bus locus vt antea malè affectus fomento
 ex rosis, & camomilla parato fouebatur,
 ac postea hoc aliud emplastrum applica-
 batur, quod habet, R. Acanthi, id est
 branchæ vrsinæ, rosarum rubearum, radi-
 cis maluauiſci, añ. pugillum vnũ, in aqua
 fiat decoctio, & abiecta aqua, in mortario
 marmoreo omnia optimè pistentur: qui-
 bus adde farinæ hordei, camomillæ, semi-
 nis lini, fœnugræci, añ. vnciam mediã, san-
 talorum rubeorũ, alborum añ. drachmas
 duas: cum oleo rosaceo, & camomillino,
 & pauca capi pinguedine, fac emplastrũ,
 & dolenti loco tepidum admoue: tertio
 verò die post huius emplastri admotionẽ
 phlegmon ruptus est: & æger per vomitũ
 saniei parũ reiecit, veluti per egestionẽ,
 sed tunc multo melius se habere sensit: &
 sequentibus diebus aquam mellis ad vl-
 cus lauandum bibebat, cui quandoq; thu-
 ris mannam Galeni consilio miscebamus,
 quibus intra viginti dies sanitatem obti-
 nuit. Cibus huic, ptisana erat, ad octo præ-
 cipuè priores dies: cuius vice amygdala-
 tum multa destillatitia rosacea paratum
 quandoque veniebat: postea verò ius pul-
 li gallinacei illi elargiebamur, aut ex

AMATI LVSITANI

eo paratam panatellam, vel ex eius carni-
bus concinnatum contusum : potus verò
aqua hordei per se, aut mixtum illi grana-
torum vinum erat: sed aër circundans fri-
gidus quoque erat.

SCHOLIA.

Sacriſſimus & letifer is morbus eſt, à quo
qui euadunt Iouis filij & albae cornices di-
cendi ſunt: quo morbo ſic affectis, Galenus libro
tertiodecimo Methodi medendi, tenuiſſimā die-
tam conſtituit: item ne illis pharmacum purgato-
rium, aut vomitoriū porrigatur ſuadet, adeò vt
ne aloë quidem ex omnibus purgantibus medici-
nis ſola ſtomacho conducibilis, ab eo ipsis conceda-
tur. Item medicamenta foris admouenda, ſtiptici-
tatem in ſe habeant, veluti ea quæ iecinori impo-
nuntur, monet, vt ex Theagenis philoſophi Cyni-
ci hiſtoria deprehendere quis poterit: eſt nanque
ventriculi munus, ſicuti iecinoris maximum, &
toti animali commune. Accedit nanq; omnibus
animali partibus maximum incommodum, ſiue
non probè concoctum alimentum ſit, ſiue non ri-
tè in ſanguinem conuerſum. vnde Quintus Se-
renus poëta in ſua medicina ſtomachum, tanquā
corporis totius principē & regē deſcripſit dicēs,
Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Huius enim valid⁹ firmat tenor omnia mēbra:
At contra eiufdem franguntur cuncta dolore.

Hunc

Hunc ceterum providentissimus artifex Deus omnipotens in medio totius corporis, tanquam escarum & ciborum receptaculū, aut promptuarium quoddam & refectam culinam, posuit, ut ab eo cetera membra indigentia tempore nutrimentum sibi ipsis exposcerent, captarentve: cuius os prisci tanti fecere, ut cor ipsum appellent, ut testatur Galenus libro Aphoris. 40. enarratione decimiseptimi aphor. qui ait, Si quis febrē non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum & vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat: ubi particulam illam, cordis morsus, sic vertit, hoc est oris ventriculi: prisci siquidē & hoc cor nominabāt. sic quoque ab eo hoc firmatur libro quinto De locis affectis, & quarto De symptomatiū causis, & sexto Epidemion, ut sexcentos alios locos præteream: quo fit cardiaca passio, ventriculi affectio dicenda est, non verò cordis: cur verò os ventriculi cor dicatur, dicamus. primo quia ut Galenus libro quinto De locis affectis, capite quinto ait, Veteres os ventriculi cor nominabāt, ab accidentibus quæ inducere videtur. ita enim ex oris ventriculi affectione aequè fit syncopis, ac ex cordis affectione: quia os ventriculi maxime est sensibile, item quia inter os ventriculi & cor maxima existit per arterias colligatio vicinitasque. Ceterum non desinam hic vnum referre, ut scitu dignū, ita à nemine (quod norim)

AMATI LVSITANI

hucusq; dictum, cartilaginem triāgulam, quam, ensiformem appellamus, barbari verò malum punicum dictitant, à natura perforatam esse, vt sapè cū corpora dissecaremus, experti sumus: sed ad quos effectus natura in hac cartilagine hoc molita sit foramen, dignum inuestigatione est: ego verò quum id animo & cogitatione contem-
plor, foramen hoc à natura constitutum esse, in-
uenio, vt quum plus iusto ventriculus grauatus
sit, perspirationem aliqualem per eum habeat, &
fumorū difflationem: tu verò bone lector, melio-
ra considera: quū hæc Galeno ignota esse audisti.

De tinesmo siue tenesmo, id est prom-
pta & assidua deijciendi cupiditate,

CVRATIO XCIIII.



Sebastianus sacerdos, à Mona-
sterio in Græcia oppido mirum
in modum frigidus, vt hyberno
tempore in eo vinū potens con-
geletur, & oua ita lapidosa fiant, vt qui-
busuis lapidibus duriora euadāt, tinesmo,
hoc est assidua & prompta egerēdi cupidi-
tate, magna cū tensione torquebatur, quæ
ab ulcere recto intestino hærente euenit,
vt testatur Galenus libro sexto De locis
affectis, capite secūdo, & tertio De sympt.
causis, & alibi pluries. Cæterum quum in
hoc morbo pauca admodum excremēta,
& ca

& ea quidem mucosa & cruenta eiician-
 tur, hic quum hæmorrhoides pateretur,
 vix quicquam emittebat.. Vnde magis &
 magis affligebatur, quia maior distensio
 & maior dolor, & maior desidendi cupi-
 ditas oboriebantur. hunc igitur morbum
 curaturi, primò decoctum hoc parare fe-
 cimus, vt eius infessu dolores & tensiones
 placaremus, simulq; vt per anum necessa-
 ria inderemus: habet autem fomētum ad
 infessum sic, *℞.* Radicum altheæ, mal-
 uæ, camomillæ, seminis lini, fœnugræci,
 rosarum rubearum, añ. pugillos duos, in
 libris viginti aquæ fiat decoctio sufficiēs,
 cui adde olei rosati, camomillini, añ. vn-
 cias tres: in quo decocto tepente infessus
 fiat, vt non solum anus sed inguina quoq;
 madescant, vice cuius filtro aut sponsia
 prædicto decocto imbuta, & parum ex-
 pressa quandoque vti solebat: tunc verò
 clystereꝝ abstergerendi vi præditos iniicien-
 dos curabamus, quorum exemplum tale
 habebis, *℞.* Decoctionis hordei inte-
 gri vncias quindecim, sacchari rubri vn-
 ciam vnam & mediam, olei rosacei vn-
 cias tres, vitellos oui nu. duos, misce, fiat
 clyster, in quo & mel rosaceum colatitiū
 imponere optimum sanè est, quum ex iis
 quæ maximè vlcera abstergāt sit. Abster-

AMATI LVSITANE

sione igitur facta ad clysteres vlcus exic-
cantes & constringentes deuenimus, non
minus ac in dysenteriae curatione, qua de
re clysteres sic descripsimus, *R.* Sum-
machiorum, plantaginis, balaustiorum,
añ. pugillum vnum, in libris duabus aque
fiat decoctio sufficiens, facta colatura,

R. Prædicti decocti libram vnā, seui
hircini vnciam vnā & mediam, butyri
recentis salis expertis vnciam vnā, thu-
ris drachmas duas, oui integri numero
vnum, olei myrtillorū vncias duas, misce,
fiat clyster, quem pro posse retineat: sic
enim vicissim modo clysterium abster-
gens, modo constringens, pro oblata occa-
sione, parare mandabamus. Sed quū æger
grauiter morbum ferret, & indies peius
haberet, & dolor in eum sæuiret, ad glan-
des ex sepo hircino paratas cum massa pi-
lularum de cynoglossa, adiecto vno vel
altero opii grano: aut ad glandes ex mel-
le paratas, adiectis prædictis anodynis me-
dicamentis, prout hodie in fratre Chirur-
gici operamur, deuenimus, vel ad clyste-
res ex lacte vaccino confectos, & oleo ro-
faceo omphacino, cum prædictarum pi-
lularum de cynoglossa drachma media,
adiectis quoque granis duobus vel tribus
opij, à quibus gummi tragacanthum &
Arabic.

Arabicum, veluti seuum hircinum & butyrum recens, minimè eliminabatur: quibus, & vnguento ex plumbo foris ad anũ applicito, intra octo dies sanus fuit factus, optimo semper assuescens victui, & acria fugiendo.

S C H O L I A.

Tenesmus symptoma est, vlcus consequens, vt in hoc homine visum est, aliquando verò inflammationem recto intestino herentem insequitur, & tunc sanguinis missione, & fomētis ex decocto radicis altheæ, fenograci, seminis lini, camomille, rosarum, branchie visine, thasi barbasi, & similium confectis, curatur. Non minus ac iniectionibus lenioribus & linimentis extrinsecus adhibitis, prout inflammationis tempora varia, varia postulant: quandoque verò tenesmus evenit ab humoribus biliosis acris, aut salsa pituita, & tunc sepe in ano punctio quedam, ac si ab acu aut re pungente fieret, sentitur: cuius cura est, abstergentibus & refrigerantibus clysmatis eos deponere: vt ex hordeacea, adiecta cassia recens extracta, & similibus paratis, foris tamen anum & illi circumuicina membra vnguento rosaceo, aut populeone, vel huius generis altero, inungere oportet: quandoque verò ab stercore ceco intestino impacto, obstructionem faciente tenesmus oritur, qui tunc clysteribus emollientibus & lenientibus curari debet. Sed ali-

AMATI LVSITANI

quando à frigore morbus hic originem trahit, quod vel ob aërem niuosum & aquilonarem cōtractum fuit, vel ob moram supra lapidem plus iusto habitā, aut supra aquā, & tunc tinesmus meraco vino liberaliter epoto euanescit, modò tamen inferiora rutaceo oleo, aut laurino, vel anethino, aut lilino, aut lateribus calidis vel quadris, vel orbiculis, aut similibus calidis fota sint. Porro dicitur tinesmos ἀπὸ τῆς τεύχεος, quod est conari, quia morbus hic conatus continuos & cupiditates desidendi facit, Leonicens tamen τῆς τεύχεος tensionem in Aphorismis vertit, sic enim Aphorismus vigesimus septimus libri septimi legitur, Mulieri vtero gerenti si tensio superuenerit, facit abortū. Ceterum quod in hoc morbo purgantia medicamenta per os dari non debeant, notius est, quàm à me in hoc loco doceri sit opus.

De febre nocturna miti & lenta:
simulq; de hemitriteo, id est
semitertiana febre,

CVRATIO XCV.



Salsamentarius qui ad forum habitat, nocturna febre laborabat, & ea quidem lenta & miti, ad hecticam disposita: erat autem huic vrina crassa & turbulenta:

ta: pulsus verò languidus & debilis: parū dormiebat, non dolebat caput: sed nō nisi clysteribus iniectis egerebat, vomebat aliquando pituitosa rarò bili admixta, cū quibus omnibus optimè comedebat. Cæterum elapsis nonnullis diebus quibus multa pro hac propulsanda febre machinati eramus, hemitritæus febris comparuit, quæ ex pituitosa continua, & biliosa intermittente gignitur: cōtinuò enim hic febrieat febris quidem pituitosa, quam tertiana intermittens secuta est, vnde hemitritæus cōflata est: tertio nanq; quoq; die æger hic duos patiebatur paroxysmos, alterum tertianæ interpellatæ, alterum verò pituitosæ continuæ: secundo verò die vnum tantum paroxysmū, hoc est pituitosæ continuæ habebat. Cæterum tertij cuiusque diei paroxysmi horror nō adeò ingens erat, sed frigus potius extremas occupans partes, vt pituitam præualescere bili dicendum sit, cuius hemitritæi aduentus formidolosus sanè fuit, quum sua natura letalis & mortifer sit morbus. Post cuius apparitionē à propinato pharmaco purgatorio ex agarico, & rhabarbaro composito, hoc decoctum manè & serò pondere sex vel septem vnciarum, bibebat. Habet autem decoctum sic,

AMATI LVSITANI

℞. Radicum apij, fœniculi, petroselinī
 vulga. rusci, añ. vnciam mediam, seminis
 rusci, anisi, fœniculi, añ. drachmas duas,
 herbarum hyssopi, origani, pulegij, añ. pu
 gillum vnum, endiuē pugillum medium,
 hordei integri, passerum ex Corintho, añ.
 vncias duas, polipodij quercini recentis
 vnciam vnā & mediam, florum camo
 millæ, lupulorum, añ. vnciam mediam, In
 libris octo aquæ fiat decoctio, quousque
 tertia pars absumat, facta colatura, ad
 de mellis rosati colatitij vncias tres, aceti
 albi boni vncias duas, misce, fiat potus
 longus, quem vt dixi ebibat: quo replica
 ta purgatione, & quandoque in eo deco
 cto semidrachma pulueris rhabarbari ad
 mixta, intra mensem sanitatem adeptus
 est: quo in tempore de stomachi robore
 semper admodum solliciti fuimus, ei sac
 culos ad scuti formam redactos, & rubro
 zendalo confectos, & acu confutos, siue,
 vt aiunt, rubro fillo interseptos, aut inter
 passatos admouendo, qui ex iis vel simi
 libus pulueribus referti erant, ℞. Pulue
 ris rosarum siccarum rubearū, absinthij,
 menthæ, mastichis, mascis, nucis moscha
 tæ, garyophyllorum, añ. drachmas duas,
 calami aromatici, acori, spicæ nardi, añ.
 drachmam vnā & mediam, specierum
 Gallia

Gallia moschatae Mesuae scriptulos duos, misce, fiat sacculus vt dixi, & vino calido irroratus ori ventriculi applicetur: sed & intus rotulum vnum vel alterum aromatici rosati, vel diarhodonis Abbatis, accipiebat: quibus, vt dixi, intra mensem ex toto sanatus est.

S C H O L I A.

Hemitritæus, hoc est semiteriiana febris composita ex continua pituitosa & tertiana intermittente est, vnde quia cōtinuè affligit, inter continuas febres reponitur: quia verò in ea horror comperitur, inter horridas cōnumeratur, vt sapientissimè admodum meminit Galenus, vbi serio & ex proposito de ea tractat, libro secundo De differentiis febrium, capite septimo & octauo. Ceterum hæc dupliciter fieri contingit, aut exquisitè, aut non exquisitè: exquisita dicitur hemitritæus, quando neutra febrium alteram vincit, sed ambe equipollere videtur. Quia humores, ex quibus ambe ortum habent, equales potentia sunt, & neuter alterum vincit: & tunc febris ex vtraque conflata horrorem præ se feret. Est namq; horror minor rigore, sed frigere maior & intensior. Quo circa dimidiam hemitritæi portionem vtraque illarum febrium, dico pituitosæ continuæ & intermittētis tertianæ, occupabit. Non exquisita verò hemitritæus ea dicitur, quando in mixtione horum duarum febrium altera

AMATI LVSITANI

alteram exuperat & vincit. Nam si bilis superat, tunc horridior fit tota febris, imò rigorem in inuasionem sibi associat: confestim verò & feruorior est huiusmodi febris, & incēdij habet plus, magisq; ad summum festinat: & aliquid bilis per uomitum, aut per aluum, aut per sudores excernitur. Si febris pituitosa verò sit prapotentior, tunc frigus vehementius extremas occupat partes, & pauci adsunt horrores, ac pulsus magni & diutius cōprimitur, tardiusq; accessio inualefcit, ac longum post tempus consistit: non tamen aut fitim, aut magnum adfert incendium, neque in ea vt in alia bilis excernitur. Porro febris hac genita ex pituita intra venas putrescente, & bile extra venas tertianā causante, propriè hemitritæus dicta, vel magna semitertiana, ex paroxysmis ipsis dignoscitur. Quia primo die hominem duo paroxysmi inuadunt, alter febris biliosa intermittens, alter verè pituitosa continua. Secūdo verò die pituitosa paroxysmus hominem tantum affligit: tertio verò die vt primo die, homo duos patitur paroxysmos: & sic vicissim affligit hemitritæus: de qua dixit Galenus libro secundo De crisibus, eam constare ex biliosa pituitosaq; febre, per se totas confusis, quæ reuera propriè semitertiana appellatur: febris, vt dixi, ex genere continuarum letalis, & mortifera, syncopim & sæua symptomata inducens: vnde intermittēs febris semitertiana appellanda non est. Porro tu
optimè

optime lector si alias februm cōplicationes apud Galenum hemitritæos, siue semitertianas appellari comperies, id scias ipsum licentiori vocabulo facere, & improprie eas sic vocare, vt ex citato loco deprehendere quis poterit: fit autem complicatio biliosa cum pituitosa, præter iam citatā sic: ex tertiana continua & pituitosa continua, aut ex tertiana cōtinua & pituitosa intermittēte, aut ex pituitosa intermittente & tertiana intermittente: quorum paroxysmi quādoque simul coincidunt, quandoque verò separatè affligunt: quas sic complicatas & compositas febres si quis rectè curare proposuerit, simplicium naturam exactè prius teneat necesse est, quum simplices compositarum elementa sunt. Ceterum hanc, quā nos veram semitertianā apud Galenum appellari diximus, id est ex tertiana & pituitosa continua, barbari barbaras scribentes practicas, hemitritæum aut semitertianam minorem appellant, Galenus verò ex Agathini sententia eam magnam semitertianam libello De typis vocat: quæ, vt dixi, continuo affligit, & letalis est. Si verò ex atra bile intra venas putrescente, hoc est ex continua atrabiliaria, & bile extrā putrescente, id est tertiana intermittente febris oritur, tunc eam maiorem hemitritæū vocant: mediam verò quando bilis intra venas, pituita verò extrā putrescunt: hoc est quando biliosa continue & pituitosa amphimerina dictæ sit compli-

AMATI LVSITANI

catio. Variis autem modis aliis febrium fit complicatio: quas doctus medicus facile dignoscet, si modo simplices rectè tenuerit. Semitertiana tamen, ut dixi, ex continuarum febrium genere est, gravis & letalis, quæ Romæ maximè inualefcit. ut meminit quoque Galenus libro De morborum temporibus, & de ea, ut ipse quoque tradit, Agathinus memorie vnum integrum dedit volumē. Sed circa ordinem tradendi victum iis, qui semitertiana laborant, scire decet, quòd eo die, quo vno tantum eger affligitur paroxysmo, copiosius & liberalius cibandus est, sequentis verò die parcius & subtilius tractandus est: quia natura duabus febribus attenta afflicta & grauata cōperitur. Item percōtabitur hīc curiosus medicus. Si hemitritæus vera sit ex pituita intra venas putrescente, & bile extra venas quoque peccante, quomodo ex illis mixtio fieri potest, quia alter humorū intra venas sit, alter verò extra. Nos huic dubio breui respondemus, febres misceri & confundi paroxysmorum tempore: vel aliter dicimus. Quòd eo tempore quo pituitosa continua suum habet proxysmum, pituitæ fumi cōmiscetur bili, & sic obtunditur bilis caliditas, & pituitæ quoque frigiditas retunditur: vnde frigoris loco horror in corpore fit, vel vice rigoris horror. Aduerte tamen apud Galenū aliud esse febres misceri, & aliud inter se complicari, quippe hemitritæus ex miscella & temperamento pituitosæ

*toſa continuæ & tertianæ febris oritur, vt libro
De morborum temporibus percipitur.*

De febre lenta,

CV RATIO XCVI.

EQuitis aurati puer natus annos decem, medio Maij mense lenta & miti febricula corripit cœpit, cum qua & tuſsiebat, & de capitis dolore querebatur. Cui occurrentes, cum in hecticam lapſurum prædiximus febrẽ, ni vt deceret breui curaretur. Erat autem febris hæc à bile multæ pituitæ mixta ortum trahens, pro qua curanda optimo victus ordine propoſito, illico illi bolum hunc deglutiendum dedimus,

℞. Floris caſſiæ nouiter extractæ drachmas decem, pulueris aniforũ drachmā mediam, cum ſaccharo q. ſufficit, miſce, fiat bolus, quem ante prandiũ duabus horis deglutiât, quo aluus optimè reſpõdit: tertio verò ſequenti die ſyrupum hunc ebibebat, ℞. Syrupi capillorum Veneris, violacei, añ. vnciam mediam, aquarũ farfaræ tuſſilaginis dictæ, capillorum Veneris, violarum, añ. vnciam vnā, miſce, fiat ſyrupus, quẽ ieiuno ſtomacho in auro ra bibebat: & quinquies repetiuit, in quo tempore lotiũ melius quàm antea appa-

AMATI LVSITANI

ruit, imò puer ipse de se optimam præstabat spem: qua de re pharmacū hoc illi propinauimus, *℞.* Capillorum Veneris, florum borraginis, violarum, añ. pugillū vnū, radicū buglossi, seminis mellonis mundi, añ. vnciam mediam, prunorum Damascenorum numero sex, iuiubarum, sebestē, añ. numero decem, seminis anisi drachmā mediam, in aqua fiat decoctio ad vncias quinque: cui percolato decocto adde rhabbari optimi pisti drachmam vnā & mediam, agarici nouiter præparati drachmam mediam, spicæ Celticæ scriptulum vnum, per noctem sic infusa maneant: in aurora verò facta colatura & expressione, adde mannæ electæ vncias duas, misce, & bibendum præbe: quo optimè egressit: tunc verò sequentibus diebus, in quibus lenibus clysteribus aluus respondebat, sequēti hoc vnguento iecur, renes, & dorsi spina, ac cordis regio, illi inungebantur, & ita habet, *℞.* Vnguenti rosati vncias duas, santalini vnciam vnā, succi eadiuiæ vnciam vnā & mediam, olei rosati, ceræ, añ. quantum sufficit, misce, fiat vnguentum: &, vt dixi, citata membra inungebantur, quo tempore in aurora scutulam iuris optimæ gallinæ, vel capi sacchari pauxillo adiecto, bibebat & demum hoc optimo successu, & restau-

rante sæpe comesto conualuit. habet autẽ
 restaurans sic, R̃. Carnis caponis vncias
 sex, seminum quatuor frigidorum munda-
 torum, añ. vnciam vnam, sebesten, pistatio-
 rum, añ. vnciam vnam & mediam, seminis
 papaueris albi vnciam mediam, passula-
 rum lotarũ cum aqua calida vncias duas,
 sacchari buglossati, borraginati, añ. vncias
 duas & mediam, specierum diarhodonis
 Abbatis, aromatici rosati, añ. drachmam
 vnam, sacchari candi, penidiarum, añ. vn-
 ciam vnam, sacchari tabarzet, id est albif-
 fimi, libram vnam & mediam, ad ignem,
 vt decet, misce, fiat conditum in morsulis,
 vel electarij forma: perdurauit autem vni-
 uersa cura quinque supra viginti dies.

*De selectis quibusdam remedijs, con-
 tra lumbricos & uermes,*

CV RATIO XCVII.

Nrsinus, qui publicè per vniuer-
 sam Italiam contra vermes pul-
 ueres venales clamabat, ita potẽ-
 tes & efficaces erant, vt omni-
 bus admirationi essent. Vexari autem Ita-
 li solent magis vermium lancinatione,
 quàm Hispani vniuersi: biliosi nanque exu-
 sti Hispani omnes fumus, Itali verò pitui-
 ta magis abundant, & eo magis quia her-

AMATI LVSITANI

bis frequentissimè vescuntur, vt eas etiam in hyeme sicuti in æstate pro oxyporo in prandio, & cœna continuo habeant: quod vnum aduertens ipse: vel continuo febricitantibus quū medicor, semper aliquid vini contra vermes habens inter medicamenta miscere soleo. Horum igitur puluerum eximias dotes considerans, gratum mihi facere posteritati visum est, si eorum descriptionem ac veram componendi rationem in præsentī subsignauero. Pulueres contra vermes, & lumbricos. *℞.* Corallinæ, seminis sanctonici, añ. vncias duas, dictamni albi, bistortæ, tormētillæ, aa. vnciam vnā, omnia in puluerem redigantur, & aceto acerrimo irrorentur, ac ad vmbra quousque sicci fiant, tractentur: quorum pondus à drachma media ad tres vsque, pro virium & morbi magnitudine signatur, aliquando in vino, quandoque verò aqua graminis vel portulacæ, iureve alicuius carnis. Porro Veneti mediciviri me herclè doctissimi & sapiētissimi, pro interficiendis vermibus, & ipsis abigendis, hoc vtuntur condito, *℞.* Seminis Macedonici, seminis xanctonici, ana. drachmas tres, corticum granatorum, cornu cerui vsti ana. drachmas duas, dictamni albi, rhabarbari electi, garyophyllorū, añ.

drach.

drachmam vnam, cinnamomi drachmas octo, croci drachmam vnam, misce, & fiat puluis, & cū libris tribus sacchari ad ignē fiant rotuli: Nouisti autem tu medice, singulis sex drachmis pulueris, sacchari alteram libram ponēdam esse, quanquam nos non exaē, vt vides, ordinem seruamus hunc: datur autem rotulus vnus vel alter, drachmam vel plus ponderans, pro medici iudicio.

De symptomatis euenientibus ante primam mensium eruptionem,

CV RATIO XCVIII.



Ilia Samuelis Segnioris nata annos quindecim, quum nondum menses vidisset, in febrem incidit: cum qua non solum caput, & crura, sed vniuersum corpus dolere se dicebat, imò magnū pondus in corpore perferre inculcabat: sitiebat, & tota rubicunda erat, & ad ventrem imum lancinationes & dolores sentiebat. Quæ omnia ipse considerans ob menses maturos non prodeuntes euenisse deprehendi, & ea de causa pedis venam saphenā dictam incidere feci, & ex ea sanguinis uncias quinque fluere, neque minus syrupum hūc mane & vesperti ebibere, & Syrupi cap. Veneris ʒ. ij.

AMATI LVSITANI

aquæ alkakengi, capillorum Veneris vñcias duas, misce, fiat syrupus: quem, vt dixi, in aurora ebibat, & vesperi ante cœnam duas libras iteret, sed & coxis cucurbitas magnas multa flamma ignitas affigi curauimus, Cæterum sexto die morbi potum hunc purgatorium exhibit, & ita habet,
R. Syrupi de linozostide, id est mercuriali vñcias quatuor, diabenedictæ drachmas tres, electarij rosati Mesuę drachmas duas cum tribus vñciis decoctionis capillorum Veneris, misce, fiat potus, quem in aurora bibat, & desuper per horam dormiat, quo nonnulla egeſsit, & dolores aliquantulum cessarunt: porro duobus interiectis diebus cucurbitæ iterum coxis applicitæ sunt, & subtus suffumigium adaptatũ ex iis cõpositum rebus, Accipe cyperi, costi optimi, croci, myrrhæ, cinnamomi, sauinæ, cuiusq; partes æquales, cum terebenthina optima formentur trochisci: quorum duobus vel tribus super prunas iniectis, optimè ipsa cooperta ac pannis circũdata, suffumigiũ in sede perforata recipiebat: quo remedio tandem menses apparuere, pauci tamen, post quos puella bene habere cœpit:
 tandem intra viginti dies
 integram sanitatem
 adepta est.

Schol

SCHOLIA.

Quam in hac puellam curadam inciderem,
 illico in mentem reuoco Hippocratem me-
 dicorum primum parentem, libro De superfæta-
 tione prope finem, ubi præcipue incipit, Si virgi-
 ni menses maturi non prodeant, & cetera. Ebi
 graphicè morbum hunc describit, & curat, velu-
 ti libro De virginum morbis, & sacratissimis
 aliis variis libris, De natura muliebri, & mor-
 bis muliebribus.

De febre diaria, ephemera dicta, ab
 æstu solis ingenti contracta,

CVRATIO XCIX.

Magnificus & generosus Marcel-
 linus, quum extra urbem Anco-
 nitanam longam sub sole tra-
 heret moram, in febrem cum ca-
 pitis non admodum graui dolore incidit:
 ad quem inuisendum quum peruenissem,
 eum ephemeram, diariam dictam fe-
 brem pati deprehendi iis præcipuis indi-
 ciis. Primò, quia absque rigore, horrore, fri-
 gore, & membrorum concussione, febrile
 cœpit. Secundò, tactu quia febrilis calor
 mitis erat, halituosus, absq; mordicatione
 & punctura. Tertio, ex lotio, quod à natu-
 rali parum differebat, & in eo pendens ne-
 bula, & coctionis signa vera apparebant.

AMATI LVSITANI

Quarto ex arteriarum percussu, nam pulsus magnitudo stabat, non multum tamē ab ea qua sanitaris tempore fungebatur, distās. Sed diastole, id est deductio siue inspiratio, sistole, hoc est compressione, spiratione dicta, maior multo erat: nempe quia aëris multitudine natura ad caloris refrigerationem magis indigebat, quam fumorum fuliginosorum expulsionē, indicium maximum, quod in corpore nulla erat putredinis infectio. Nam in putridis febribus expiratio inspiratione maior est. Demum hanc febrem ephemerā esse, symptomata leuia, & à malignitate aliena confirmarunt, quum æqualitatem & symmetriam, quam secundum naturā membra obtinent, parum excederent. Sed præter hæc Auicenna suadet, vt si medicus dignoscere cupit, homōne ephemera corripia-
tur, vel non, eum febrientem in balneum intrare iubeat. nam si ephemera correptus fuerit, nullus horror aut membrorum concussio illi superueniet, contrario verò illi qui putridam patitur omnia euenient. Vt igit nobilis vir hic à diaria hac febre liber esset, neq; in putridā laberetur, eius caput multo oleo rosaceo, aqua rosacea, & paucō aceto rosaceo simul mixtis pfundi fecim⁹: & id quidem sæpe eo die, quo lactucam

ctam

etiam oxaleo, & salis mica respersam comedit: in potu verò frigidam iulepo violaceo mixtam ebibit: sequenti verò die quā febris inclinaret, ad balneum ex rosis, vitis foliis, violis, lactucis, nymphaea, & similibus cōfectū cum duximus, quo maxime delectari se dixit, & tandem sanus euasit.

SCHOLIA.

TRia sunt ex quibus humanum corpus constituitur, & in quibus calor præter naturā succenditur, nempe spiritus, humores, & solida membra, quæ tria ab Hippocrate dicuntur, continentia, contenta, & impetū facientia. Nam quā calor in impetum facientibus, hoc est spiritibus succenditur, qui vento calido vteri incluso similitur, diaria fit febris: sic dicta quòd vnum tantum modo diem duret. quatuor & viginti horarum. Nam Aristoteles libro quarto De historijs animalium capite decimo nono, bestiolas quasdam apud Hispanum fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, nascentes meminit, vnumq; tantum diem viuentes, ac ideo ephemeræ vocatas tradit. Proinde quibus spiritus vel sanguis supercalfiunt tantum, & ephemera superuenit febris, intra quatuor & viginti horas omnino desinens, modo error non interueniat. Dixi porro spiritus, vel sanguis, quia ita se habet spiritus ad sanguinē, sicut scintilla ad ignem. Ceterū diariæ multæ particulares differentiæ apparent: vna

AMATI LVSITANI

cuius iam prorsus abiit effectrix causa: vt vsio, intolerabile frigus, violenta & repentina ac inconsuetæ alterationes, maximi labores, & intolerabiles lassitudines, furor, timor, angustia, quibus adde dolorem, diurnam vigiliam, famem, sitim, & frequentem coitum: altera verò, cuius causa præsens adest: vt obstructio, quæ quãdoq; ex abundantia, quandoq; verò ex humorum lentore, crassitiëque fit. Cui adde repletionem, crapulam, ebrietatem, cibos calidos, cibos pituitosos, tenaces, crassos, & coctioni pertinaces, vulnera, vlcera, & scabiem vel pruritus, à quibus diecularum harum febricularum curationis ordo desumitur, prout ab vna vel altera causa euenire solent, de quibus quã occasio se dederit differemus.

De tuberculo antiquo, vulgò natta dicto, altam frontis partem occupante extracto, & sola aqua frigida curato,

CVRATIO C.

R Euerendus Thomas monachus ordinis prædicatorij, vir crassus & bene rubicundus, tumorem antiquum in frontis alta parte habebat magnitudine nucis, tactu mollè indolentēq;. Cæterum monachus hic quum tumore sibi ac naturalē haberet quē forte medicorum consilio extrahi timebat, ecce fortè

fortè fortuna Nursinus quidam conuenit, ex iis præcipuè qui dextrè ramices & rupturas & ex vesica lapillos per sectionē extrahere solent: qui quum tuberculū hominem fœdans contemplaretur, eum ad curationem hortatur, promittens se illum intra octo dies curaturum. Monachus verò cupiens eam turpitudinem fugere, homini paruit: & eo magis quia Prioris officio tunc fungebatur, & sæpè extra domū cucullam deponebat, qua deposita tuberculum eminens apparebat, ipsum omnino fœdans, Quū igitur homini sese cōcredidit, & illi quidē chirurgo, chirurgus curationē aggrediens, super tumorem scissuram secundū crucē facit, ac vnguibus suo cum folliculo integrum extrahere proponens, eum disrumpit, ex quo sanies aquosa quædam viridis exiuit: qua deposita, & folliculo extracto, sola aqua frigida à splenis quibusdam madefactis, & desuper admotis intra octo dies ita liber & sanus fuit, ac si nihil prorsus inibi habuisset. bis autem in die aqua illa vlcus curabatur.

SCHOLIA.

Tumor hic ex genere eorum est, quos Auicenna nodos vocat, Haliabas verò selaas, qui iuxta varia in eis cōtēta varia nomina sortiuntur.

AMATI LVSITANI

Si enim velut adeps sit quod cōtinetur, τράγμα
 Gracis, Romanis verò nodus adipinus vocatur:
 si veluti mel, μέλις, Romanis meliceris &
 melleus nodus: si veluti pulicula, ἀδύγμα, Ro-
 manis quoque atheroma dicitur. Sed præter hos
 tumores varia alia apostemata & tubercula cō-
 periuntur, in quibus res alie inueniuntur: vt cœ-
 num, trōbus, mucus, ossa, vngues, pili, lapilli, lapi-
 des, arena, ostraca, ligna, cinis, carbones, & vt
 vrina liquor, qui in tumore reuerendi huius mō-
 nachi inuentus est, viridis coloris, odoris ingrati.
 Ceterum tumores ij ad Auicenna nodos, quos
 dubiletos pituitosos definit, referendi sunt: de qui-
 bus per amplè Galenus loquitur libro quartode-
 cimo Methodi medendi: quem interea lector lo-
 cum vide. Nam nos huic tertia Centuriæ finem
 imponimus, sexto Non. Iulij, more Ro-
 mano Millesimo quingentesimo
 quinquagesimo secun-
 do anno.

CENTVRIAE TERTIAE

FINIS.

CVRAT. MEDICIN. 174
AMBR. NICANDER
TOLETANVS

Antonio Barberino non minus
nobili quàm docto

S. P. D.



VAESISTI à me per literas, quomodo malam illam valetudinem, qua me hinc discedens Patauium sanitatis causa petiturus oppressum reliquisti, quòve medico vsus illam depulerim: qua de causa his meis literis volui (te faciens certiore) hac ad te scribere, ac meæ salutis tibi reddere rationē: quā scio tibi viro doctiss. & mei amantiss. non ingratam fore. Incipiā igitur ab initio. Non multos ab hinc annos venit in hanc vrbeim quidam medicus homo minime malus, natione Lusitanus, qui iam pridem commentaria in Dioscoridem scripserat, quæ ego videndi cupidus accepi, & legi: quæ tamen nunc Venetiis & ex ædibus Scotti sunt edita, in quibus multam & variam inueni eruditionē: præterquam enim quòd herbarum, arborumve nomina, quæ ibi à Dios. ponūtur multis & variis idiomatis sunt declarata, sunt & in

AMATI LVSITANI

his difficilia in medicina loca & doctè & prudenter disputata. Quid multis moror? illis commentariis adductus volui experi ri an scriptorum doctrina cum ipso homi ne consentiret: deprehendi hominem lon gè doctiorem quàm eius scripta ostende bant, què cœpi amare ob virtutes, eratque ipse amabilis re & nomine, vocatur enim Amatus. Ego, qui me multis subditū ægri tudinibus sciebam, cœpi illi mei corporis valetudinem committere: audiebā enim permultos ab eo sanari, quos tribus hu cusque editis Centuriis ipse cōmemorat. In eo igitur cum homine amicitiam, & in ipsam paulatim descendo, quantoq; eius consuetudine magis utebar, eò mihi ama bilior erat. nam præter eius doctrinā ve ram & solidam (est etiā moribus suauiss. vt verè dixeris omniū horarum hominē) à quo quū paucis mensibus multa accepis sem beneficia & visendi & me curandi, vo lui illi aliquid rependere. Is, vt est homo minimè auarus, inquit, Ego te Nicander curare libenter ac diligenter volo, hac ta men lege, ne vnquam inter nos pecuniæ mentio fiat. Nā ab amicis nil præter escu lenta & poculenta aliqua, vt est apud Iu risconsultos, accipere soleo. illi igitur ob tot beneficia obstrictus, ignorabā prorsus quo

quomodo me tot beneficentiæ vinculis
possem exolvere: quóque diutius hæc co-
gitabam, eo beneficia indies ab eo auge-
bantur, vt ne ære quidem meo toto illi ac-
ceptorum beneficiorum partem possem
assequi. Decreui accepta ab eo beneficia
in libellũ, tanquam in rationariũ coniice-
re, incipiens ab eo quo mihi opem tulit
die, vt qui me non esse soluendo cognosce-
bam, interdum quot & quanta deberem
cõsiderarem, vt amor saltem excrefceret
illi maxime debitus: ex quo libello excer-
pens potiora & maiora, volui ea ad te scri-
bere, vt tu, qui es non solum in mathema-
ticis optimus ratiocinator, sed beneficio-
rum etiam prudentissimus æstimator, col-
latis inter te accepti & expensi libris, quã-
tum debiti onus sustineam faciliẽ iudica-
re possis. Imprimis igitur quum grauissi-
mis, & acerbissimis podagræ & chiragræ
doloribus vrgerer per multos dies, neque
cõsueti prius medici auxilium experirer,
vocatus adfuit, & me vociferantem inue-
nit, & suo verborum lepore clamores com-
pescuit, & medicamine adhibito opẽ ipsius
illico tanquam alterius Aesculapij sensi:
idque non semel, sed quoties me ille atrox
dolor arripiebat, vt tantis malis liberatus
illis Ouidij versiculis soluere nodosam

AMATI LVSITANI

occinerim. Nouit nodosæ prudens & doctus Amatus & podagræ & chiragræ soluere cuncta mala. Aggressa deinde est me eo anno quædam periculosa, & vt medici dicunt, exquisita pleuritis, quæ homini sexagenario celerem, & omnino ineuitabilem minabatur interitum: cui repentino malo fissa intrepidè vena, sanguineq; ad vncias octo extracto opportunè & prudenter occurrit, meque intra paucos dies liberum & sanum reddens è Proserpinæ peculio recepit. Sequenti deinde anno post podagram penitus sublatam, ecce chiragra manû sinistram inuasit cum tam ingenti tumore, vt vix digiti viderentur, ne dicam officiis suis vti possent: hic verò miro medicinæ artificio ita tumore cum dolore (quod ego difficilimum, imò ἀδύνατον putabam) abstulit breuî, vt omnes qui viderant in stuporem adduxerit. Memini enim quum mihi sæpè diceret, ego hunc tumorem omnino auferam, & manû hanc tibi liberam cum digitis reddam, respondisse Deum solum id ex miraculo præstare posse: ita tumor occalluerat, & longa diuturnitate coaluerat. sed ille & promissa nõ credenti præstitit, & vera se dixisse exitu comprobauit. Nõ multos post menses omnes me simul catarrhi species cum

tenu i

tenni febre inuaserunt, atque tussi crebra
 vexabar, multosq; ea dies vexatus somnū
 nocte oculis meis videre non poterā: flue-
 bat humor quidam falsus à capite per na-
 res, fauces, vt eas intercludi timerem: qui
 tracheam, quā vocant, arteriam miserri-
 mē torquebat, deinde in pectus descende-
 bat, neq; febricula absistebat, imò in dies
 magis vires capiebat, totūq; fere annū cū
 illis symptomatis me infestabat. Amatus
 accessit, ac velut cum hydra dimicaturus
 pellendis his rheumatis se accinxit: quæ
 multis & variis medicamentis tandē ex-
 tinxit, ac depulit: liberq; his malis factus
 conualescere incipiebam, & è thoro diu-
 turno morbo leuatus surgebam: fuit id, si
 rectē memini, anno M. D. L. Deinde pau-
 cis interiectis mēsis occupauit me quæ-
 dam macies, & membrorum omnium in-
 firmitas, quæ me & facie deformauit, &
 toto corpore ita debilitauit, vt vix pedi-
 bus possem consistere, ne dicam ambu-
 lare. Nam quum pedem humi fistebam,
 statim me dolor quidam capitis pungens
 aggrediebatur, vt nihil magis cuperem
 quā sedere aut iacere: quam ille ægritu-
 dinē cernens, quum multa prius adhibuis-
 set medicamēta, neq; proficeret, decreuit
 decocto radicis cynē tāto obuiā ire malo,

AMATI LVSITANI

exhibiturus id mihi Aprili mense anni,
M. D. LII. Nunc autem optime Antoni,
quænam sit hæc radix, & quomodo inuen-
ta paucis accipe. Nam id me Amatus prius
docuerat, de qua radice extat ab illo tra-
ctatus editus, In orbis igitur noui nauiga-
tione Synarum regio nuper inuenta est, li-
cet olim cognita, de qua Ptolemæus cap.
3. septimi libri meminit, & Plinius, si ritè
recordor: In ea regione mons quidam est,
vel promontorium, quo Lusitani applicue-
runt, vnde radix illa à Sinaris cyna corru-
pto vocabulo est dicta. Ipse igitur ad hoc
decoctum tanquam ad sacram anchoram
confugi, à quo tamen ego abhorrebã: pri-
mùm quod per paucis esset cognitum, de-
inde propter ætatem timebam, ne mihi
maximè obesset, qui ea de re alios senes
periculum non fecisse cognoscerem: ipse
tamen me magis ad hoc decoctum adhor-
tabatur, sed fauit fortuna incepto: nã ne-
scio quo meo bono fato Armenius quidã
nomine Aligian de Tolchat mihi Anconæ
fit obuius, nam & si imbecillis pedibus, ali-
quando tamen domum exhibã latificandi
animum causa, mœror enim me magnus
domi capiebat, Ab illo igitur comiter sa-
lutatus, qui Italicam linguam callebat, re-
spondi humanissimè: is à me petiit, Num
medi

medicus essem, habebat enim sociū febris laborantē, cui dixi, Medico indigere me, neq; esse medicum: is statim me quo morbo laborarē interrogat: quumq; illi meā ægritudinem longo sermone aperirem, illico in huius radicis mentionem venit, & clamans ait felicem & beatum me fore, si semel illius decoctum capere possem: nesciebat enim in Italia venalem inueniri, & narrat mihi quo modo ipse neruorū contractione, & dolore capitis longo tempore laborasset, & quomodo in Indiā ad Sinarum regionē mercaturæ gratia exercendæ peruenisset: & quum solito grauius ægrotaret, ab incolis illius regionis, ut illam recentem, & illic nascentem experiretur, est adhortatus: ille dies quindecim illic mansit, frondes nunc, modò radicem ipsam deuorando, & præter ipsius spem, & præter eorum opinionem, qui cum eo illò nauigauerant, incolumis breui euasit: mihiq; nouem se ex eo tempore annos semper incolumem fuisse suo iureiurando confirmauit: redeo inde domum, dico hoc Amato, & me illi in omnibus parere esse paratum polliceor. Bonis igitur auspiciis an. M. D. C. C. II. April. mense radicis sinari decoctum, Deo Opt. Max. auspice capere incœpi, corpore per syrupos, deinde

AMATI LVSITANI

per pharmaca copiosissimè exinanito. Iubebat Amatus illius radices vnciam in tenuissimas bracteas cultro acutiss. incidi, & incisam in vrceū fictile cum aquæ fontanæ libris quindecim iniici, & prunis sine vlllo fumo admoueri, & quoadusq; fervebat donec octo libræ superessent: quo decocto per linū transmissio, summo mane decem illius decocti calidi vncias ebibe-
bam in patera, qua hausta bene cooper-
tus duas horas sudaturus quiescebam, ex-
perrectum verò famuli lineis calidisque
sudariis totum corpus copiosissimo sudo-
re, qui interdum totū lectum penetrarat,
abstergebāt. Mundatus igitur sudore pru-
denter ne quicquam aëris per poros sub-
intraret, indutus paulo post surgebam, &
in cubiculo me continebam, ac tandiū de-
ambulabam, quoad mihi prandium affer-
retur, quod erat quarta capi optimi pars
in secundo decocto illius radices cocta: nā
bractæ illæ radices primi decocti denuo
in totidem aquæ libris coquebātur, & ita
fiebat secundum decoctum, quod paraba-
tur, & ad capos elixandos, & quum opus
erat ad clysteria: in prædio erat panis nau-
ticus cum saccharo subactus, & deinde pa-
ne Martio volvebar: bibebam autem ex
eo decocto, quo in mane vsus fuerā, quan-
tum

tum libebat, & interdum vuas passas Corinthiacas edebam: à prandio verò ludis quibusdam me oblectabam, vel alicuius lepido amici sermone fruebar, quo tempore tuo suauissimo colloquio frui voluissem: nam mihi laborem, vt sæpe fecisti, leuasses. Hora deinde xxij. exutus thorum intrabam, & eandem pateram bibebam, & stragulis obuolutus vt in mane cōquiescebam horam vnam vel plus, & quantū poteram vt in mane sudabam, abstersus surgebā: interim cœna apportabatur quæ erat *ἀνέν νήews*, edebā vel pruna Damascena, vel vuas Corinthiacas, aut pyra assa cum saccharo, eodem quo in mane potu vsus & pane, aliquando amygdalas aut Martium panem vorabam. Decocti illius gustus qualis erat, si quæris, lac recens mihi bibere videbar, & ita post vnum diem asseruatum, vt lac, accessit: color est, quādo est bene decoctum, vini quod rubellū vocant, Gustu itaque suaue vtrunque decoctum erat, & visui delectabile: inter edendum & cœnandum potu utebar remissè calido, post cœnam altera vncia tenuissimè incidebatur, & in aquam coniecta ad sequentē lucem parabatur, & alligata illa hesterna vncia in panniculo lineo simul cū illa nouiter incisa, ne simul

AMATI LVSITANI

commiscerentur coquebatur, & aliquādo
 in minoris aquæ quantitate tertio coque-
 batur, cuius tibi radicis miraculū scribā.
 Ego enim qui duratam aluum per viginti
 annos habebam, & qui rarò sine clystere
 egerebam, nunc solo illo tertio, imò non-
 nunquam sexies radice eadem decoctā cū
 oleo paucō & sale magis mihi proficere
 videor, quā si sumpsissem pharmacum,
 ita omnes malos humores expello, quo
 clysteris genere etiam nunc felicissimè
 vtor, sed redeo ad priora: Hoc decocto
 xxiiij. diebus vsus fui, quo tempore duas
 radicis libras absumpsi, & ita totam cura-
 tionē absolui. Quid multis moror? post
 absumptam radicem cœpi optimè habe-
 re, nam somnus pene ablati rediit: quod
 comedo, nullā ventriculi difficultate be-
 ne concoquo: non tantum vt prius expuo,
 rediit vultus color, rediere amissæ vires, vt
 me breui ab orci faucibus ereptū cogno-
 uerim. vtebar tamen postea hac victus ra-
 tione, vinum eo decocto diluebam, & eo-
 dem carnes elixabantur, in sero carnibus
 paucissimis, aut nullis intercoenandū vte-
 bar, qua victus ratione per mensem ser-
 uata, amissā omnia recuperaui: quem
 quum multi antea deformatum, & pene
 perditū vidissent, tunc verò ita instauratū
mira:

mirabantur, & ita meo exemplo aliqui
idem decoctum cœpere. Ita igitur fanus
Dei optimi maximi beneficio & Amati
studio, bene valeo, & corporis officiis fa-
nus vtor salubriter, & posthac melius me
habiturum spero. Historiam non episto-
lam texui, neque eam legere grauaberis:
scripsi enim tū vt tibi meæ sanitatis cau-
sam planè redderem, tum vt virtus Amati
nostri dignosceretur, cuius commentaria
in Dioscoridem his diebus impressa è pre-
lo Scotti dudum prodire, in quibus suam
doctrinam latè post Hermolaum, Marcel-
lum, Vergilium & plerosque alios expli-
cuit. Nolo te meis vltius nugis obtun-
dere. Tu interea vale, & valetudini da
operam, teq; si placet, ad nos, vt te
fruamur, referto: noster Io. Bap.

Vicellinus tibi S. D. Va-

le iterum Ancenæ,

Idib. Februa.

M. D. LIII.

Z

AMATI LVSI-
TANI MEDICI,
CVRATIONVM
medicinalium suarum

Centuria IIII.

*De inflammatione iecinoris, cum tussi,
& sanguinis screatu, alijsq; sym-
ptomatis,*

CVRATIO R.



ILLIVS Berosij doctoris
magnifici, annos natus
duodecim, studio quum
deditus sit, totus scabiosus
est: nunc verò illi febris cō-
tinua quēdam superuenit,
pro qua leuanda, sanguinis vncie quinque
cubiti secta vena extractæ sunt: & vno vel
altero interiecto die pharmacum illi ex
rhabarbari infuso, cum cassiæ Aegyptiacę
flore propinatum. Cæterum post ebibi-
tum pharmacum, & conuenientē factam
euacuationem, vno vel altero interposito
die tussis ingens huic cū sanguinis screa-
tu, & iecinoris dolore superuenit. Nam
quando tussiebat, dolor ad iecur respon-
debat

debat, cum quibus febricitabat, & urinā
 albam & aquosam meiebat: quæ omnia
 inflammationem iecinoris gibbas partes
 comprehendentes, præcipue attestaban-
 tur. Diximus autē aliās, iecinoris gibbas
 partes cum thorace cōmunionem habere,
 veluti concauam cum stomacho & intesti-
 nis. hunc igitur ita malè affectum conspi-
 ciens, illico post alui excrementa per cly-
 sterem deposita, sanguinem ex ea vena
 quæ inter digitos anularem & minimum
 reperit extrahere feci, pondere vnciarum
 quinque: & syrupum hunc illi obtulimus,
 qui habet, *R.* Syrupi de cicorea simpli-
 ci vnciam vnam & mediā, aquarum endi-
 uiæ, cicoreæ, añ. vnciam vnam & mediam,
 misce, & bibat. Item iecori hoc applicitū
 fuit emplastrum, *R.* Farinæ hordei vn-
 cias tres, santalorū rubeorū vncias duas,
 rosarum rubeatarum vnciam vnam, olei ro-
 sati vncias tres, cum decocto endiuix &
 cicoreæ misce, fiat emplastrum, & iecori
 tepidum applicetur, & bis in die innoue-
 tur. Victus huic ptisana tantum erat se-
 mine melonis apparata: vel amygdalatū
 optimè concinnatum: potius verò aqua
 hordei. A sanguinis missione hic melius
 habuit, & post quatuor dies à febre immu-
 nis videbatur. Sed pedes illi tumere, cum

A M A T I L V S I T A N I

quibus lotium album adhuc excernebatur, quibus de causis syrupum hunc prædicti vice illi dedimus, & emplastrū quoque mutauimus. habet autem syrupus sic,

R. Syrupi de cicorea cum rhabarbaro vnciam vnam, de duabus radicibus vnciam mediam, aquarum cicoreæ, endiuix, buglossæ, añ. vnciam vnam. Misce, & tepidū bibat. Emplastrum verò admotum primi vice sic descriptum habet, *R.* Farinæ hordei vncias duas, rosarum, absinthii, añ. vnciam vnam, lupinorum vnciam mediam, camomillæ vnciam vnam & mediam, cū decocto cicoreæ & absinthij & camomillæ, fiat emplastrum, adiectis vnciis duabus olei absinthini, & altera rosacei: iis autem per triduum perseuerauit, in quibus vrina aliquantulum rubricare cœpit, & tunc perscripto syrupo, rhabarbari & agarici optimi nouiter in pastam redacti, vtriusque scriptulos duos adiecimus: & concinnè paratum pharmacum bibendū dedimus: quod parum retinuit, imò id vomuit, sed eo vtcunque egeffit, & qualia purgari opus erant, purgata sunt. Sed sequenti die pedes & crura magis intumuerunt, imò mentula, & testes inflati tunc comparuerunt: de qua re anxij, hinc inde causam scrutabamur. Caterum omnia hæc

hæc symptomata ex aquæ frigidæ multo potu, quam illi Aethiopissa quædam clàm dabat, euenisse assequuti sumus, qua abnegata breui sanitatem obtinuit. Porro post pharmacum prædictum huic puero pullus in prandio communis petroselini radicibus coctum concedeabamus: in cœna verò assum, sed in aurora ieiuno stomacho cōfectionis diarhodonis Aabbatis rotulum vnum vel alterum gustabat, ac, vt dixi, intra quatuordecim dies pancraticè habuit.

SCHOLIA.

Percurrit Aetius ex Galeno, sermone decimo suæ medicinae capite tertio, iecinoris inflammati exactè notas, & eius curationē, apud quē optimus medicus curiosè legere poterit: nos verò ea tantum signa & symptomata, quæ in nostro egrotante notauimus, & percepimus, signauimus: remediaq; quibus ipsum sanum reddidimus, memoriæ mandauimus. Ceterū suadet Galenus libro septimo Methodi medēdi, capite decimotertio, quòd ex vètriculo, & iecinore vitiat, non temerè euacuemus. Sed cum cautione id agamus, ne quid virtuti officiamus, qua de re libro decimotertio prædicti voluminis, capite vigesimo, repudiata aloë, in hoc casu aluū ducere mercuriali, aut vrtica, aut cartamo, aut aliquo taliū iubet. Itē suadet idē, imò in vniuersa sua doctrina

AMATI LVSITANI

inculcat, quod iecinoris cōcava pars semper purgari debet per intestina, gibba verò per renes & vrine vias, pro quo axioma intelligendo aduertendum duximus, quod vt eius prima pars vera est, videlicet pars concava iecinoris per intestina expurgari debet semper: ita altera non semper veritatem habet, Iecinoris gibba pars per vrinā euacuari debet: quia quando iecinoris gibbosa pars, quæ cum vena cava commercium habet, multo & vitioso humore referta fuerit, tunc per intestina inanitio fieri debet: si verò mediocri, per vrinarios meatus. Ita autem Galenus ipse hæc à nobis intelligenda fore libro septimo citati voluminis prope finem voluit inueniens, A figura verò, indicatio ipsius modi vacuandi excrementi suggeritur ad hunc modum: ventriculus vomitu deiectioneq; inanitur: intestina deiectione tantum, sicuti etiam iecinoris cava. Renes verò & vesica ac iecinoris gibba, si multo vitioso humore sunt referta, per deiectiones & pharmaca deiectoria (catoterica Græci vocant) expurgantur: si mediocri per vrinales meatus, Hæc Galenus: per quæ dicta lucida satis euadunt. Porro quum inflammatio iecinoris gibbas partem occupabat, puer hic utcunque egerbat excrementa quidem biliosa. Sed vrinam albam & percolatam meiebat: quæ omnia, quum hæc scribo, contraria in huius fratre puero quinque annorum, noto: cui iecur dolet, & ictericus fieri incipit, &

qua

quæ comedit, euomit: & si ea retinet in ventriculo, corrumpuntur, ex quibus rictus fumus æstuosiq; caliditatem extraneam arguētes conflurgunt, & oboriuntur: illi vrina crocea ad nigredinem tendens cernitur. Sed alius sua sponte non respōdet, sed balano, aut clismo irritata, quæ omnia concavas ipsius iecinoris partes affectas esse attestantur. Nam bilis portio, quæ ad intestina deriuari solebat, ad gibbas regurgitabat, & inde per vrinam pars excernebatur, vnde sterco album euad. bat, & à bile tinctum non videbatur: de qua re cum Februarij curationes attigerimus 1553. multa dicemus: eger verò, de quo agimus, Aug. mense egrotauit 1552. Ceterum iis iecinorosis vt mulsa & dulcia varia inimica sunt, quia breui in bilem abeunt, vt meminit Galenus libro vndecimo Methodi medendi, capite decimonono, ita quæ astringunt multum, vt malum punicum, & malum codoneum, huic precipue qui phlegmonē aut obstructionem in cauo uisceris habet, maximè nocent: vt idem docuit Galenus libro decimotertio Methodi medendi capite decimoquarto. Porro tradit Galenus citato lib. cap. decimotertio, Si iecur phlegmone infestatur, exquisitissimo victu est opus: & sequenti capite iis sic affectis ex cibis pijsanā concedit, vt quæ sine morsu deterget: ex pharmacis verò, oxymeli aqua mixtum: quæ de causa nos, vt vidistis, dicto ordine puerum hunc

AMATI LVSITANI

gubernauimus. Sed aduertendum duximus, quod Galenus libro decimo Methodi medendi capite quinto, in quo ordinem, quo egrotantes nutriendi sunt, prosequitur, inquit, Vnaq; salus pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam synanchicis, id est qui angina laborant, est ipsum virium robur, non secus verò & quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obsidet. Nam quod ad phlegmonem, quæ in iis est partibus, spectat minimè planè est cibandum, quo ad virium infirmitatem vtique sepè. Ita necessario aut vires resoluentur, aut phlegmone augebitur. Quibus in verbis suadet Galenus, quando phlegmone prædicta obsidet membra, & ager viribus constans est, tunc morbus vincitur, quia ager ipse absque pleniori victu naturam impediēte, perdurare potest: vnde natura tota circa morbum intenta cum facile vincit, & ager liberatur: rectè igitur iis sic affectis robur virium, vnicam salutem proditum est: Nam si cum prædictis affectionibus vires imbecilles esse contingat, agri maiori ex parte succumbunt, & moriuntur: quia quum imbecilles sint, cibo refici postulant: ad quem conficiendum natura diuertitur, & inde morbus tanquam author absque reo, veluti solus litigās breui vincit, & agrum in perniciē trahit. Porro tametsi Gale. promiscuè citato loco de phlegmone varias partes corporis occupante loquatur, vnde-
cimo tamen libro prædicti voluminis capite de-
cimo sep

ei mo septimo: in quo eos qui cataplasmatibus relaxantibus, & balneo ante vniuersalem corporis purgationem vtuntur, redarguit, suadet tenuiori victu cibandos esse eos, qui iecinoris & ventriculi phlegmone laborant, quàm qui pectoris inflammationibus, & vitiis cruciantur: ita enim citato loco ait: Neq; enim sicut in iecinore & ventriculo, ita hic quoq; hoc est in pectoris phlegmone tenuissimo victu est vtendum: in illis namque alimentum concoquitur, metus q; est ne ipsis phlegmone laborantibus, neque nutrimentum ritè concoquatur, & phlegmone augeatur: in pectus verò tantū alimenti iam cōcocti peruenit, quantum vni ipsi particula nutrienda satisfaciat.

De febre continua, cum symptomatis grauibus,

CV RATIO II.

Daniel Coductus vir sexaginta natus annos, optima temperatura, & cōpositione præditus, quum variis negotiis, & curis implicitus esset, de renū dolore conqueri cœpit: caput parum dolebat, sed non sitiebat, neque febrem se pati percipiebat: secundo die bolum sequentem deglutiuit, qui habet, *℞. Pulpæ à cassia nouiter extractæ vnciam vnā, diasebesten drachmas tres, misce, & saccharo ex-*

AMATI LVSITANI

cipiantur, & fiat bolus, quem duas horas ante cibum capiat, quo alius optimè respondit. Vesperi verò per vniuersum eius corpus calor intensus percipiebatur, què & ipse sentiebat, maximo cum colli & capitis dextræ partis dolore: tunc in nocte clyster hic iniectus est illi, *R.* Aquæ hordei libram vnā & mediam, olei rosati, violacei, añ. vncias duas, cassiæ extractæ vnciam vnā, vitelli oui numero vnū, sacchari rubri vnciam vnā, salis drachmā vnā, misce, fiat clyster, quo multa quoq; euacuata sunt: tunc in aurora renū dolor leuatus fuit, & capitis dolor oxyrhodino applicito euauit. Sed lingua cisa, & arida tunc apparuit, quæ sæpè canna curua abstergebatur, & psillij semine humectabatur: sed febris tunc iam intensa palam apparebat, ac ideo sanguinis missio per venæ basilicę sectionem in brachij curuatura ad vncias septem facta fuit, à qua illico syrupum hunc ebibit, *R.* Syrupi de succo acetosæ, de endiuia, de buglossa, añ. vnciam mediam, aquarum lactucæ, endiuia, acetosæ, buglossæ, añ. vnciam vnā, Misce, fiat syrupus, & cum albo oui clarificetur, & pauculo puluere santalorum citrinorum aromatizetur, & frigidum bibat instante canicula, in qua syropos frigidos fe

brien

brientibus concedimus, quemadmodum Galenus suas solebat portiones febricitantibus, & languentibus impartiri.

Quarto verò & quinto die sic satis aeger habebat, sexto pharmacum hoc ebibit, *℞*. Foliorum endiviæ, lactucæ, cicoreæ, ana. pugillum medium, florum borraginis, buglossi, violarum ana. drachmas duas, feminis acetosæ, lactucæ, ana. drachmam vnam & mediam, tamarindorum vnciam mediam, prunorum pinguium numero decem, omnia in libra vna aquæ fontis ad ignem fiat decoctio sufficiens, & coletur, tunc *℞*. Prædicti decocti vncias quinque, quibus adde mannæ electæ & pinguis vncias duas, rhabbari optimi drachmam vnam & mediam, diacatholiconis drachmas tres, diaphiniconis drachmam vnam, pulueris nostri contra vermes scriptulum vnũ, misce, & fiet haustus vnus: quem in aurora bibat, & desuper per horam vnam vel alteram dormiat: hoc verò multa per superiora & inferiora purgavit. Septimo sanguinis vnciæ duæ ferè per nares illi effluxere, in fine cuius diei optimè aeger sudavit, sed non vt eo febris levata fuerit quinimo, vt antea, grauis & aspera relicta est, quam ægrotus hic grauiter fe-

AMATI LVSITANI

rebat, imò sequentem noctem absque somno cum aliquali delirio transegit: quade causa ano hirudines duæ admotæ sunt, & scapulis fixæ cucurbitulæ siccæ: in auro ra verò ab ingesto saccharo rosaceo, & desuper ebibita aqua hordei, iterum in sudorem deuenit, & eum quidem priori copiosiore: à quo neque febris quoque imminuta fuit, sed in idem perseverabat, cum quibus virtus constabat, & in vrina hypostasis apparebat. Decimo ex se sexies egressa biliosa omnia, liquida, fœtida, & putida: tunc pulsus facti sunt parui & frequentes, ut homo tunc vita periclitaretur. Sed vespere facies reddita est bona, & pulsus bonus, & appetitus bonus. Undecimo vrina subalbida apparuit, & nocte antea non dormiuerat, imò delirauerat, & bis sua sponte egressa: tunc in gutture vlcera cōspecta sunt, à quibus delirium ortum trahebat. Cæterum quum remediis necessariis & sæpe à nobis inculcatis, contra ea uteremur, breui sanitati restituta fuere, & eger ex toto liber: diuersionibus tamen & frictionibus, pro eo iuuando, nostris monitis assistentes utebantur. Aër frigidus & humidus arte redditus erat, in quo ægrotus hic vigeat, & talis qualis à Galeno decimo Methodi medendi lib. capite octa

no desideratur, quem quivis medicus pa-
 rare nouit, præcipuè aquæ putealis frigi-
 dissimæ irrigationibus: & ex ea paratis
 fonticulis ex alto currentibus, multis fru-
 ticibus, & arborum frigidarum ramis cõ-
 fitis, tum aquæ rosaceæ & aceti rosacei ir-
 rorationibus, veluti multis aliis similibus.
 Cibus huic ptisana, vel amygdalatū, aut
 lactuæ cauliculi saccharo cõfecti, aut pru-
 na Damascena, aut cerasa acria saccharo
 incrustata, aut per se ad solem exiccata,
 prioribus diebus fuerunt. Postea verò ius
 pulli lactuca vel endiuia, aut acetosa, vel
 agresta alteratum, & ex eo parata pana-
 tella, dein ex pullo paratū contusum pti-
 sanæ mixtum, cui semina frigida, &
 quandoq; albi papaueris ad somnum con-
 ciliandum iniiciebantur: demum carnes
 ipsæ pullorum in cibi vsum illi venerunt:
 potus hordeacea cum iulepo violaceo,
 aut granatorum vino, per totum morbi
 decursum fuit: à vino verò meis monitis
 semper abstinuit, neque eo nisi post mor-
 bi vniuersalem declinationem vsus est.
 Cæterum omnia particularia percurrere,
 vt lectori tædiosum, ita ea tantum quæ
 nobis satis illi esse videntur, literis man-
 damus.

AMATI LVSITANI
De quodam qui frequenter sternuit,

CVRATIO III.



Arolus Vccilinus, iuuenis Florē
tinus, annos natus viginti, ita
frequentibus & assiduis sternu-
tamentis per interualla dedeco-
ratur, vt non solum ab ipsis sternutamen-
tis grauitur molestetur, sed etiā ob ea ho-
minum frequentiam fugiat. Is igitur tan-
tum malum à se reiicere cupiens ad me ve-
nit, qui tunc ita multum corā me sternuit,
vt morbi sui rationē reddere, etiam si tunc
posset, non esset opus. Ego igitur tantum
malum ac vitium iuuenem dedecorans
quum considero, remedium aliquod, quo li-
ber euadat, animo rimor. Sed quum hoc in-
quiro, ecce se mihi offert celebratissima,
sed breuis Hippocratis sententia aphorif-
mi quinquagesimi secūdi, lib. septimi Apho-
rismorum; vbi inquit, Sternutamentum fit
ex capite cerebro calefacto, aut humecta-
ta capitis parte inani. Aër enim intus con-
tentus extra erumpit: sonat autem, quoniā
per angustum ipsi est exitus. Hippocrates
his verbis, vt Galenus in enarratione no-
tat, de eo solo sternutamento agit, cuius
generis principium est, naturæ motus spi-
ritum flatuosum ex capite excernere appe-
tentis.

tentis: & eius duas causas assignat, calorem nimirum & humorem. Calor autem humorem rarefacit, & in flatus conuertit, quos subinde natura per sternutamentum expellit. Nam humor præter se solus in capite contentus sufficiens non est sternutamentum efficere, vt Galenus sapientissimè notat. Calor igitur dissoluens, & in humorem agens, ac ipsum in flatus vertens, sternutamentum facit, vt huic euenit iuueni, natura bilioso, sanguinem crassum admodum habenti: cuius vapores calidi ad caput delati sternutamenta gignunt, à quibus tandem infestatur, angustiat, & perturbatur iuuenis hic: quem, vt ab hoc morbo liberarem, ex iecoraria vena brachij dextri sanguinis uncias sex extrahere fecimus, ac epotis quinque refrigerantibus & sanguinem alterantibus syrupis leue quoddam pharmacum illi propinauimus: à quo sequenti die capite raso illi emplastrum hoc ad mouere faciebamus. *R.* Medullæ interioris cucurbitæ pistæ uncias tres, farinæ hordei uncias quatuor, portulacæ pugillum vnum, oua integra numero duo, cum oleo rosaceo & de salice, pauco adiecto aceto, in mortario misce, & fiat emplastrum. Item per nares oleum hoc attrahebatur, *R.* Olei rosarum, de

AMATI LVSITANI

eucurbita, de nymphaea, añ. vnciam mediam, Misce, & ex manu naribus attrahat æger, aut per eas iniiciantur, quibus & caput emplastrivice illinire optimū est. Sed interea dū hæc fiebāt: æger ex nymphaeæ floribus saccharum paratum conditum, conseruam dictam, singulis diebus singulas vncias ieiuno stomacho comedebat, ac optimo victu proposito sanus intra quindecim dies euasit.

SCHOLIA.

MEminit Aristoteles problemate quadragessimosexto libri vigesimi, quod quū quis paratus ad sternutationem, oculum fricuerit, sternutamentum in totum leuabit, aut saltem minuet, quia flatus in sternutamentum vēturus, frictione illa aut difflatur, aut ad oculum diuertitur. Aëtius verò capite vltimo libri sexti docet, se ab vtraque nasi parte iuxta magnos oculorum angulos venas sitas digitis compresseris, sternutationem sedabis. Item scire decet, quod qui coitui sunt dediti, & ab eo per dies aliquot abstinere, & mulierem pulchram contemplantur, aut vident, breui in sternutamenta labūtur: sed sternutamenta hæc coitus facile soluit, hoc enim consilio premunitus quidam, qui ad principem simul cum vxore stantem, accedebat, & saepe frequenti sternutamento dedecorabatur, liber euadebat. Paulus Aegineta lib. tertio sua medicinae capite

capite vigesimoquarto, ubi sternutamentum frequentius est, inquit, medicamento sedari debet: infunditur nardinum, vel rosaceum, vel glyce-
 laum: iam quæ odorem mouent, sternutamenta sedant, anisum, ocymum, stipula cōtusa: sed ante hæc omnia, caput desiccandum est smegmatis ex nitro & pumice factis, vel etiam asclepio vocato vtendum: & Constantini sapone, & sale Cap-
 padocico, & similibus. Aëtius verò libri sexti ca-
 pite vltimo, eadē ferè dixit, quibus & plura alia addidit, sed vterq; ocymum redundantes sternu-
 tationes sedare fatetur: quibus ex directo Dio-
 scorides lib. secundo De medica materia. ca. 129. contrariatur: quum dicat, Ocymū olfactu per na-
 res attractum copiosa excitat sternutamenta: po-
 test idem & ocymi herba, hæc ille, quæ ex directo
 Paulo, & Aëtio cōtrariatur. Auicēna verò hæc
 animaduertēs, secundo Canonis sui lib. capite De
 bedarungi, id est ocymo, inquit: Ocymum suo odo-
 re sternutationes mouet, proinde si sternutamēta
 à calore aut re pungente euenerint, ocymum fu-
 gere decet. Caterū si sternutamēta à re obstruē-
 te originem traxerint, tunc vt medicamēto sub-
 tiliante, & incidente, ac arcta & obstructa ape-
 riente vti expediētissimū erit. Caterū ab obstru-
 ctione sternutamenta irritari posse verè prodit
 Auicenna, & eius sequaces: præter quas cita-
 tas causas sternutamenta varijs alijs concitari
 nouimus, vt si quis pinis & festucis nares infe-

AMATI LVSITANI

stauerit, quoniam ex illis narium muscoli ad cō-
 cussionem & expulsionē stimulantur: item quan-
 do quum tussis spiritus deorsum veniens ad na-
 ris meatus pertingit, sternutamentum incitatur,
 id quod fortiter tussietibus quotidie euenire per-
 cipimus: non minus quæ cerebrū plus iusto pun-
 gunt, vel calfaciunt, vel quomodolibet irritant,
 sternutamēta prouocant, vt radij solares, piper,
 sinapis, euphorbium, castoreum, & similia. Por-
 rò Isach Israēlita ne ab hac chorea eliminetur,
 succum ocymi à proprietate sternutamēta seda-
 re scriptus mandauit: est autem Isach hic, idem
 autor, qui mutato nomine Aliabas dicitur, vt ex
 operibus constat.

De alopecia, hodie uerò & indubi-
 tato morbi Gallici signo,

CVRATIO IIII.



Vlier nobilis: quæ ad mare ha-
 bitat, pulchra siqua altera, ingē-
 ti febre correpta est, quam per
 integrū diem passa fuit: sequen-
 ti die rauca facta, syrupum ex capillo Ve-
 neris, & glycyrrhiza ebibit: tertio febris
 desit, sed paucis aliis interiectis diebus,
 alopecia, hoc est capillorum defluuium, vera
 & indubitata ad morbum Gallicum via,
 laborare cœpit: demum vt morbo Galli-
 co affecta, curata fuit, & ad sanitatem in-
 tegram

tegram reducta. Ceterum tametsi Galenus lib. vndecimo De simplicium medicamentorum facultatibus, capite de pinguedine & adipe, dicat verè esse proditum, vrsinum adipem alopecias curare, quo tamen probatiora medicamenta ipse habebat: nos huic vrsorū adipi multum pro hoc curando vitio, & pilis gignēdis tribuimus: experti enim sumus inter præcipua huic rei facientia remedia, adipem hunc primatum habere.

De febre continua,

CVRATIO V.



Acobus Beniuinisti, mercator Aulonensis, iuuenis viginti-quinque annorum, temperatura sanguineus, hoc eodem tempore, quum febre continua corripereetur, & lotium crassum & rubrum emitteret, illico illi interna cubiti secta fuit vena, & sanguinis vnciæ octo extractæ: in nocte non dormiuit, sed multa biliosa vomuit: in aurora verò sequentis diei ad eum reuersus, & febrientem ipsum inueni, & vt primo grauatum: tunc pulsus magnus illi erat, & capitis & costarum grauedo, quibus indiciis iterū totidem sanguinis vncias fluere feci, à qua sanguinis missione

A ij

AMATI LVSITANI

biliosa vomuit, multa crocea, & amara: post quę multum sudauit, & à febris immu- nis manfit: quarto verò post syruporum alterantium ebibitionem, & concoctionē in lotio apparentem: & febris ferè ex to- to expulsionem, pharmacum hoc propina- uimus: & pancreaticè habuit: pharmacum ita habet, ℞. Mannæ electæ vnciam vnā & mediam, syrupi rosati solutiui vncias duas, rhabarbari optimi drachmam vnā & mediam, in decocto florum & fructuū fiat haustus vnus, detur in aurora frigi- dus, & desuper paululum dormiat. Cæte- rum post horam pharmacum in totum vo- muit, sed quater egeffit, & optimè se va- lere dixit: sequentibus tamen sex diebus saccharum rosaceum Neapolitanum ieiū no stomacho comedit, & aquam endiuiaë stillatitiā desuper ebibit.

De uulnere in capite,

CVRATIO VI.



Ollius lanio à quodam milite in capite magno vulnere spata colubrina, siue vndulata dicta, vulneratus fuit: erat autem vul- nus magnum capitis lateri inflitum, sed meninges nō attingens, sequenti die præ- sente ipso vulnus rosario acuto secūdam

longit

longitudinem, veluti altero ex latere secundum crucem ad apertum fuit, & pericranium optimè cum rasorio, tum vnguibus à craneo separatum: tunc vt primò vulnus ipsum oui albo tractatum fuit. Cæterum quarto die cranium scalpro rasorio secundum vulneris longitudinem ad diploën vsque rasum fuit, neque enim ad inferiora, hoc est ad meninges deuenire opus fuit, quum vulnus penetrans non erat, tãetsi in similibus semper peruenire securius sit, quod vulnus tunc oleo omphacino curatum est: quo solo quidam per omnia vulneris tempora quousque coalesceret vti contendebat: sed nos illi obuiam fuimus, ac sequētibus octo vel decem diebus rosaceo oleo completo, oui vitello adiecto, vulnus curari fecimus: veluti postea mundificante siue abstergente medicamento, superimposito splenio ex vngueto gratia Dei, aut à betonica dicto, aut aureo chirurgico, & ultimo, ceratum ex betonica ad exiccandas humiditates, & eas absorbendas, ac caput roborandum, & cicatricem inducendam superimpositum ad aliquot dies mansit: in quibus ossicula quædam foras exiere: fuere autem curationis omnes dies xxxv. sed mente exciderat, q̃ ex brachio vulnus respiciente sanguinis

AMATI LVSITANI

uncias quinque primo die illi extra hi fecimus: simul, quod sexto ex cassia Aegyptiaca bolam purgatoriū deglutiuit: præbibitis syrupis frigidis corpus alterantibus, & caput respicientibus, vt rosaceo de endiuiâ, buglossâ, borragine & similibus.

De icteritia absque febre eueniente,

CVRATIO VII.



Erotij à Monte sancto filius, annos natus decē vigente æstu, non præcedente febre, aut morbo aliquo, totus palluit, & ictericus factus est: optimè comedebat, & bibebat, sed oris amaritudinem sentiebat: hic quum ex syrupo rosaceo solutiuo dicto, uncias tres cum totidem aquæ cicoreæ dilutas biberet, illico sanus euasit: egeffit autem optimè: sed quinque sequentibus diebus ex vnguento fantalino illi iecur illinebatur, & conditum ex acetosa ieiuno stomacho comedebat, & desuper parum aquæ endiuiæ bibebat.

De erysipelate phlegmonoso, faciem foedante,

CVRATIO VIII.

Vir



Ir ex monte Saranano, iuuenis
 fortis & potens erysipelate
 phlegmonoso vniuersam faciē
 apprehendente laborabat, ad
 quem accedens ipse insolitum ruborē il-
 lum cum maximo tumore faciē foedante
 considero, cum quo & febriebat, & dole-
 bat & angorem anxietatemque ferebat:
 quibus de causis protinus ex externa capi-
 tali dicta vena sanguinis uncias octo ex-
 trahere feci, & syrupū hūc ebibere, ℞. Sy-
 rupi nenupharini, de succo acetosē, rosati
 simplicis, añ. vnciam mediā, aquarū nenu-
 pharis, lactucae, portulacae, añ. vnciam vnā.
 Misce, & eū frigidū bibat, & singulis die-
 bus sequentibus iteret: porro tenui victus
 ordine instituto, & abstemio facto agro-
 tante, ac de alui correspondentia cura tra-
 bita, supra locum affectum sic primo im-
 positum fuit, ℞. Succī lactucae, umbili-
 ci Veneris, añ. partes æquales, portulacae
 partis vnus medium. Misce, & eo pannus
 lineus imbutus supra locum affectum im-
 ponatur, & saepe innouetur. Sunt autem
 erysipelati conuenientia refrigerantia, li-
 bro decimo quarto Methodi medendi, à
 Galeno citata: hec, solanum, semper viuū,
 portulaca, umbilicus Veneris, psylliū, al-
 tercū, lactuca, intybū, palustris lenticula,

A M A T I L V S I T A N I

cerata ex aqua admodum frigida alterata, & alia similia: quibus tu adde violariā, folia cucurbitæ, melonis, melongene, tam vulgaris quàm spinosæ. Verum enim verò erysipelas phlegmonosum non tantā exposcit pro sui curatione frigiditatē, quam purum erysipelas, & eo magis faciē occupans, & capitis partē. Periculū nanq; minatur si ab externis partibus ad internas transmutetur: quod Hippocrates libro sexto Aphorismorum monuit, quum dicit: Erysipelas si ab externis partibus ad internas transmutetur, malum: ab interioribus verò foras, bonū: animaduertāt igitur medici, ne quum erysipelas mēbrū externum & ignobile obsidens curare conantur, illud ad nobile internum refrigerantibus & propellentibus medicamentis intempestivē applicitis retrocedere faciant, frigidis autem & humidis potissimum erysipelas curari debet: ut Paulus ex Galeno dixit, & nos secunda Centuria memoriæ commendauimus. Quarto die bolum ex electario à psyllio composito & catholico, rhabbaro adiecto, & portunculæ diaphiniconis cum saccharo concinnatum deglutiuit, & inde melius habere cœpit: tunc verò quum faciei inflāmatio mitior reddita esset, ad emplastrum compositum

positum ex farina hordei, seminis lini, fœnugræci, adiecto ibisco, & camomillę pulvisculo, cum oleo rosaceo & camomillino, deuenimus: & tandem breui sanitatem adeptus est.

SCHOLIA.

Sanguinis missionem Paulus Aegineta libro quarta sue medicinae capite vigesimo primo, pro erysipellate curando admittit, Galenus verò eam abnegat libro decimoquarto Methodi medendi, tum libro artis curatiue ad Glauconē: veluti varijs alijs sue doctrinae locis, quos tu sic cōcilia: Paulus in erysipellate phlegmonose faciem & caput potissimum occupante sanguinis detractionem per venę sectionem admittit, Galenus verò in puro siue exquisito erysipellate, ab Auicenna spina dicto, eam abnegat: præcipuè sanguinis missionem, quam euacuationem appellamus: nam diuersuam, vt Gentilis tradit, siue parçā & retrahentē nō negat, imo liberè admittit, vt Centuria secūda, si rectè teneo, quoq; dixi.

De carbunculo, anthrace dicto, seu & maligno: palpebram oculi inferiorem præcipuè inficiente,

CV RATIO IX.



Vius focius, iuuenis fortissimus, obesus, carnosus & musculosus, carbonē in palpebra infe

AMATI LVSITANI

riori oculi sinistri tunc passus est adeò sæ-
uum & truculētum, vt mihi sæpe alios vi-
denti admirationi fuerit: ad hunc igitur
tertio die accedens eum sic lecto decum-
bentem comperio: habebat nanque (vt di-
xi) in palpebra sinistra pustulam, & eam
quidem magnā: sub qua crustaceū vlcus ni-
gricans postea (vt solet) comparuit: quo in
loco dolor grauis in egrum ipsum sæuiēs,
ac si vinculis fortiter particula constringe-
retur, erat: cum quibus febris, quæ semper
carbunculum comitari solet, continuò af-
fligebat. Illico igitur accersito vulnera-
rio, ex cephalica vena in brachij curuatu-
ra locum affectum respiciente sanguinis
vncias decem extrahi feci, & vesperi toti-
dem, ac supra locum affectū emplastrum
hoc applicitum fuit, &c. Arnoglossi, len-
tium, panis furnacei singulorum partes
æquales, in aqua coquantur, & in morta-
rio parum tractentur: cui adde scabiosæ
optimè pistæ alterā partem. misce, & su-
per carbonem admoue. Paulus verò in iis
non venenosis carbonibus ex malo puni-
co acido in aceto cocto, quoad tabuerit,
emplastrum superimponēdum iubet: cui
postea, vt solet, subscripsit Auicenna. Cæ-
terum post admotionem citati emplastrī
adiacentes partes ex vnguento defensiuo,
à bolo

à bolo Armeniaco dicto, præmunitæ sunt,
 linteolo ex oxycrato superimposito. Se-
 quenti die morbus non remittebatur, sed
 magis vrgebat: qua ratione iterum sanguis
 ex prædicto loco abunde fuit extractus,
 & locus affectus profundioribus vulnu-
 sculis scarificatus: ac tepente marina aqua
 lauatus: demum, vt multa paucis concludam,
 ita morbus increbruit, vt hominis caput
 cum facie gigantæum fuerit redditum adeo,
 vt ad plures dies non viderit: tunc cauteria
 quinque; actualia, hoc est candente ferramen-
 to illi imposita sunt: duo cultellaria dicta,
 secundum capitis longitudinem ad latera
 syncipitis, alterum rotundum: in medio syn-
 cipitis non procul à loco, vbi terminatur
 capilli ad craneum usque penetrans: alte-
 rum ad mandibulam affecti loci, alterum
 verò supra ipsum crustosum vlcus. Sed ne
 tibi duriusculum hoc factum esse videat-
 ur, audi: ex tribus locis in capite vltis,
 ichores citrini malignitatem præseferen-
 tes exiere, vt facile credere esset, huius ca-
 put in gangrenam breui venturum, nisi ita
 præsentaneo hoc remedio vteremur. se-
 quenti verò die & ichores exhibant aquei,
 citrini: sed caput & cætera membra de-
 tumefieri cœperunt, quod opus refri-
 gerantibus medicamentis nunquam ob-

AMATI LVSITANI

tinere potuimus: quanquam, vt verum fateamur, nimis frigida & constringētia in hoc casu periculosissima sunt remedia: quia à membro ignobili exteriori ad nobile internū morbi fit regressus: tum etiā ob alia quæ Galenus libro decimoquarto Methodi medendi, capite decimo meminit. Cæterum quum crusta illa picis modo nigricans extirpari, neque ex toto eradicari multis machinamentis fuerit possibile, scalpello incisorio ad viuā carnem eam resecare vsq; fecimus: ac postea paucis abstergentibus & consolidantibus medicamentis curari. Fuit autem fere vniuersa oculi inferior palpebra amota oculo ipso immuni remanente. Plures alios anthracibus malè affectos ægrotantes curauimus, sed qui non ita sæuiebāt carbones, sed inducias præstabant. Auicennæ consilio emplastrū hoc imponi supra ipsos carbones faciebamus, quod habet, *℞.* Ficuum pinguiū exiccatorū numero octo, fermenti vncias tres, salis drachmas tres. Omnia pistētur, & fiat emplastrum, & suprà imponatur: vel hoc aliud, Parisiēsis protritum & familiare, *℞.* Farinæ triticeæ vncias tres, mellis boni vncias tres, vitelli oui numero duos, salis drachmas tres. Misce, fiat emplastrum: quod veluti
primum

primum descriptum carbunculos matu-
 rat, & rumpit, & tandem ad medicamen-
 tum ex apio vulgari, mundificās dictum,
 deuenitur: sed, vt dixi, ij carbunculi leues
 sunt, in quibus hæc operantur. Solemus
 autem nos sæpè, quum primùm pustula
 aut pustulæ sunt disructæ, supra vlcus cru-
 stosum medicamēta præpotentia exiccan-
 tia imponere, ab eis, quæ concoquunt &
 pus mouent, fugiendo, vt suadet Galenus
 decimo quarto Methodi medendi, capite
 decimo: quoniam talia medicamenta par-
 ticulæ putredinem augent: sunt autē exic-
 cantia: cataplasma ex orobi farina oxy-
 melite exceptum, à Galeno libro secundo
 artis curatiuæ ad Glauconem capite septi-
 mo laudatū, aut ex ipsa orobi farina, & lo-
 lij, & fabarum cum oxymelite paratum,
 vt sequenti capite nono prædicti volumi-
 nis idem Galenus commēdat: vel trochi-
 scus Musæ medici antiquissimi, vel Andro-
 nis, vel Passionis, vel Polyidæ: qui trochi-
 sci, & medicamenta vt rectè suprā impo-
 nantur, sapa vel vino dulci, vel oximelite
 exquisitissimè triti, ad mediocrem crassi-
 tudinem veluti sordiū, reduci debent. In
 summa, si hæc non conferunt, & vlcus cū
 putredine incedit, ad Aegyptiacum vn-
 guentum deuenimus: quod si non iuuat,

AMATI LVSITANI

ad arsenicum vel calcem viuam, aut sandaracham confugimus: & demum ad candens ferramentum, semper supra scaras, crustas ab igne contractas dictas, butyrū recens, aut pinguedinem porcinam, aut ex oui vitello & pinguedine aliqua paratum vnguentū: aut ex prædictis & malua emplastrum concinnatum imponentes: veluti plura alia, quæ Galenus libro secundo artis curatiuæ ad Glauconē capite nono citat, & studiosus percurrere poterit. Cæterum vt lector trochiscorum memoratorum descriptiones facile habeat, placuit subiungere: & eo magis quia Galenus præcitatis locis & variis aliis eorum multam & crebram faciat mentionē. Ita igitur apud Galenum libro quinto De cōpositione medicamētorum *κατὰ γέννην*, horum pastillorum descriptiones habentur, in quibus adnotandum duxi quod in nonnullis codicibus, vice denarij decussatur * stella hæc, cuius vice drachma rectè imponitur. Verbi gratia: cytinorum pondo decem, quod est denarium pondo decem: sed tu clarius dicas, drachmas decem.

Pastillus Andronis.

Cytinorum, id est florū malignanati, denarium pondo decem, Aluminis scissilis, denarium pondo quatuor, chalcanthi, denarium

narium pondo duodecim, myrrhæ, denarium pondo quatuor, thuris, aristolochiæ, Gallæ immaturæ singulorum denarium pondo octo: & vt Eraclidi Tarentino placet, salis ammoniaci, denariū pondo quatuor: passio excipiantur.

Polyidæ sequens pastillus, sphragidis dictus.

Malicorij, id est corticis maligranati, denarium pondo sex, myrrhæ denariū pondo octo, aluminis scissilis denarium pondo quinque, thuris denarium pondo quatuor, chalcanti denarium pondo trium, fellis taurini denariū pondo sex: vino dulci excipiatur. Præter has verò Andronis & Polyidæ pastillorū descriptiones, Galenus alios quoq; pastillos illis tributos signauit.

Musæ medici antiqui remedium.

Aluminis scissi, aloes, myrrhæ, chalcanti, pondo denarium sex: croci, crocomagmatis, singulorū pondo denarium triū, cytini, pondo denariū quatuor: mulso ex falerno factō assumuntur, Caterum Galenus citato libro prope finem ad carbunculos exquisitissima quæque remedia inuestigans ita prodit: Carbunculus vlcus est crustam citò cum inflammatione totius partis circumdatæ valida faciens, vt & febres vehementes & extrema pericula

AMATI LVSITANI

inferat: quare ipsi crustæ valens medicamentum imponere oportet, & ex ijs quæ ad nomas supradicta sunt, conducere: circumpositas autem partes cataplasmatibus fouere: quæ æqualem vim occupant, vt repellant, & mediocriter refrigerent, & digerant. Verùm de cataplasmatibus in proprio libro dictum est: nunc Asclepiadis pharmaca percenſebimus.

Ad Carbunculos medicamēta ab Asclepiade prodita. Medicamentū Massaliotæ.

Hoc medicamētū ciuitati prodidi, quod carbunculi abundarent, & multos perderent. Chrysocollæ, nitri tosti, lapidis asij, arsenici, sandarachæ, misyos tosti, chaleitidis, aluminis scissi, diphrigis singulorū denarium pondo quatuor. Trita seorsum omnia simul in vas æreum Cyprium reponimus, dum vsus poscet, imponimus, apprimentes specilli latitudine, donec carbūculus nigrescat: deinde supra ponimus infrā scriptum viride, quod ita habet: thuris, æruginis rasæ, squamæ æris singulorū denarij pondo vnus, aluminis scissi obolos quatuor, salis ammoniaci obolos quatuor, ceræ denariū pondo septē, & obulos quatuor, resinæ pityinæ aridæ denarium pondo quindecim, olei veteris heminam vnā: arida in sole cum aceto teruntur, quæ

quæ liquefieri possunt, liquantur, & immittuntur, vbi rursus contuderis, assumēs vtitor, apud Demosthenē Massaliotam, qui pharmacum composuit, olei habet duas heminas.

SCHOLIA.

Carbunculus, Græcis ἀνθράξ dictus, à sanguine supra modum efferuescente, exassato ve fit: vnde Galenus libro secundo De differentiis februm capite nono inquit: Si sanguis supra modum assetur, pars quidem eius subtilior ac pinguior omnino in flavam convertitur bilem: quæ autem crassior, in atram: quod ex iis tumoribus qui carbunculi appellantur, contingit: nam & in his ex sanguine supra modum efferuescente, ad atræ bilis humorem fit transmutatio: ita autem hoc loco accipi volo atræ bilis humorem, vt qui nondum exquisitè in atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit cōfinio constitutus. Caterùm carbunculis afflicti necessariò febricitant, & in multa mala incidunt: quo factū est, sic afflicti summa diligētia curari debeant, præcipuè euacuatione per sanguinis missionem ex vena quæ directè locum affectum respicit: & ea quidem ad animi defectionē vsque, modo nihil obstet, vt commendat Galenus libris citatis Methodi medendi, & artis curatiuæ ad Glauconē. Victus ratio parca sit decet ad frigidū declinans: veluti syrupi alterantes, ex nymphaea: dictus ro-

AMATI LVSITANI

saceus simplex, de cicorea, de acetositate citri, de acetositate limonis, de succo acetosæ, oxyssacchara, syrupus de ribibus, & similes, qui in hoc casu rectè admitti possunt, post quos pharmacū purgatorium vnum vel alterum damus, secundum virtutis robur & temporis constitutionem. Qui enim tempore pestilenti pullulant carbunculi, ij pestiferi sunt secum animi deliquium afferentes, cordis tremorem, appetentiæ prostrationem, vomitum, nauseam, febrem pestilentem & delirium: pro quibus curandis medici scopus eò dirigi debet, vt virium robur seruetur, & venenum extrà mittatur, cū emplastris, tum etiam cucurbitulis & variis aliis attrahentibus remediis. Sed vnum decet auertere: quòd sanguinis missio semper fieri debet ex loco abscessum respiciente: verbi gratia: si in capite aut ceruice, vel retro aures tumor fuerit, externa cubiti vena humeralis vel cephalica dicta, incidenda est: quòd si inflammatio vrgeat interius, sub lingua etiam vene post illas aperiri debent: quòd si verò intermedijs partibus à ceruice ad vsq; naturalia tumor proruperit, iecoraria, vel communis, si illa non appareat, incidi debet: At si malum inguina obse derit, aut loca illis vicina, tunc vena intalo pedis saphena dicta, præcidi debet: & eo magis si mulier fuerit.

De urinae suppressione,

C. V. R.

CVRATIO X.



Ver illius qui ad hortum propè murū habitat, in vrinæ omnimodam suppressionem devenit, adeò vt eius venter tumidus & eleuatus videretur, ex quibus puer ipse in vitæ periculum inciderat: ad quem vocatus ipse hinc inde inquirō vnde morbus originem fortè trahere potuerit, tandem post longam inuestigationem inuenio puerum hunc prope puteum diuersari, & pedes inde ex aqua madefactos contraxisse: quo audito deprehendo à frigiditate aquæ illius, humorem aliquem inter collum vesicæ & pudendum contentum, concretū esse: vnde vrinæ exitus impediabatur, qui & sola frigiditate fieri poterat, non interueniente humore aliquo. Proinde contra morbum sic ordior,

℞. Parietariam oleo frixam, & eam calidam ad pectinem superimponere, vel inter anum & pudenda, vrinam enim cit: vel cepam excauatam accipito, in quā infundito oleum anethinū, vel commune, & ad cineres calidos, quoad tabescat, finito, & pistam calidam supra prædicta loca imposito. Alliorum & ceparum restis minutim cæsa, & oleo frixa, ac admota iuuat, oleum lilinū idem præstat. Sed puer

AMATI LVSITANI

hic quū multa essent tentata, ex oleo scor-
pionum inunctus multa minxit, & liber
euasit. Radix meu oleo cocta, & pectini
applicita vrinam pueris vnice prouocat,
familiaris autem radix meu hodie officii-
nis aromatariis totius Italiae est. Oua fri-
xa & calida frixorijs latitudine inferiori
ventri admota medici Longobardi pro
consequenda opera ista vsurpant. Multa
& varia, quæ opus hoc conficere solent,
medicamenta consulto prætermittimus,
vt eringij decoctum, tam veri & aroma-
tici, quàm vulgaris & cōmunis, quod her-
barij Itali frequenter vendunt, & ex eo
cum melle idiotæ conditum parant, vi-
ctui non ingratum: apij varia genera, li-
thospermon, phalaris herba, & eius semē
hodie milium solis dictum, saxifraga, san-
guis hircinus, lapis Iudaicus: & alia ferè
sexcenta, quæ tam per os ebibita, quàm
extra applicita, operantur.

De pituita viscida, in uentriculi cavitate congesta,

CVRATIO XI.



Argarella Scallia mulier bi-
liosa siqua altera, per interual-
la multam pituitam viscidam
& tenacem in uentriculi caui-
tate

tate aggerabat, à qua dolorem, & animi
& corporis perturbationem cōtrahebat:
ad eam igitur ipse vocatus, videns eam ad
vomitum pronam, per quem sæpè pitui-
tam hanc emittere solebat, sic orsus sum,

℞. Seminis raphani, anethi, añ. vnciam
vnam. In libris duabus vini dulcis fiat de-
coctio sufficiens, facta colatura, adde aga-
rici boni drachnam mediam, oxymelitis
vnciam vnam & mediam: Misce, fiat vo-
mitorium: quo multum prædictæ pituitæ
euomuit: tunc verò vitu in ordinē dispo-
sito calido & sicco, extenuante & pituitā
incidente, syropos hos illi propinauimus,

℞. Oxymelitis simplicis vnciā vnam
& mediā, decoctionis hyssopi, maioranæ,
seminis anisi vncias tres, misce, & octies
vel decies ieiuno stomacho bibat: præ-
parata verò & extenuata materia bolum
hunc deglutiuit. ℞. Specierum hieræ
Galenī, agarici optimi, añ. drachmā vnā,
rhabarbari electi scriptulos duos, diaphi-
niconis vnciam mediam, cum saccharo
misce, fiat bolus, detur in aurora, vt decet,
deglutiendus: quo, vt opuserat, purgata est.
Cæterum quum rectius valeret, sed nō ex
toto morbus eradicatus esset, quia viæ
aliquantulum obstructæ videbantur, sic
perscripsimus, ℞. Radicum apij, fœni-

AMATI LVSITANI

culi, petroselinū, rusci, singularum à corde
interiori mundatarum, vnciam mediam,
calamū aromatici, cinnamomi, añ. drach-
mas tres. herbarum absinthij, hyssopi, pu-
legij, origani, añ. pugillum vnum, corti-
cum myrobalanorū chebulorum, embli-
corum, ana. drachmas duas, vix passæ vn-
cias duas, seminis anisi, fœniculi, ana. dra-
chmam vnam & mediā, in libris septem
aquæ fiat decoctio ad cōsumptionem ter-
tiæ partis, facta colatura adde oxymeli-
tis compositi vncias tres, mellis rosacei
colatitij vncias duas, Misce, fiat apoze-
ma, vel, vt aiunt, iulep longum, & albu-
mine oui clarificetur, & cū speciebus aro-
matici rosati aromatizetur, & singulis
diebus in aurora singulas quinque vncias
eius ebibat: ex cuius potu humor satis in-
cisus & extenuatus fuit, & viæ ac meatus
satis aperti & reſerati: tunc catapotia hæc
pro eo deponendo deglutiuit, *℞.* Pilu-
larū de hiera cū agarico scriptulos duos,
stomachicarum drachmam mediam, dia-
gridij grana tria, cū syrupo de absinthio,
formantur pilule quinque, in aurentur, ca-
piat quarta hora ante diem, & dormiat:
his enim quæ purgari debuerant, purgata
sunt. Cæterum exterius ventriculus robo-
ratur oleo nardino, vel absinthino, ma-
stich

stichino, de mentha, vel altero iis simili, per se solo vel aromatis mixto, adiecto labdano odorifero, resina & cera, prout emplastrum vel vnguentum parare decernebamus: sed elapsis multis diebus, post horum usum culcitram ex aromatis semiplenam & serico fillo interceptam ventriculo admovebat, quam semper ac maximum pro stomacho roborando antidotum gestabat: quo in tempore ieiuno stomacho conseruam ex floribus roris marini, quam seplasiariis dianthos appellatur, comedeat, vel ex floribus betonicæ, aut saluiæ paratam: quibus omnibus delicatior, & cordialior habetur ea conserua quam ex floribus arantiorum præparatur, quarum conseruarum vice, quandoque electarij diapiperonis drachmam vnam vel alteram deglutiebat: aut electarij de cinnamomo, aut diagalangæ, aut diamoschi, aut zingiberis conditi, aut aromatici rosati, aut diambrae, aut diacymini: sed quum mulier hæc diues esset, preciosa, & sumptuosa medicamenta illi describebamus: decreueramus autem nos, si iis non rectè valeret, ad thermarum aquas eam mittere: quarum usus Paulus Aegineta libro quarto suæ medicinæ pro curanda elephantiasi meminit. Caterum quum optimè

AMATI LVSITANI

& basilicè iis citatis habuit, cætera respuit.

De fluore muliebri, uteri

ῥευματισμῶ dicto,

CVRATIO XII.



Vius filia puella annos nata octodecim, quum eius sororium repenti ex apoplexia emortuū vidisset, illico in syncopim lapsa est, pro qua ab hoc tam graui symptomate recuperanda: mulieres assistentes multa machinatae sunt, inter quæ cucurbitulae femoribus applicitæ recensentur. Cæterum ab hac afflictione leuata puella, intra biduum per vteri os illi sanguis viuus effluere cœpit, qui succedente tempore multus fluxit, rubricans semper tamen, quem mulieres ob cucurbitulas femoribus affixas originem traxisse contēdebant, quia vteri vascula plus iusto laxata erant. Ad hanc igitur vocati nos ex brachij iccoraria vena sanguinis uncias sex illi educi illico fecimus, & ad mamas cucurbitulae sunt affixae: quia Galeno teste libro decimotertio Methodi medendi capite decimonono, ad mamillas cucurbitulas imponimus, quum sanguis ex vtero profluit, defixo maximè in ipsis communibus

nibus pectoris & vteri vasis earum ore:
 & latius libello De cucurbitulis & reuul-
 sione, quæ antea Hippocrates libro quin-
 to Aphorism. aphor. quinquagesimo paucis
 iis verbis dixerat: Mulieri si vis menstrua
 cōhibere, cucurbitulam quàm maximam
 ad mammas appone: neque tantum iis vfi
 sumus, sed frictionibus, ligaturis, & auer-
 sionibus, à partibus inferioribus ad su-
 periores. Sed quæ per os sumebat, morbo
 diuturno facto, & per pharmaca vniuerso
 corpore repurgato, ea erant quæ lotium
 ciebant, tum etiam quæ vim exiccandi &
 constringendi habebant medicamenta:
 quorum syluam centuriis prioribus pro-
 secuti satis sumus. Sed puella hæc post
 multa & varia remedia, quibus per annū
 integrum vsa est, hoc vno sana est reddi-
 ta, neq; amplius in hanc fœdam affectio-
 nem recidit: habet autem remedium sic,
 oui vitellum recentem aqua rosacea exce-
 ptum ieiuno stomacho sorbebat, & intra
 quindecim dies sana & libera euasit. Cæ-
 terum album oui prædicta aqua rosacea
 cōcussum & ieiuno stomacho exhibitum,
 non solum ad album fluorem facere, sed
 gonorrhæam sanare, satis sumus experti,
 ex quo ab albo fluore socrus Petrusij Ber-
 gomatis annos nata quinquaginta, sana-

AMATI LVSITANI

ta est: veluti mulier Veneta, quæ ad hor-
torum portam habitat, sed hæc mastichis
parum in albo oui ponebat: plures verò
alias ex semine cydoneorū in iure deglu-
tito, sanatas obseruauimus.

SCHOLIA.

Dicitur morbus hic muliebris fluor, aut vte-
ri fluxus, qui multū ab immoderata men-
sium purgatione differt, vnde Paulus Aegineta
doctè admodum libro tertio sue medicine seor-
sum de vnaquaque dicta affectione agit, vt ca-
pite sexagesimo secundo, & sexagesimo tertio præ-
dicti libri videre quis poterit: est autem mulie-
bris fluor, Paulo citato loco teste, vteri deflu-
xus, per quem vniuersum expurgatur corpus.
Vnde Galenus libro sexto De locis affectis capi-
te quinto dixit, Muliebris fluor accidit vtero
haudquaquā male affecto, quum videlicet vni-
uersum corpus per ipsum purgatur: in hoc itaq;
fluore humor in toto redundans corpore, qui ma-
gna ex parte serosus & aquosus est, interdum
etiam candidus aut pallidus, quandoq; verò vi-
ridus sanguineus vacuatur, veluti à vena secta
extrahi solet: sed tunc ne quedam in vulua ero-
sio sit excitata, suadet Paulus. Ceterū ex hoc
muliebri fluore Galenus vxorem Boethi curauit
premissa purgatione aquam ducente, cum deco-
cto asari & apij, vt libro De præcognitione le-
gitur.

De

*De symptomatis ex plenitudine ad
uasa dicta, simulq; multo semine ge-
nitali abundante, obortis,*

CVRATIO XIII.



Vius soror, mulier vidua, iuue-
nis venusta & bene compacta,
grauatione cum venarū & alio-
rum vasculorum distentione,
per vniuersum corpus sentiebat, quæ gra-
uedo siue pondus ex repletionem siue pleni-
tudine ad vasa (vt ego puto) eueniebat,
quum sanguis sua multitudine venas, ar-
terias, & cætera vascula distenderet, in al-
tumq; attolleret, cum quibus rubor nō so-
litus aderat: ex qua sanguinis multitu-
dine multum genitalis feminis (vt fieri
solet) quoque coaceruabatur, vnde vni-
uersi corporis pondus siue grauitas, fasti-
dium, suspiria, anxietas, halyces, &
pandiculationes oriebantur, pro quibus
deponendis ex pedis vna vel altera ve-
na illi sanguis copiosè extrahebatur,
& ea victu parco utebatur, & eo quidem
frigido: quinetiam abstemia tunc per-
seuerabat, & vini vice frigidam bibebat
aquam. Cæterum quū ad aliquot dies me-
lius haberet, postea in easdem affectiones

AMATI LVSITANI

recidebat, pro quibus penitus tollendis
pessi ex mercuriali herba, aut fabina, pu-
legio, vel origano, aut nepitha, aut anti-
doto Mythridatico, vel theriaca, aut tere-
benthina parati, ab obstetricibus per os
vteri illi immittebantur. Sed quum quo-
que parum iuuarent, vt nuberet cōsului:
nam Venerem viduis similibus salubrem
esse dixit Galenus libro Artis medica-
lis capite 81. sed clarius libro sexto De lo-
cis affectis capite quinto.

SCHOLIA.

EX plenitudine, quæ ad vasa dicitur, vniuer-
sa dicta symptomata originem trahebant:
vnde scire licet, quod plenitudo duplex dicitur,
altera ad vasa, altera verò ad robur, siue vires.
Plenitudo ad vasa duplex habetur, quæ in vnâ
vertitur, & pro vna tantum reputari debet: nã
altera est, quando humores quatuor ex æquo ad-
aucti sunt: altera verò quum sanguis solus abun-
dat, quæ cum priori coincidit, quum fieri nequit
vt sanguis abundet in venis, quin ceteri humo-
res cum eo quoque crescant: quum igitur sanguis
per se, aut humores quatuor ex æquo aucti fue-
rint, & venas & arterias distenderint, & eas
tumentes fecerint, & ruborem insolitum creau-
erint, & pulsum magnitudinem, & corporis
grauitatem induxerint, tunc plenitudinem se-
cund

cundum vasorum capacitatem vigere dicendum est, quæ sanguinis missione copiosa curari solet. Plenitudo ad robur siue ad vires, ea dicitur quæ vires prægrauat, vel potius quàm virtus nõ operatur pro obiecti ratione, verbi gratia, contineatur pituita optima in ventriculo iuuenis alicuius in pauca quantitate, non eam tamen ventriculi iuuenilis facultas alteratrix, siue concoctrix virtus dicta, alterare, aut concoquere potest. nõ quidem pituitæ ratione, quia pauca & bona, vt faciliè à quouis alio mediocriter disposito ventriculo alteraretur, & gubernaretur, sed ventriculi potius imbecillitatis causa, vnde claret plethoram & cacochymiam, quia vires grauant, plenitudines ad vires dici posse, non tamen econtra. vt ex exemplo à nobis proposito elicitur. Caterùm hæc plenitudo ad vires sola virium roboratione curatur. Cacochymia verò ea dicitur plenitudo, quotiescunque vnus humor, vel duo aut tres sua quantitate peccant, vnde cacochymia humorum vitium dicitur. Curatur autè cacochymia purgatione humori superanti accommodata. In summa plenitudo aut est in omnibus humoribus ex æquo, aut in sanguine, & tunc plethora vel plenitudo ad vasa dicitur. Si verò in vno humore vel duobus aut tribus fuerit, *λενωχυμία*, id est humoris vitium nuncupatur, vt ex Galeno libro quarto, & decimotertio Methodi medendi, & aphorismo decimoseptimo libri secundi Aphorismorum, &

AMATI LVSITANI

libro De plenitudine perdifficili & confuso, desumitur. Caterum ex abundantia ciborum optimorum sanguinis optimi multitudo in corpore bene disposito gigni solet, à quo & seminis genitalis multum oritur: quum semen genitale sanguinis in succum (gluten dictum) versi portio sit, quod ab vniuerso decedit corpore, vt libris De semine legitur, & per venas paruas & minimas ad cavaam & arterias (attrahentibus vasis seminarijs & testiculis) venit, & per quatuor vasa, duas venas & totidem arterias ad testiculos deriuatur, in quibus colorem & perfectionem recipit, & inde postea ex epididymide vasa duo nascentia semen ad pudendum efferunt, quæ vasa varicosa, paraïtata appellantur, & iuxta originem testiculum contingunt, non tamen ex eo procreantur. Caterum in feminis quatuor quoque vasa reperiuntur: per quæ & alia quomodo ad matricem semen deferatur legit Gal. libro De semine secundo, & decimoquarto De vsu partium.

De scabie & alopecia,

CVRATIO XIII.



Imon prædictarum frater, iuuenis septemdecim annorum, temperatura sanguineus, hoc eodem tempore caput dolebat, & scabiæ cum nonnullis papulis patiebatur: non febricitabat, sed quandoque calorem præ-

ter-

ternaturalem per vniuersum corpus sentiebat: pro quibus leuandis affectionibus præsens ipse omnia considero, sed magis æstiuale tempus, quod tunc maximè vige-
bat, & in eo à potentibus abstinemus purgationibus monemur, proinde leuioribus quibusdam medicamentis à nobis tractatus iuuenis melius habuit. Cæterū elapsis nonnullis mensibus hic in capite pustulas passus est, à quo & capilli defluere cœperunt: cui malo occurrentes nos, considerātes vtique iuuenem hunc milites morbi Gallici intrasse, illico catapotiiis ex nitro Alexandri eum purgauimus: ac nonnullis iteratis decoctis materiam ad euacuationem parantibus, iterum eum per prædicta à nitro catapotia purgauimus, ac tandem ad guayaci decocti potū eam traximus, quo per viginti dies vsus est. Sed antea, vt securus ab alopecia euaderet, per apophlegmantia, & ea quæ per nares iniiciuntur medicamenta, caput purgauimus: dein rasura per nouaculam facta ad applicationē medicamentorum discussoriorum deuenimus, quibus vitiatus humor in cute euacuatur, & ita habet, *℞.* Amygdalarum amararum cum suis corticibus crematarum, radicum cannarum vstarum, añ. partes æquales, subtiliter puluerizetur, & cū

A M A T I L V S I T A N I

adipe vrsino excipiantur, & asperiori lin-
teolo confrecto capite, illine: iis enim præ-
dicto tēpore iuuenis hic sanus euasit, quia
affectio hæc non admodum grauis nec in-
ueterata erat. Galenus verò libro primo
De compositione medicamentorum per
loca, contra profluuium capillorum, & pi-
lorum, hoc summopere laudat remedium,
dicens: Hæc quæ sequitur compositio om-
nes vi sua præcellit, faciens item ad pro-
fluuium capillorum, cum oleo aut vnguē-
to dissoluta, facit & ad rarescentes in pri-
cipio capillos, & in caluitiem prolabētes,
estq; omnino admirabilis, Muriū dome-
sticorum vstorum, partem vnā, pannicu-
li ampelini, id est linei vsti partem vnā,
adipis vrsini partem vnā, medullæ cerui-
næ partem vnā, corticis calami partem
vnā, hæc omnia arida læuigentur, & suf-
ficiēti melle admixto ad crassitudinem
mellis redigantur, indeq; adeps & medul-
la liquefacta addantur, & pharmacū ipsum
in æream pyxidem reponatur: ex eóq; alo-
pecia, donec capillos producat, defricetur:
similiter autem & proflui capilli quotidie
ex eo illinantur. Cæterum simplicia medi-
camenta ad alopeciam facientia, hæc præ-
cipua sunt, ex tabella Dioscoridis decer-
pta, Arundo, iuglans, auellana, erinaceus
terrest

terrestris, hippocâpus, ranæ, locustæ, adeps, fimum, raphanus, beta, cæpe, milium, sinapi, cyclaminus, asphodelus, barrachion, myosotis, nymphaea, cynoglosson, adianton, thapsia, ærugo ferri, sandaracha, halcyonium. cotes, cinis vngularum caprarum, quibus nos addimus apes, muscas, muscerdam, & mel ex quibus confici possunt fomenta, vnguenta, & inunctiones: quibus si medic⁹ rationalis, vt decet, ritè, probè & opportunè vsus fuerit, certa salus ægrotantibus eueniet: quia vt nosti, & Galenus ex Herophilo tradit libro sexto De composi. med. secundum locos capite tertio, medicamenta per se nihil sunt, & ipsa Dei manus existimantur: nihil sunt, quum ipsis non rectè, vt decet, medicus vtitur: & manus Dei existimantur, si, vt decet, rectè & suo tempore eisdem vtatur.

SCHOLIA.

Quomodo verò alopecia, & illi similia vitia curari debeant, docuit Galenus libro quartodecimo Methodi medendi, quæ pro coronide ita habent. Porro quemadmodum in sinuosis ulceribus generatio carnis, sic in capite & palpebris productio pilorum opus natura existit. Et enim ex succis, qui per cutim transpirant, quod limosum est, id pilosum à principio gignit, tū de

AMATI LVSITANI

cetero veluti succrescendo auget: hoc igitur quoties vel prorsus periit, vel redditum est vitiosum, toties pilos corrumpi est necesse. Corruptuntur namq; & stirpes ipsæ duplici de causa: aliâs nutriente succo destituta, aliâs non idoneo vsa, ac prorsus perditio quidē eo qui pilos alat succo, caluities oritur: eodem vitiato, ophiafes & alopecia proueniunt, in quibus & inhibere quod influit, & absumere & digerere, quod iam occupauit languentem locum, conueniet. Ergo ceu in vlcerebus illis purgationem nocentis succi primum adhibuisti, eodem modo in pilis ipsis ab hac primū exordienda curatio est: scilicet æstimato prius cutis colore, cuius cernis corruptos pilos. Nam si is albidior quā pro naturæ habitu sit, pituitosi humoris purgationem molieris: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationem, non secus quā si nigrior cōspicitur, quæ nigram detrahunt bilem offeres. Quum autem iam planè purum ex purgatione corpus existimas, eum qui in cute continetur humorem digerentibus medicamentis discuties: sic tamen vt in his caueas ne ad eò calida acriâque admoueas, vt cutis exulceretur. Quinetiam ea quæ valenter siccant, cauere conueniet, ne videlicet cum vitiato humore vtilem etiam absumas, & cetera quæ multum huic rei faciunt, & consulto prætermittimus: quæ ferè eadem sunt cum iis quæ apud ipsum libro primo De comp. med. secundum loca leguntur, quum de alopecia, cal-

nitie

nitie, & ophiasis agit, quo in capite adolescentē alopecia laborantem, & fungis se reficientem à Galeno curatum, notare est, quum eum in quinque diebus bis ex hiera cum colocynthide parata purgavit, prima purgatiōe quatuor ex ea drachmis, in secunda quinque exhibitis, cui antea catapotia vndecim ex aloë composita ciceris magnitudinem habētia exhibuerat. Ceterū tinea morbum, Græcorum ophiasim esse quidam contentiosè opinabatur: sed rem non ita se habere, vel ex hoc satis manifestum euadit, quia Galenus ophiasim morbum eundem cum alopecia esse, à serpentēque nomen traxisse cui pars capitis denudata cernitur, ait, vnde Arabes & eorum affecla, morbum hunc tyriam vocant: quia hac voce omnes serpentes quandoque viperas intelligunt: vt aliās 2. Centuria ad reuerendissimum Hippolytum Estensem Ferrarię am-
 lissimum Cardinalem, quum theriacos pastillos examinare, dixi. Secūdo, quia ophiasis, vt Paulus ait, & Celsus primo dixit, ab occipitio incipit, neque duorum digitorum latitudinem excedit. Est igitur tinea sic ab Aliabate affectio dicta, apud Auicennam saphatum, vt Fen. septimi libri quarti tract. tertij capite primo deprehenditur, quę inter Græcorum achores & cerias adnumerari debet, vnde Mesue in sua praxi cap. de safato remedium ex charta combusta ex Galeni autoritate citat, quo remedio Galenus achores

AMATI LVSITANI

exulceratos curare solebat, vt proprio capite de
achoribus legitur, meminisse tamen oportet, pro
tinea & ophiasis, & antiqua alopecia curatio-
ne, ne medicus in medicamentorum topicorum
calidorum applicatione plus iusto liberalis sit,
quum ex potentibus, & nimis potentia calidis
medicamentis cutis aliquando exasperatur, exul-
ceratur & quodam modo comburitur: vt suadet
Galenus praedicto De compositione medicamen-
torum per loca libro.

De muliere morbo Gallico olim la-
borante, & nunc seminarium prae-
dicti morbi habente,

CVRATIO XV.



Mulier quae ex Iadera ciuitate
apud Dalmatas Anconam ve-
nit, & apud Thomam à Vetula
Bergomatē mercatorem age-
bat, quum iandiu morbo Gallico laboras-
set, & nunc obsessa esset, sed cacochymica
reperiretur, vt in ea multam pituitam &
alios humores ab ipso morbo Gallico con-
tractos, vigere esset certum. iis tantum fa-
na intra viginti dies euasit. R. Scobis li-
gni guayaci librā mediā, polypodij quer-
cini recētis & contriti, vncias tres, senae vn-
ciam vnā & meliam, corticū myrobala-
norum Indorum chebulorum, añ. vnciam
med

mediam, passarū de Corintho vncias tres:
 feminis cartami vnciam vnā, radicū
 buglossi pugillos duos, feminis fœniculi
 vnciam mediam, in libris decem aquæ fiat
 decoctio secundum artem ad medias, facta
 colatura adde sacchari fini librā mediam,
 & iterum parum ad ignem bulliat: ex quo
 decocto singulis diebus in aurora ieiuno
 stomacho singulas octo vncias bibebat,
 quo bis & ter in die egerebat: & tandem
 huius decocti repetitione ad viginti dies
 optimo constituto victus ordine sana eua-
 sit, nec aliis medicamentis purgatoriis o-
 pus habuit. Cæterum sequentibus octo die
 bus ex roris marini floribus concinnatam
 conseruam, quæ pharmacopolis dianthos
 dicitur, ieiuno stomacho comedit, & tan-
 dem optimè se valere dixit, & Romā pro-
 fecta est.

De febre continua,

CVRATIO XVI.



Ali Turca mercator iuuenis, ex
 Prussia vltra Constantinopolim
 ciuitate inclyta, Anconæ gra-
 uissimè febricitare cœpit: cui il-
 lico se ða fuit vena, & sanguis abundè ex-
 tractus: deinde syruos acetosos ehibebat,
 & clysteres admittebat, tādē sexto die

AMATI LVSITANI

epoto purgatorio medicamento bene potēte, quo multa egeſſit, ſanus euasit. Huic victus morbi initio pullus gallinaceus cucurbita & agreſta conditus erat, potus verò gelida iulepo mixta.

*De menſibus plus iuſto fluentibus,
et ſymptomatis eos conſequentibus,*

CVRATIO XVII.



Vna ex Brudis, mulier vidua, quum conſuetum mēſium ſuorum fluxum per triduum haberet, nunc verò vigente æſtu ad quindecim dies fluxere: ex quo ſuperfluo fluxu macilenta, & imbecillis eſt reddita: ad hæc frigida & in ſyncopim ſæpe deueniens. Cæterum hæc quum medicamenta non admitteret, neq; cucurbitulas ad mamas: ſolo victu optimo conſtringendivim habente, & vini rubri ſtyptici potu, quo nunquam uſa erat, bene ſenſit, & fluxus reſtriſtus eſt: ad octo tamen dies priores vniuerſum huius corpus ita frigidum factum eſt, vt eam multis calidis pannis laneis, & variis aliis machinamentis ad ſe vix reducere poſſemus. Timor autem apud me erat, ne hæc in maciem & extremā ſiccitatē, quā ſeneſtutis heſticā medici appellamus, deueniſſet, aut ſaltem in hydropē.

Schol

SCHOLIA.

Quantum periculi adferant menstrua plus iusto profluentia exposuit Hippocrates libro quinto Aphor. aphor. quinquagesimosexto, & quinquagesimosextimo dicēs, Si in fluore muliebri conuulsio & animi defectio superueniant, malum: item si menstrua immodicè fluunt, morbi accidunt: & si supprimuntur, ex utero morbi eueniunt. Vnde Galenus libro secundo De facultatibus naturalibus inquit, Siquidem ex diuturnis hæmorrhoidibus retentis, aut immodica vacuatione hominem ad extremam frigiditatē ductentibus, non semel aut bis sed sæpe iam aquas inter cutem collectas vidimus: quemadmodum etiā mulieribus tum mēstrua purgationis omni-modæ cessatio, tum immodica vacuatio, quæ scilicet vehementer sanguinis profluvio laborauerint, hydropem accersuerunt. Libro quoque

De malis affectis locis sexto, capite quinto idem scriptum reliquit, Quum menses plus iusto fluunt, sequi colorem

foedū, pedes molli tumore attolli,

corpusq; vniuersum intume-

scere: & multa alia quæ

Galenus ipse varijs

sue doctrine li-

bris incul-

cat.

A iij

AMATI LVSITANI
De febriente, qui gelidæ potu
sanus euasit

CVRATIO XVIII.

Blanquinus, qui ad diuersorium
extra urbem agebat, & nunc a-
pod pistrinum viam habitat, quū
grauissimè febriret, & nō quie-
sceret, & intensissimè sitiret, & cibum nō
retineret, & aqua illi à medico abnegata
esset: ad eum quum peruenissem, & in vri-
na coctionis notas contemplarer, & aquæ
appetentiam inexpugnabilem cum lin-
guæ nigritie & ariditate notarem, illi ge-
lidam ad satietatē concessi: qua illico vo-
muit, & postea copiosissimè sudauit, post
quem febris ex integro delituit, & ager
non amplius sitiuit. imo quæ comedebat,
ea retinebat. Cæterum octauo die à pro-
pinato syrupo rosaceo solutiuo cum aqua
buglossæ optimè egescit, & tunc ex toto
sanus euasit: nonnullis tamen sequētibus
diebus ieiunio stomacho rhodofaccharon
comedit, & aquam endiuixæ desuper ebi-
bit, & eius ventriculus oleo cydoneorum
inungebatur.

De extirpandis excrescentibus in collo
uesicæ carunculis,

Cura

CVRATIO XIX.



Alterius Partinopolitanus, vir nobilis & magnificus, annos natus quadraginta quum iandiu gonorrhœam, hoc est seminis prouuum pateretur, & nihil remediorum contra malum inuenisset, in urinae aliqualem suppressionem, Ischurian Græci dicunt, deuenit: quo malo quum grauissimè torqueretur, à me remedium, quo carnificem hunc morbum expelleret, exposcit. Ego verò omnibus paratus lubens prouinciã suscepì, ac morbum & eius causas considerans deprehendo carunculas, hoc est carnis excrescentias collo vesicæ & urinae meatui inesse: quum ij, qui gonorrhœam diuturnam patiuntur, vlcera in prædictis locis ferè semper habere soleant, quæ, nisi citò curentur, in ipsis spongiosa crescit caro, vt aliis euenire percipimus vlceribus: quæ spongiosa caro quo minus homo liberè meiat, & hymenæo operam det, sua obstructione in causa est: ita enim urine meatus carunculis iis obstruuntur, vt urina difficulter excernatur, & non eiaculetur: sed guttatim potius destillet, aut in vnam aut alteram partem diuaricetur, & maximis conatibus & laboribus reddatur, non sine egerè di cupiditate, vt nostro eueniebat agro.

AMATI LVSITANI

tanti. Nam doctor Castilius, vir me her-
 cle bonus & suavis, Romæ hoc vexabatur
 morbo: qui præter grauiâ tolerata ab eo
 symptomata eo tempore, quo lotium ex-
 cernebat, hoc vno cruciabatur maxime,
 quòd nisi fortiter pudendi radicem manu
 comprimeret, exactè non meiebat, idque
 magnis angustis & pressuris. Vidimus au-
 tem, si rectè teneo, & curauimus probum
 hunc virum Romæ, anno millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo: quum, à Iulio
 tertio summo Pontifice pro sui salute con-
 uocati essemus. Neque iis tantum exube-
 rantes carnes in vesicæ collo & vrinario
 meatu esse indicium desumpsimus, sed ma-
 gis iis sequentibus: nam apii tyrsum siue
 coticulum amygdalarum dulciû oleo pri-
 mo intinctum per vrinarium meatum in-
 didimus, quo ad vesicam penetrare nō po-
 tuimus, sed & cerea candela postea id ten-
 tauimus prædicto inuncta oleo, sed frustra
 quoque, quia candela plicabatur: tandem
 ad catheterem, siue argenteam fistulâ de-
 uenimus, qua ob carunculas impediētes
 ad vesicâ nō peruenimus: vltra quas absq;
 saltu & sanguinis effusione, siue cerea can-
 dela, aut specillo, aut cathetere opus hoc
 tentemus, progredi possibile non est: iis
 faciant hæ quæ carunculas omnino vrina-
 rio

rio meatui harere exponunt, videlicet eo tempore quo vir hic hymenæum celebra-
 bat, semen genitale non eiaculabatur, sed
 guttatim potius mittebat, ex quibus om-
 nibus facile coniecimus hunc carunculas
 pati. Cæterum coniicimus obstructionē
 hanc à carunculis ortam esse, non verò à
 lapillo, quia vniformiter ferè vrina in vi-
 ro isto semper profluebat: nam in ea quæ
 à lapilli fit obstructione, nō semper eo mo-
 do vrina redditur: quia aliquando liberè
 & copiosè quum eiaculatur vrina, repentè
 supprimitur, lapillo nimirum ipso ex fun-
 do vesicæ in collum eius incidēte, eumq;
 apprime obstruente: aliquando verò con-
 trario euenit, vt vrina ex toto suppressa
 ob lapillum omnimodo obturantem, eo
 tamen propulso vel cathetere, vel spe-
 cillo, vel cruribus eleuatis facta concus-
 sione liberè vrina redditur: quæ carun-
 culas patienti non eueniunt, sed (vt di-
 xi) vniformiter vrina excernitur. Item
 discernimus carunculam à lapillo in-
 tromisso cathetere, tactu saltem. Item
 quia vexante lapillo ad penis radicem
 prurigo maximè viget, quæ obstruen-
 te caruncula non adest: sed quòd ne-
 que à copia tenacium & viscidarum
 superfluitatum prædicta obstructio in

AMATI LVSITANI

ægrotante isto euenerit, ex hoc satis probatum iri volumus: quia quæ ab illis euenire contingit obstructio, cæteris maior plerunque est, adeo vt ex toto supprimatur vrina. Cognito igitur in via morbo eum deponere, & eradicare omnibus machinamētis tentauimus. Cæterum ne quū hunc extirpare curabamus, alterum de nouo circa eandē partem euocaremus morbum, humores ad eam ruere faciendo, per pharmacum eos purgare proposuimus, ipsis per syrupos cum viis & canaliculis purgationi facientibus primo preparatis: habent autem syrupi sic, *℞.* Syrupi de fumo terræ vnciam vnā, oxymelitis simplicis vnciam mediam, aquarum fumi terræ, lupulorū, borraginis, añ. vnciam vnā, Misce, fiat syrupus, capiat quinque: post quorum potum catapotia hæc deglutiat. *℞.* Pilularum de fumo terræ drachmam vnā, aurearum scriptulum vnum, diagridij grana tria, trochiscorum alandaal grana duo, cum syrupo de fumo terræ formetur pilulæ quinque, in aurentur, capiat hora sexta noctis, & dormiat, quibus optimè egeat. Soleo tamen ipse iis sic male affectis hominibus decoctum radicis synarū, vel rubi viticosi, quem Hispani zarzam parrillam vocant, propinare, & postea ad cura

curationem particularē deuenire. Ceterū post celebratas vniuersales euacuationes partes vrinæ famulantes fomentis & balneis, ac vnguentis relaxantibus, & vrinariā fistulam ampliandis forte sunt: quæ ex maluis, brancha vrsina, anetho, radice althææ, apij, fœniculi, petroselinii, & similibus sunt composita. Porro ægrotus hic optimo, sed tenui victus ordine utebatur: sed potissimum quando candela cerato imbuta per vrinarium meatum inferre batur: nā tunc & abstemius factus erat, sola hordeacea aqua iulepo mixta cōtentus. In vniuerso quoque huius morbi decursu venter semper responderet, si nō sua sponte, balano, vel clystere saltem solliciti fuimus. Iis autem in ordinē dispositis ad extirpandas carunculas cōdescendimus: pro qua conficienda operatione ceratum hoc a l minus erat: & ita habet, R. Viridis æris, auri pigmenti, vitrioli, aluminis rochæ, añ. vncias duas. Omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos porphyrites lapides quā accuratissimè ducantur, in lœuoremque tenuissimum reddantur, & soli æstiuāli exponantur: hæc rursus sic exiccata aceto affuso ducēda sunt, & lœuiganda, soliꝑ; exponenda quousque puluis subtilissimus euadat, & à medicamentis

AMATI LVSITANI

iis omnis prorsus acrimonia extincta sit,
 quod opus octo dierum spatio conficies:
 hoc confecto & parato puluere, *R.* Olei
 rosacei vncias quatuor, lithargyrii vncias
 duas, ad ignem fiat coctura quousque em-
 plastri modo corpulenti adquirat cōsisten-
 tiam: tunc ab igne deposito adde prædicti
 pulueris vncias duas, & tudicula vel spa-
 tula misce, & ad ignem omnia tractato,
 quousque medicamētum duriusculū eua-
 dat: ita ut si candelæ cereæ, vel plumbeæ
 virgulæ hæreat, non diffuat, etiam si digi-
 tis tractetur: Hoc enim emplastrum huius
 Lernei & Herculei morbi claua existit,
 quod hymnis multis, & laudibus variis
 decantari meretur: nec solū huic morbo
 prodest, sed varios alios arcet, & explodit:
 nam polypos vnicè curat, & extuberantes
 carnes in aurium meatibus, & aliis locis
 repertas vnicè extirpat, & resecat. Præter
 emplastrum hoc cereæ candelæ numero
 viginti quoque in promptu erant: quæ ex
 alba cera paucula resina terebenthina ad-
 iecta parabantur longitudinis duodecim
 digitorum transversorum, crassitudinis
 verò prout nobis meatum vrinarium fer-
 re videbatur: neque enim, ut modò lecto-
 res intelligant, candelarum harum crassi-
 tudo multum excedit crassitudinē earum
cande

candelarum, quæ in cereis tabernis venales habentur, & singulæ singulis trientibus siue quattrinis aut marobotinis, venduntur: à quibus filli supremam partē quo ignis ascenditur, quum eisdem uti volumus, præscindimus, & cuspidem digitis, ut decet, adaptamus, nec minus ex plumbo tres vel quatuor virgulas plumbeas paratas habemus longitudinis eiusdem, quæ candelæ cereæ paratæ sunt, & eiusdē crassitudinis, quibus, quando carunculæ refractariæ & difficiles sunt, candelarum vice utimur. Iis enim in ordinē dispositis candelam ceream vnam vel alteram per circuitum excavatam, eo modo quo fusi in cusptide, ne filla decidant, excavari solent, ex prædicto emplastro inunctam per urinarium meatum ægrotante optimè sedente immittimus, ac per sex vel octo dies singulis diebus vnam vel alteram, ut decet, innouatā candelam cōtinuò æger in urinario meatu insertā habeat, neq; absque ea, nisi meiendi tempore, agat necesse est: quia quo tēpore meit, eā deponit, sed illico, ut decet, cōcinnatā remittit: in qua facile locū affectū, hoc est ubi caruncula, vel carunculæ insunt, deprehendimus: nam ea pars candelæ, quæ carunculā tangit, aliquantulum cōtunditur, & comprimitur.

AMATI LVSITANI

Porro dignoscemus carunculas ex toto extirpatas & absumptas esse ex tribus quatuorve signis: primo quod candela iam facile penetrat, secundo ex multitudine caruncularum putridarum extra emissarum, & humoris purulenti effluentis: tertio ex urinae eiaculatione: facile enim & expeditè, copiosè, ac recto tramite urina emittitur carunculis ipsis absumptis: neque minori facilitate semen genitale emittitur: quibus adde mordicationem quam eger ob exulceratam particulam persentit: septimo autem die in ægroto nostro carunculas defecisse ex prædictis signis manifestissimè deprehendimus. Extirpatis igitur ac ex toto eradicatis carunculis, per octo sequentes dies nihil per siphonem inferemus, sola candela crassiuscula sicca, absque alicuius rei inunctione immissa contenti: nam tametsi carunculae extirpatae sint, non tamen ex toto portiunculae, quae emplastrum subterfugiant, brevi illo tempore deponi potuerunt: sed ut magis exactè excernantur, longiori indigent tempore: quas ad fundum vesicae non sine ulcerum vellicatione, & ægrotantis detrimento, si modo per siphonem quid iniecerimus, retrocedere faciemus. Satis igitur septem dierum spatium confectum habere putamus, si

carun.

carūculas exesas habuerimus: reliquis autem septem plus minus pro ægritudinis ratione, vrinarium meatum per cādelam crassiusculam patefactum habuerimus, per quem vrina abstergerendi exiccandiq; vim habens, liberè & expeditè exeat, secū carūcularum reliquias nonnullas viribus emplastri subterfugientes excernēs: quod vnum hac in curatione tanquam præcipuum adnotādum decreui, cuius inaduerrentia multi illico exesis carunculis per siphonem liquida abstergentia inserunt, non sine tamen multorum ægrotantium pernicie, vt in scholiis patebit. Elapso igitur hoc tempore, quo & caruncularum, & crassioris puris effluxus cessauit, ad nonnullorum liquidorum vires abstergerendi habentium iniectionem per siphonē deuenimus: quæ ita habent, **R.** Hordei integri non spoliati à cortice pugillos duos, radicis aristolochiæ rotundæ vnciā vnā & mediam, plantaginis herbæ pugillum vnum. In libris duabus aquæ fiat decoctio ad medias, facta colatura adde mellis rosacei colatiti vncias duas, misce, & siphone per fistulam vrinariam iniice bis & ter in die, & virgulam plumbeam, aut candelam ceream æger remittat: hoc enim decocto absterfitorio nos vtimur cō-

AMATI LVSITANI

tinuò, quo ad sex dies pro huius ægrotantis abstergendis vlceribus peruenimus, quòd si fortiori opus fuerit, ad aquam Lafranci viridẽ pro vlceribus exactẽ abstergendis peruenimus: quæ ita habet.

℞. Aluminis rochæ, viridis æris, ana, vnciam mediam, auri pigmenti drachmã vnã, in libris duabus aquæ fontis, vel plantaginis, fiat coctura ad ignẽ quousq; semilibra absumatur, & per saccũ laneum traiciatur, & coletur: quam aquam caphura alteratam per siphonẽ in meatum vrinarium iniicimus, veluti cicatrizans medicamentum post elapsos plures dies, quod ita habet, ℞. Cerusæ vnciam vnã, aluminis rochæ, lithargyrij, añ. drachmas duas, in aqua caudæ equinæ fiat decoctio ad medias, & per manicam laneam traiciatur, & coletur. Is enim vir hic intra mensem ex toto sanus euasit: veluti Chius homo magnus & robustus, qui apud domum Dionysij Chii quoque agebat: vt plures alios silentio præteream, quorum nonnullis symptomata curationis tempore superueniunt, videlicet dolor intensissimus, ad quem sequitur rigor insolitus, & febris, aliquando hæmorrhagia, id est sanguinis proflauium, & huiusmodi varia alia: quibus deposita candela subuenimus.

nimus pro vniuscuiusq; symptomatis ratione. Nam si dolor adest, per siphonem urinarius meatus colluitur lacte, aut aqua rosacea caphuræ admixta, aut decocto ex femine lini & fœnugræci parato: quod si acerrimus dolor ita sit, vt eum pati æger nequeat, tunc ad alterci decoctum deuenimus: aut ad trochiscum ex cynoglossio, vel opij vnum vel alterum granum dissolutum in qua rosarum, vel decocto ex similibus parato, quo exteriora foueri optimum quoq; est. Si verò hæmorrhagia fuerit, tunc ad ea, quæ leuiter oras venarum compescunt, confugiendum est, vt albumen oui aqua rosacea optimè concussum, decoctum balaustiorum, caudæ equinæ, centumnodij, adiecto puluisculo sanguinis draconis, boli Armeniæ, & similium sanguinem constringentium.

SCHOLIA.

VIdeor mihi operæ pretium facturum, si cū omnium vtilitatis, tum etiam æstimationis nostræ ratione habita, quid de hac curandi ratione, & vnde originem habuerit, quàm breuissimè explicuero. Lacuna enim vir medicus fidiu suauissimus, & magni in arte medica nominis, libellum abhinc triennio Romæ edidit, in quo diuinas penè laudas huic extirpandæ ca-

AMATI LVSITANI

caruncula inuento tribuit, & illius authorem Philippum hominem mihi notissimum facit, & ut est singulari quodam erga amicos candore rationem curationis ab eodem Philippo traditam, nudis penè verbis, & sicut ab eo acceperat, tradit, nolens quantum ego existimo, alieno in opere ingeniosus haberi: quare & nonnulla in eadè curatione perpendenda & temperanda mihi sentio, & illud fugitiuum inuentum ad me quasi postliminio reuersum, mihi ascribendum: sed hoc posterius primum ergo à me perpendendum, & temperandum in hac caruncularum curatione est, quòd extirpatis ac exesis, ut medico videtur, carunculis tempore sex vel octo dierum, illico nullo intermedio tempore ad iniectionem collyrii absterfori peruenit: habet autem collyrium ex Philippo sic. R. Centaurii minoris, apii, caudæ equinae, ana manipulum medium, hordei contusi vnciam vnā, coquatur in libris duabus aquæ purissimæ, donec media pars absumatur, postea decocto excolato, rhodomelitos, vel mellis centauræe vncias binas adijcito, & per siphonem iniicito. Est certè remedium hoc optimum, & huic malo apprimè excogitatum. Caterum quòd illico illud post discussas ac extirpatas carunculas intra sex vel octo dies, nullo discurrente postea tempore per siphonem impellat, non probo: quoniam importunum opus hoc, ut experientia comperiui habeo, maxime obest: & ratio est, quia caruncularum tamenta

nonnulla

nonnulla commota, sed non ex toto exesa ab em-
 plastro, ad plures dies quàm sex vel octo (etiam
 liberè & expeditè vrina fluente) excernuntur:
 imò & crassioris puri quadam pars ad plures
 quoque dies defluit: quorum exitus per collyriū
 & humidorum iniectionem impeditur: imò ea
 ad vesicæ fundum retrocedunt, vnde symptoma-
 ta graua oriri solent, & mala multa: præcipuè
 si smegmate ex marmore et cryſtallo parato pro-
 cicatrizandis vlceribus vsi fuerimus, vt infe-
 rius dicemus. Igitur sanum consilium fore puta-
 mus, si quum corrose caruncule intra sex vel se-
 ptem dies, vt nobis videtur, sunt, & ex signis de-
 prehendimus, alios sex dies solius sicce candelæ
 immiſſione transegerimus: neque ita furibundè
 ad liquidorum iniectionē properauerimus, quū
 earum infusione quoquomodo caruncularum &
 crassioris puri reliquie retinentur: quas facilli-
 mē vrina extergendi & siccandi vires habens
 tempore hoc signato ex toto excernet, & postea
 iniecta securius & melius munus suum confi-
 cient. Item post abstersionem, ad ea quæ cicatri-
 zant, vt ratio postulat, deueniendum est: pro quæ
 complenda operatione Lacuna ex Philippo ita
 agendum suadet, dicens: Vlceribus iam puris red-
 ditis, inducetur cicatrix huiusmodi smegmate
 per siphonem infuso. *Re.* Aquæ plantaginis,
 rosaceæ, ana vncias quatuor, seri lactis caprilli
 vncias duas, cerusæ vncias sex, aluminis rocha.

AMATI LVSITANI

marmoris candidissimi, spodij, cryſtalli, ſingulorum drachmam vnā & mediam, caphuræ ſcriptulum vnum. Arida terantur acuratiſſimè, cribroq; excuſſa tenuiſſimo humidis diligenter miſceantur: hoc enim remedium eſt, quo cicatrices vlceribus Lacuna ex Philippo inducit, ſed vt ego ingenuè fatear, medicamentum hoc periculoſum admodū eſt, vt quod ex lapidum puluere conſtat, quod quā etiā veſicæ cavitatē ingreditur, difficulter remittitur: imò ſæua eo ſymptomata oriri ſolent, vt ipſe ſæpè experiētia notauī, præcipuè in Helia quodā mercatore, qui ex Ancone Anconam venit: nam is quum carunculas in vrinaria fiſtula pateretur, & difficulter vrinam redderet: imò illi virga curua ob morbum facta eſſet, vt liberis operam dare non poſſet, per me tractatus intra ſex dies ex emplaſtro, liberè & directè vrinam emittibat, vt ſi quādo aliàs. Ceterū quidam ex libro medicus, tanquam ex commentariolo nauta factus medicamentum à Lacuna pro vlceribus cicatrizandis paratum (me abſente) iniicit, ex quo, quum antea expedi-
tè & rectè poſt extirpationem caruncularum meieret, in omnimodam vrinæ ſuppreſſionem hominē traxit: ex qua intra tres dies mortuus eſt. Caueant igitur medici artem exercentes, ne quid calculoſum, aut arenoſum, lapidoſūve per vrinariam fiſtulam impellant, quum periculoſum admodum ſit opus hoc, & in perniciem egrotos

trahas

trahat: si hoc tamen smegmate Lacune, vel alio simili quis vti vellet, eum primo per manicam lanei panni tractum habeat, suaderem, velut Lafranci abstersoriam aquam, aut alteram cicatrices inducentem. Quod verò ad inuentum at-
tinet, vellem sanè vt Philippus ipse, quem nunc Damasci agere intelligo, adisset: profiteretur enim ingenuè per quos profecisset: est enim homo neque malus, neque ingratus. Is Vlisipponi eo ferè anno quo Tynetum vrbs clarissima Caesaris auspiciis subiecta est, quum ad me officij causa venisset, est enim (vt nemo non nouit) chirurgus rerum magis experientia, quàm autorū lectione insignis: memini, quum mihi diceret, venisse in eam urbem è regione proximam virum quendā satis diuitem, qui vrinae stillicidio, & vt sibi videbatur, calculo etiam laborabat: precatus itaq; me est enixissimè vt hominem adirem. Ego ve-
rò partim amici precibus, partim etiam compen-
diolo adductus egrotantem inuiso adolescentem annos natum viginti quinque, qui in Africa & India multa stipendia fecerat: is, vt milites in-
temperantes maiori ex parte esse solent, ex pro-
miscua venere in morbum, quem Gallicum vo-
cant, inciderat, cui malo seminis etiam profluvium accesserat, quo biennium integrum laborauerat: erat tamen robusta quadam & militari planè temperie, vnde mihi suspicio incessit, eum calculo non laborare: malus enim ille & carnifex mor-

AMATI LVSITANI

bus & vires attenuat, & pallorem inducit, &
 quoddam quasi vitæ tedium secum affert, imò
 longè alia symptomata præ se fert, per quæ ab
 altero discernitur. Ratus itaque id quod erat,
 apud Ithyrso, & alios, ut dixi, prius amygdalino
 oleo inunctis per vrinarium meatum immisissis
 facile illum carunculis laborare deprehendo, con-
 tinuoq; ad ea remedia, quibus ipse Philippus
 postea Romæ usus magnam sibi auctoritatem
 cum maximo quæstu comparauit, descendo: bre-
 uiq; adolescentem pristina valetudini restituo.
 Non est mihi animus Philippum ingrati animi
 accusare, neque enim ille hoc inficiatur: hoc ta-
 men vnum dolet, quod quum apud viros in re
 medica illustres, tum apud Lacunam alterum
 Hispaniæ Galenum, totum hoc curandi inuentum
 didicerit, id tamen sibi adscripserit impudenter
 me hercule, & ut ingenuè loquar, ingratè: af-
 fuere enim curationi nostræ viri me hercule do-
 ctissimi, & magnæ apud suos auctoritatis, Lu-
 douicus Munius Coimbrencis, Georgius Henri-
 cus Vlisipponensis, medici & philosophi nobilis-
 simi, Manuel Lindus, astrorum cognitione flo-
 rentissimus. Et, ne ego in idem cum Philippo vi-
 tium incidisse videar, fateor Salmantica quum
 agerem, ab Aldereto medico clarissimo, & præ-
 ceptore meo doctissimo id curandi genus acce-
 pisse: sicut alia permulta, quæ me hercule ut ma-
 gna, ita apud me maximo in precio & sunt.
& hab

& habentur.

*De cerea candela per urinariam
fistulam immissa, & intus
manente,*

CV RATIO XX.



Ndreas Musca, propola Anconitanus, quum iam diu ob lapillos à renibus decedentes in urinarij meatus vlcerationes deueniret, & consequenter in carnis excrescentias leuiiores, non ita facile neque expedite, vt decebat, meiebat. Cæterum hic vt tantum malum fugeret, lotium liberè & expedite redderet, per ceream candelā curabat: at quum semel per urinariam fistulam solitam candelam cereā albam immitteret, neque fillo alligatā, aut portiunculam eius foris relinqueret, factum est, vt ex toto candela delituerit, & intus maneret, neque ad tres vel quatuor dies eam extrahere fuerit possibile: ad fundum autem vesicæ tota plicata ipsa cādela descendit, ex qua magnum grauamen, & nocumentum intus sentiebat: pro qua extrahenda ex argento subtiles quasdam forcipes ad rostri gruini figuram & formam parare fecimus, quibus nihil profecimus,

AMATI LVSITANI

quum lōgitudinis maioris, vtpote ad minus quindecim digitorum transuersorum essent, opus erat. Decet autem catheteres varij sint parati: alter quindecim digitorum transuersorum magnis viris deferuiens, alter duodecim digitorū, minimus nouem: sed fœminis accōmodatus catheter sic haberi debet, maior nouem digitorum, minor sex tantum. Item incurui sint catheteres ij decet, potissimum viris feruientes: quia viris magis intorquetur vesicæ collum. Aegrotus autem hic quū vir corpore magnus sit, ea suprema longitudine quindecim suorū digitorum transuersorum, forcipes vt vesicæ collum attingerent, opus habebat. Cæterum quū ægrotus hic nihil per forcipes proficeret, commendauī vt chirurgus per anum digitum medium manus mitteret, ac paulatim ex vesica candelam cōprimendo extra mitteret, eo solito more quo faciunt ij, qui lapillos ex vesica detrudere solent, vt eos in inguine scalpello incisorio primo emissario facto extrahant. Hoc enim coadiumēto intra triduum cera ex candela liquefacta est, vt ea & elychniū liberè cum vrina exierint, & tunc æger liber euasit.

De

*De cautela in propinando
pharmaco,*

CVRATIO XXI.



Irgo delicata puella Recinensis
quum febriret, & nullum per
os admitteret medicamentum
purgatorium, ecce illi iulep sal-
tem ebiberet offero, cui propriis manibus
pro suo arbitrio aqua frigidam misceret,
quoq; inculco. Illa verò annuente, iulep vi-
ce illico à pharmacopola syrupi rosati so-
lutini uncias quatuor afferri iussi, cui illa
aquam infudit, & ebibit, ac octies vel
decies egessit: & sanata est.

*De puero detento symptomate epi-
leptico, & postea in para-
lysim brachij & cruris
dextri deuenit,*

CVRATIO XXII.



Ilius Petrutij Bergomatis mer-
catoris, annos natus tres, quum
bene valeret, repente epileptico
symptomate cruciatus est: nam
oculos extra prominentes & immobiles
habebat, os distortum, dentes clauicula-
tos, ut intra eos cocleare ligneum mitte-

AMATI LVSITANI

re ad anhelitum facilitandum, & spumam
& humiditates extrà mittēdas per os, per-
difficile fuerit. Ad hæc manus & pedes tre-
mentes, cum quibus pulsus non appare-
bant, præsertim in brachialibus, & spumã
ad os non referebat. Perdurauit autem pa-
roxismus hic ad oras quinq;, in quo perdu-
rante hæc machinata sunt, primò indito
balano brachiorum & crurum frictions,
& eorum ligaturæ pro corpusculi ratione
sunt adhibitæ: dein caput, collum, tempo-
ra, ceruix & pectus oleo rutaceo fota sunt,
superaddita lana succida, vt à pecude ma-
ctata carpitur, quibus membris quoq; ruta
pista magno iuuamento superponitur. Cæ-
terum ignorant, & tãquam parum in ana-
tomia exerciti delirant, qui in hoc morbo
ad nucham tantum localia remedia admo-
uent, toto capite & thorace spretis: sed per
os piper oxymelite scillino exceptũ pen-
na mittebatur, veluti per nares, ad sternu-
tamentum euocandum, adiecta quoque ca-
storei portiuncula. At quum paroxysmus
perseueraret, & remediis morbus renitere-
tur, cucurbitulas duas scapulis, & totidem
ad nares vulnusculis scarificata cute affigi
fecimus, & medicamentum hoc per os
inieciimus, ℞. Pulueris seminis pœo-
niæ, radice pœoniæ, ana, drachinam me-
diam,

diam, belzuini nigri scriptulos duos. Omnia acuratissime pistentur, & vnciis tribus aquæ maioranæ, & altera syrupi de betonica excipiantur, & fiat potus, quem paulatim ac per interualla per os iniiciant: quo & balanulo subdito multa egeffit. Tandem post quinque horas paroxysmus quieuit: cui febris madida, hoc est cum sudore superuenit, quæ per totam noctem durauit: sequenti verò die pueri brachium dextrum & ipsum crus paralyti affecta esse visa sunt: cum quibus puer quoque timebat, & quasi ab umbra detineri videbatur, pro quibus curandis affectionibus sic orsus sum, *Rx.* Syrupi de betonica, storachados, ana, vnciam mediam, aquarum maioranæ, origani, ana, vnciam vnam, Misce, fiat syrupus quem tepidum capiat in aurora: bibebat autem puer hic optimè ea quæ illi ebibenda offerebamus. At interim dum syropos bibebat, crus & brachium oleo vulpino & liliorum alborum inungebantur: quin supra addita lana succida fasciabantur: post aliquot verò dies leue hoc pharmacum puero dedimus, *Rx.* Agarici optimi drachmam vnam, zinziberis, grana quinque, salis ammoniaci grana duo: rhabarbari electi drachmam mediam: omnia subtiliter puluerizentur, &

AMATI LVSITANI

linleo subtili & raro excepta in vncia vna
& media oxymelitis per noctem infusa
maneant:& in aurora optimè digitis com-
primantur, vt medicamentorum vis in oxy-
mel abeat, cui oxymeliti adde iuris pulli
gallinacei semiscutulam, cinnamomi pa-
rum, misce, fiat potus: propinetur vt decet,
& desuper parum dormiat. Hoc verò phar-
maco puer optimè egeſſit, & nocte ſequē-
ti alacriter ſe habuit, quod parentes & fa-
miliares in bonum reiecerunt: id eueniſſe
aſſeuerantes ob depulſum humorem cor-
pus antea infeſtante. Deinceps verò bra-
chium & crus proprio motu deſtituta per
integrum menſem ex vnguēto de bdelio,
cuius deſcriptionem inferius leges, inun-
gebantur, & lana ſuccida cooperiebantur,
non niſi ex trochiſcis ab aromatibus & myr-
rha vera, & ſimilibus paratis: primo ſuffi-
tis, quin & vniuerſum caput cum ſcina ex
oleo coſtino & de piperibus fouebantur:
quibus remediis intra quadraginta dies
membra hæc ad proprium ſuum motum
reſtitui fecimus, adeò vt quindecim ſequē-
tibus aliis ambularet, & propria manu co-
mederet, quam optimè exercebat. Viſtus
huic puero primis illis afflictionis diebus
ius pulli puluiſculo cinnamomi reſper-
ſum erat, cui quoque medulla panis inde-
batur:

batur: postea verò ficedulæ, & parvæ alites in dumetis vigentes, præcipuè assæ, aut aqua coctæ, vt capi & gallinarū carnes fœniculo, mētha, aneto, basilico, satureia, hyssopo, & similibus paratæ & conditæ: Vua passa avidissimè vescēbatur, veluti saccharo incrustatis, cinnamomo, anisi semine, & corticibus arantiorum. Potus primis diebus aqua cinnamomi erat, postea aqua mellis cum pauca salvia optimè cocta: successu verò temporis parum vini puero concedebatur, iis enim (vt dixi) puer hic intra duos menses ex integro sanitatem adeptus est. Porro vnguentum de bdelio ita habet, quo nullum præstantius aliud pro hac complenda operatione comperitur, ℞. Bdelij drachmas sex, euphorbij drachmas quatuor, castorei drachmas tres, serapini drachmas quatuor, ceræ drachmas quindecim, olei sambucini drachmas decem: bdelium & serapinum dissoluantur in aqua rutæ agrestis, & cætera linantur aqua calida, & fiat vnguentum. Cæterum puer hic nono die mensis Decembris Ann. 1552. in eundem morbum relapsus est, non ad eò tamen vt primò fruum, quum nullum membrum inde paralyti affectum manferit: curauimus tamen puerū à paroxysmo omnibus

AMATI LVSITANI

machinamentis subleuare : prout à nobis primo paroxysmo actitatum esse vidistis, in quo ultra topica medicamenta oxymel scillinum cum puluere pœoniæ & belzuini per os propinabamus : quin & glandes ex melle adiectis speciebus hyeræ ex colocynthide indebantur. Veluti clysteres ex centauro minore, semine cartami, fœniculi, & cumini, adiecto oleo anethino, rutaceo, & electariis huic rei facientibus, vt hiera picra, diaphinicone, adiecto aliquando vno vel altero grano trochiscorum alandaal. Porro vt puer olim medicamenta optimè in potu admittebat. ita nunc nihil eorum ebibebat : qua de causa, quum opus esset, vt morbi causam præscinderemus, singulis mensibus per diacydoniten purgatorium à nobis excogitatum puerum purgabamus : quod auidissimè puer ipse comedebat, & ita habet, *R.*
 Purgatorium diacydoniten, cydoneorum mundatorum libram mediam, mellis, vel sacchari libram mediam, saccharum aqua vel vino liquefiat, & fiat cōditum ad ignē, cui adde specierum diaturbit vncias binas. Misce, fiat diacydoniten purgatorium, cuius dosis sit, pro vice, ad vnciam mediam, parum vel minus pro robore, vel virium egrotantis imbecillitate, habita ratione morbi

morbi, & cæterorum ad eum facientium. Habetur autem diaturbis descriptio apud autorem Luminaris maioris, ubi diarob cum turbis describit. Ex hoc igitur diacydonite puer hic semiunciam ieiuno stomacho comedebat, & optimè egerebat. Sed vnum silentio præterire non est, quòd quum puer hic malè affectus incederet, ancilla domestica, annos nata triginta, morbillis correpta fuit: quibus puer illico infectus euasit, veluti eius soror ætate minor, sed breui sanus fuit factus. At quum bis vel ter puer diacydoniten gustaret, postea omnino abhorruit: qua de re Martij panes purgatorios prædictis speciebus apparatus concinnari faciebamus: quos puer comedebat, & optimè purgabat. Et vt autem noscas, paruulo Martio pani specierum prædictarum drachmam miscebamus, quem in aurora comedebat: & optimè absque anxietudine, aut turbatione aliqua purgabat. Huic autem mediocri purgationi similem fieri desiderabat Galenus puero suo comitiali morbo laboranti & Aëtius ex citris cum scammonio catharticum parabat sermone tertio capite nonagesimo secundo, vt pueros sic affectos purgaret: ad quorum imitationem multa similia parare possemus, quibus pueros,

AMATI LVSITANI

vel eos qui pharmaca renouat, purgemus. Cæterùm quum puer hic hac curatione præseruatina ad octo menses perseueraret, quia optimè tractabatur, & singulis mensibus (vt dixi) purgabatur, & collo radix pœoniæ recens succosa pendebat, illi ex se caput exulceratum est, à quibus vlceribus ichores multi exhibāt, fluebāntve: neque quicquam super ipsa vlcera præter folium caulis ponere admittebatur: nunc verò puer optimè habet, & morbus ex toto iam cum reliquit.

SCHOLIA.

DVo in hac curatione in dubium vertuntur: primum si accessio prior ex qua brachio & cruri subsecuta fuit paralytis, dicenda erat accessio epileptica, vel potius apopletica: secundum, an oxymel scillinum ante propinatum pharmacū, & corpus mundum, tunc pueri dari poterat, vel non. Ad primum respondentes sic habeo, ex epilepsia veluti apoplexia paralytis oriri potest, qđ Galenus libris De locis malè affectis fatetur, & Auicenna non negat, proprio de epilepsia capite. Sed an accessio illa, qua primum puer hic afflētus fuit, & inde membra paralyti affecta, contraxit, dicenda sit apoplexia, vel epilepsia. respondeo, quòd in apoplexia & epilepsia deprauatus cerebri motus deprehenditur, & consequenter
omnium

omnium membrorum, ut refert Galenus libro quarto De symptomatum causis, varius tamen, ut paulò inferius exponam, & Galenus ipse docuit libro secundo Aphorismorum, aphorismo quadragesimoquinto. Nam si corpus in paroxysmo immobile absque sensu & motu (salua respiratione) iaceat, tunc agrotum apoplexia detineri dicendum est, ut refert Galenus libro secundo Aphorismorum, aphor. quadragesimo secundo. quia ex ea actiones, quae pendent à voluntatis imperio, ut sentiendi functiones à profundo somno offenduntur, ut ipsemet Galenus dixit libro quarto De symptomatum causis: si verò in paroxysmo sit motus, aut tremor, aut membrorum contractio, pandiculatio, extensio, aut saltus, tunc epilepsiam vigere dicemus. Huius discriminis ratio est, quia in apoplexia est privatio sensus & motus in vniuerso corpore repente eueniens cum functionum operantium laesione, ob oppletione ventriculorum cerebri: quia igitur est cerebri ventriculorum obstructio siue meatuum per quos animales spiritus transeunt, oppletio, membrorum fit dissolutio & consequenter privatio sensus & motus. Est igitur apoplexia morbus in compositione, obstructio in meatibus siue vijs spirituum animalium, aut oppletio ventriculorum cerebri, ad quam plura sequuntur, praecipue privatio sensus & motus in vniuerso corpore, unde apoplexia vniuersalis est paralyfis: & hac de causa, si membrum pa-

AMATI LVSITANI

valysi afficiebatur, prisci non paralysem ap-
 pellabant, sed paraplexiam, hoc est particularem
 apoplexiam. Differt igitur apoplexia à para-
 lyssi tāquam totum à parte: in apoplexia omnia
 membra afficiuntur: in paralyssi verò membrum
 particulare. Fit autem apoplexia, vt aliàs dixi,
 ab humore frigido & humido crasso in capite
 semper presente: epilepsia verò, vt inferius dice-
 mus, non semper humore in capite existente ori-
 ri solet: in qua deprauatus præcipuè cerebri mo-
 tus habetur, cōcussorius tamen, & vitiosus, quia
 non exacta ventriculorum cerebri oppletio, aut
 meatuum obstructio est: vnde nervi cum ipso ce-
 rebro à se materias vt noxium reiicere tētantes,
 concutiuntur, & retrahuntur: & consequenter
 conuelluntur, & spasmō afficiuntur. In accessio-
 ne igitur apoplectica corpus insensibile & immo-
 bile manet, in epilepsia verò membrorum adest
 tremor, & motus vitiosus: ab accessione tamē epi-
 lectica paralyssis oriri solet: quia nervorū aliquo-
 rum oscula occluduntur: vnde animalium spirituum
 transitus prohibetur, ex qua obstructione, nervorū
 fit resolutio, & consequēter privatio sensus &
 motus, vt in hoc euenit puero. Fuit igitur paro-
 xysmus hic epilepticus, in quo puer sensum &
 motum vtcūq; habebat percipiebātque, in fine cu-
 ius paralyssi brachio & cruri consecuta est. Di-
 citur autem morbus hic epilepsia, quasi corre-
 ptio, sine apprehensio, quod mentem apprehēdens

corpus

corpus pariter corripiat: qui & morbus puerilis
 & infantilis appellatur, siue mater puerorū, quod
 eo pueri saepe & frequenter corripiantur, Dici-
 tur & lunaticus, vulgaribus caducus morbus,
 Romanis comitialis, eo quod si in comitijs cuiquā
 contigisset, comitia dimittebantur. Vocatur &
 Hercules morbus, ex eo quia Hercules hunc pas-
 sus fuit morbum, aut vt vult Galenus commen-
 tario sexto in librum sextum De morbis vulga-
 ribus, aphor. septimo, non quod Hercules illi fue-
 rit obnoxius, sed quia hoc nomine huius morbi
 indicatur magnitudo & violentia: quin & sa-
 cer & diuinus à Platone in Timæo, quia sacrā
 & diuinam hominis partē corripiat, appellata-
 tur: quanquam Hippocrates libro De morbo co-
 mitiali, si Hippocratis liber ille est, dicat, non ma-
 gis sacrum aut diuinum morbum hunc dicendū
 esse, quam tertianam aut quartanā. quod Gale-
 nus confirmat vbi supra sexto De morbis vulga-
 ribus. Caterū epilepsia tripliciter fieri solet: aut
 essentialiter, hoc est per materiam presentem in
 ipso cerebro & capite: & tunc materia plerunq;
 pituitosa est, vt testatur Galenus libro tertio De
 locis affectis, capite septimo: aut per cōsensum ab
 stomacho, & tūc materia esse potest biliosa, vnde
 Philotheus enarratione vigesima nona libri ter-
 tij Aphorismorum, cum interpretatur aphorif-
 mum hunc, Iuuenibus autem sanguinis spuitio-
 nes, tabes, febres acute, morbus comitalis, & alij

AMATI LVSITANI

sed precipuè anedicti, inquit, Epilepsiam autē non ob temperaturam atatis sed ob erratū, quod committitur in ratione victus, vel ob bilem. Fit autem & epilepsia ex flaua bile, quemadmodum dictum est in libro De arte cognoscendi, quum mordeatur os ventriculi, & cetera: quibus nos addimus, quod materia aliquando esse solet atra biliosa, vel corrupta, praua, os ventriculi mordicans, ex qua prædictus oritur morbus, & pauciores, ac insomnia terribilia, de quibus ait Hippocrates libro tertio Aphor. aphor. vigesimo quarto. In etatibus autem talia contingunt parui et nuper natis puerulis, oris vlcera, quæ aphthæ vocantur, vomitus, tusses, vigilie, pauciores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates. Tertio autē epilepsia fieri cōtingit per alterius cuiusq; mēbris communionem: ex quo aura eleuatur ad caput, & tunc maiori ex parte, à flatu, siue ventositate, hoc est materia ventosa fit: id quod nos fieri in nonnullis pueris & hominibus, obseruatum habemus: & ante nos Gal. quoq; vidit, & literis mandauit: vnde rectè mea sententia Aristoteles libro De somno & vigilia, morbum hunc ab spiritu & vaporibus fieri dixit, & Auerrois non sinit libro sui collectorij, quod verum esse nouimus aliquando: sed precipuè quando ab aliquo longinquo mēbro ad caput causa cōsurgit, quod & Hippocrates fatetur libro De flatibus: & tūc morbus hic per cauterium inditum tali membro
ex quo

ex quo aura & flatus eleuatur, curatur. Porro quod ab atra bile quoque morbus comitialis fieri contingat, docet Hippocrates sectione octaua libri sexti Epidemiorum, Aphorismo quinquagesimo quinto, ubi inquit: Atrabiliarij etiam comitiales morbo corripiti plerunq; solent, & vicissim comitiales fieri solent atrabiliarij, vterque verò morbus magis fit, prout ad alterā partē inclinari: si quidē enim ad corpus inclinari, comitiales fiūt: si verò ad animum, atrabiliarij melancholici dicti. Ex quibus verbis clarum euadit, si atra bilis cerebri ventriculos, vel meatus, per quos spiritus animales permeare solent, motū & sensum membris impatiētes, obturet, quod inde epilepsia oritur: si verò atra bilis non ventriculos cerebri, aut meatus dictos obstruere cōtingat, sed cerebri temperaturam, quam animā appellat, inficiat, tunc non epilepsia consurget, sed magis melancholia, hoc est mentis alienatio: cum ijs tamen dicit Hippocrates eodem sexto libro De morbis vulgaribus, sectione sexta, A quartana correpti à magno morbo, id est comitiali non corripuntur: si verò corripiantur prius, & succedat quartana, liberantur. Vbald. Quid ad secundum dubium tibi respondendum videtur, ô Amate quia contentiosus quidam, non nisi post purgationem scillinum oxymel dandum esse neruose contendebat? Amatus, Id tibi, vt paucis assequaris, respondebo, ô Vbalde. Galenus igitur puerū epilepticū,

AMATI LVSITANI

cui consilium inscripsit, ante omnia veris initio purgatum desiderat: quo tempore morbi, qui per intervalla redeunt, moventur: ac postea remedia peragenda illi, & medicamenta propinanda tuto dare iubet. *Vbald* Quid inde igitur de oxymelite? *Amat.* Eo dicto consilio puero comitiali morbo laboranti, & *Cecilian* filio scripto, *Galenus* oxymel absolutè, hyeme calidum, æstate frigidum, omni in tempore: vel ex eo cappares cōditos pro obsonio cotidiano admittit, & laudat, & eo magis si acetum per scillas preparatum fuerit: sequenti tamen folio medicamentum ex scilla siue illud sit vel scillinum, vel oxymel scilliticum, post completam purgationem dandum esse suadet, dicens: Verum medicamento ex scilla preparato, quod tibi à nobis traditum est, post purgationem, quam adueniente vere moliendam esse consulimus, utetur sanè singulo quoque die filius tuus, priusquam ad palæstrā accedat: ex quibus verbis satis notum evadit, *Galenum* ex scilla medicamentum post purgatum corpus tribuere, non verò antè. *Vbald.* Id fortè *Galenus* imperat, quia eius scilliticum medicamentū acre & potēs erat. *Amat.* Ita res habet, quia scillam continutam in vas orificiū stricti, ex quo mel fuit extractum, inicit, idq; ad solem æstivalem per quadraginta dies ante canicula ortum viginti dies, & post eius ortum, totidem optimè operculatum, & corio coopertum insolari, quousq; scilla

tabe

tabescat, & in humorem vertatur, iulei: cui hu-
 mori scillino, mel vel acetum infundendū postea
 docet, unde mel scilliticum, vel acetum scilliticū
 resultat, medicamentum sanè acre, forte, & po-
 tens: quod mea sententia si non in accessione ipsa,
 non nisi post vniuersalem exactam purgationē
 tutò propinari poterit. Vbald. Optime de Gale-
 ni scillino medicamento iudicium tuum predictū
 esse crediderim. Ceterū quum hodie illud nō co-
 modo paratum habeatur, sed magis secundum
 Mesues descriptionem officinis & tabernis aro-
 matarijs venale proſtet, dubium totum eo verti
 mihi videtur, si ante purgationem hoc tutò agro-
 tis propinari poterit. Amat. Oxymelitis scilli-
 tici triplex descriptio à Mesue habetur: altera
 simplicis, quod tutò & secure, vbi opus est, etiam
 non precedente purgatione vniuersali, dari pote-
 rit: altera verò cōpositi ex radicibus, quibus oxy-
 mel compositum dictū parari solet, quod non nisi
 post euacuationes peractas vniuersales dari de-
 bet: altera oxymelitis Democrito tributi, quod
 nisi post corpus purgatum etiam tutò non datur:
 sed oxymel Iulianum potens & acre est, ad mul-
 ta valens, quod Paulus libro septimo suæ medi-
 cine citat, & Alexander Trallianus libro pri-
 mo capite decimo, & libro vndecimo capite De
 podagra ex pituita, perinde fecit, qua omnia
 Galeno libro secundo artis cūrativæ ad Glau-
 conem superaddita sunt. Vt receptui igitur ca-

AMATI LVSITANI

namus, & paucis multa concludamus, dicimus, oxymeli scilliticum simplex passim officinis aromatarijs repertū, tūc ante purgationem factā, vbi opus est, dari posse: aliud verò non nisi in ipso paroxysmo, aut vbi materia ita crassa & viscida fuerit, vt illico principio pro ea incidenda, & attenuanda vti opus fuerit: nam tunc quocūque horum rectè vti possemus. Cæterum de scilla nūc sermo nobis incidit, de qua cōmentarijs nostris in Dioscoridem attigisse consonum erat. Sed quum silentio præteriuimus, nunc ad memoriā reuocare nō ab re erit. Galenus igitur libro octauo De facultatibus simpl. medic. scillam in secundo ordine excalfacientium collocat, cepam verò libro septimo eiusdem voluminis ex eis, quæ quarto ordine excalfaciunt, esse dicit: de qua re multi mirantur, quū scilla venenosa sit & letalis adeò, vt suo veneno interficiat, cepa verò tantum abest vt interficiat, vt eam etiam crudam homines pro obsonio quotidiano habeāt: vnde scillam potius inter ea quæ valenter excalfaciunt, & quarto ordine reponuntur, collocandam esse, cepam verò secundo ordine tantum, opinantur. Sed q̄ mirari desinant, quū res, vt à Galeno est tradita, se habeat: pro qua intelligēda scire decet, quòd cepa tametsi quarto gradu calida sit, eius tamē caliditas crassis partibus miscetur, à quibus commansa obtunditur adeò vt in nutriti substantiam abeat, quibus faciunt panis & alia, quibus rescitur, edulia,

lia, quæ cepæ miscentur, & eius infringunt caliditatem: vnde à calore corporis vincitur, transmutatur, & in nutriti substantiam vertitur: in scilla verò caliditas illa, & incisoria vis secundū gradum attingens superficialis est, nullis crassius partibus mixta, qua ratione commansa stomachum & interna membra, quæ attingit, facile vellicat, corrodit, & exulcerat: de qua re quum multa dici possent, ex libris De temperamētis decerpta, ea tamen consilio præmittimus. Ceterum quia proximum epilepticum mēse Decembri contingentem citauimus, placet quoque nonnullos eo mēse interuenientes apoplexie & epilepsie casus hic subiungere.

De apoplexia illico iterficiēte, & de apoplectico paroxismo tres dies perdurāte,

CVRATIO XXIII.

Idacus Ferdinandus à Lapide, vir qui diu apud Indos egit, & inde nobilem lapidem adaman tem magni precij & valoris attulit, vnde illi cognomen à Lapide inditū fuit: quum septuagesimū ætatis suæ propè annū ageret, & optimè valeret, apoplexia correptus fuit ita graui & forti, vt illico mortuus cōciderit, neq; pulsus aut respiratio vel minima apparuerit, quæ plerunq; per aliquod vel breue tēpus cōparere so-

AMATI LVSITANI

lēt, vt in speculo precipitur, vel gossipio subtiliter carpto narib⁹ admoto & ori, vel scutula aque plena pectori supposita, aut aliis similibus. Obiit autē vigesimo secūdo die mensis Decēbris, anno 1552. Sed quū hæc scribo, memoriæ occurrit olim apud Ferrarienses puellam quandam apoplexia detentam fuisse, quæ ab omnibus medicis pro mortua habebatur. Cæterum quum mater puellam summo opere amaret, eam non ita facile sepeliri permisit, & eo magis quia ab aliis perceperat, quod qui subito & repentē grauioribus iis morbis corripiuntur, & pro mortuis habentur, nō sic facile & repentē clero sunt committendi. Demum mater puellā per triduum apud se contra omnium opinionem detineri fecit, & tertio die puella quasi ex inferis subleuata reuixit, & hodie adhuc, vt audio, pulcherrimē viuit.

SCHOLIA.

Apoplexia morbus acutissimus est, in quo cerebri ventriculi leduntur, nō verò cerebri ipsius substantia, quæ leuis vel fortis, facilis vel difficilis iudicatur pro respirationis facilitate vel difficultate, vt meminit Galenus libris Aphorismorum, & varijs alijs sue doctrina locis. Cæterum suadent medici apoplexia mortuos ad septuaginta & duas horas non esse sepeliendos.

liendos: quia intra hoc tempus ea affecti solent
 reuiviscere, & ad se redire: sed qua ratione Con-
 ciliator Petrus Aponensis libro suarum differē-
 tiarum respondet, quia omnes humores intra hoc
 tempus septuaginta duarum horarum motum
 suum complent: nam sanguis continuò affligit,
 pituita quotidie, bilis de tertio in tertium: quod
 tempus ab hora, qua bilis affligere incipit, & (que
 ad eam in quam desinit, complet horas quadra-
 ginta octo: melancholia verò de quarto in quar-
 tum mouetur: quod tēpus circumscribitur septua-
 ginta duabus horis, vt computanti notū euadet.
 Sed quum hæc literis mando, mulier quedā He-
 bræa se offert, quæ quum cōtinuos quadraginta
 dies integros Hebræorum more ieiunaret, inde
 debilis facta est. Ceterum quum postea mali suc-
 ci cibarijs vesceretur, multum humorem pituito-
 sum exaggerauit: ex quo cerebri cavitates occlu-
 se sunt, & obstructions factæ, ad quas priuatio
 sensus & motus sequuta est: pro quibus recupe-
 randis, & obstructione leuāda, multa illico facta
 sunt, & ad cauteriū vsq; in cōmissura coronali
 peruentura est: cuius loco, primo caput optimè ra-
 sum, aqua vite, vel oleo de saxo petroleo dicto, il-
 linebatur & ignita candela accēdebatur: quibus
 remedijs mulier hæc ad se aliquātulū redijt. Sed
 medicus inscius ad eā iuuandā prasens, ex bra-
 chij secta vena sanguinis vncias octo vel decē ex-
 traxit, vnde mors certa consequutura breui su-

AMATI LVSITANI

peruenit: non sine doctorum hominum iniuria,
 & filiorum hominis iactura. Consonum fuerit
 hic enarrare id quod olim Salmatica, celeberrimo
 Hispaniarum studio, euenerit, & ita habet:
 Doctor regine Isabele (ita enim vir hic vocaba-
 tur) abhinc annis viginiocto, medicus (prout illa
 ferebat etas) doctus, & in vniuersa Hispania in
 maximo precio & honore habitus, quum egrotus
 quendam inuiseret, ac illi pulsum non adeo debi-
 lem comperiret, non illico, neq; ita breui eum mo-
 riturum assistentibus & discipulis, qui eum con-
 tabantur, praedixit. Ceterum quum vesperi eun-
 dem de more inuisum rediret, & e mula iam de-
 sili erat, quidam ex illis, qui egroto astant, illi
 ad scalas obuiam venit, egrotum obisse exponens:
 medicus vero utcumq; rem nouam admiratus, non
 ita tamen huic, qui egroti obitum exposuerat, fi-
 dem habuit, forte iudicio suo magis confisus, ut
 qui non multis antea horis hominis male haben-
 tis vires comprehenderat, ex quibus certus erat,
 eum non ita de facili moriturum, prout quoq; assi-
 stentibus & discipulis praedixerat. Ut generosus
 igitur & magnanimus, & qui Inquisitorum
 technas parui faciebat, medicus, ad egrotum ut-
 cunque mortuum peruenire non dubitauit: quem pri-
 mo aspectu panno coniectum, & Franciscana ve-
 ste indutum conspexit, non nisi varijs reuerendis
 monachis circum astantibus. Tunc vero grauis-
 simus magna animi constantia eum detegere fecit,
 &

& eius in metacarpio arteriarum motiones explorauit, quas vigere adhuc deprehendit: proinde eum ad cubile reuerti fecit, & praesidijs idoneis adhibitis ad se redire fecit, qui postea multos vixit annos. *Armelinus.* Res mira vt hac est: ita enarratu digna: nã & ego etsi intercessi, & omnia vidi, ea tamen nunc meminisse iuuat: egroti tamen filij, vxor & domestici si rectè teneo & recolo, tunc contra patres illos reuerendos, quibus egrotus commissus erat, obmurmurabant: quia fortè auaritia combusti spreto Dei timore hominem viuum humare proponebāt, multam namq̃ numeratam pecuniam S. Francisco, & varia alia bona S. Dominico relinquebat. *Amatus.* Id potius ignoratione quàm malignitate factum esse putarem, quum maiori ex parte ij, qui praesunt egrotantibus monachi, indocti sunt, & harum rerum penitus ignari. *Armel.* Vtunque res habeat, reuerendi monachi illi tristes, torui, horridi, & squallidi tunc inde recesserunt. *Amatus.* Id fortè in causa erat, quia plures dies & noctes insomnes apud egrotum versati erant.

De puero epileptico, oculos toruos
& aspectum horridum habente,
solo cauterio ad nucham in-
dito sano reddito,

CVRATIO XXIIII.

AMATI LVSITANI



Ver viri probi ex Monte sancto,
 Recaneto ciuitati propinquo,
 annos natus duos, quum iādiu
 epilepsia grauissimè torquere-
 tur, vt ex ea oculos toruos, & aspectū hor-
 ridum contraxerit, & directè stare nequi-
 ret, quum multa pro eius salute excogita-
 ta essent sed frustra, nostro consilio ex Al-
 bucati libro primo capite vndecimo parti
 superiori nuchæ candente ferramēto igni-
 tus fuit: quo in foramine cicer inditū fuit,
 quod sæpe innouatur, & ex eo ita pus ef-
 fluxit, vt puer ferè sanus sit. Nā post indi-
 tum cauterium epilepticus paroxysmus
 non amplius visus est, & oculi, & aspectus
 non ita torui cernuntur, sed nondum di-
 rectè stare potest: credimus tamen opti-
 mo victu proposito puerum hunc ex hoc
 morbo liberatū iri, & eo magis quo gran-
 dior euaserit: quum puerorum ætates in
 calidiorem & sicciorē temperaturam ver-
 tantur, vnde Hippocrates Apho. libro se-
 cundo, apho. quadagesimo quinto, dixit:
 Quicunq; iuuenes morbo comitiali labo-
 rant, mutatione maximè etatis & tēporis,
 & locorū, & victuū quonq; liberātur. Philo-
 theus verò in enarratiōe notat, dicēs: Quū
 enim transmutētur iuuenū ætates, hoc est
 puerorū in calidiore & sicciorē tēperaturā
 maxi

maximè confert epilepticis affectibus. Huius pueri auus vir sexagenarius per scalas cecidit, & variis locis percussus fuit, præcipuè in frontis alta parte, vnde oculi alterius palpebra cecidit, & oculus claudabatur, neque ex eo videbat, nisi quum manu palpebram eleuabat. Facta autem erat superioris nerui, siue musculi resolutione, qui cæteris aliis crassior est, providente natura, vel altero meliori Deo, pro sua obeunda functione, hoc est pro sustentanda palpebra superiori oculi. Cæterum hic paucis elapsis diebus grauiori apoplexia oppressus suū diem obiit: credere utique est, etiam quòd quādo per scalas cecidit, apoplexia correptus erat.

De febre sanguinea,

CVRATIO XXV.

Illius illius, qui ob neruorum resolutionem vt serpens repit, vigente æstate continuò febricitabat, non dormiebat, oris dulcedinem primo sensit, quæ postea in amorem versa est, lotium crassum, rubrum emittebat, in quo nebula spissa ac sedimentū rubricans cernebatur: pulsus crassus erat, frequens, & plenus: nam hic iuuenis erat, bonæ habitudinis: ad quem acce-

AMATI LVSITANI

dens secundo die ægritudinis, illico post alui excrementa per clysterem depolita, sanguinis librā ex interna brachij dextri vena secta fluere feci, & postea syrupum hunc ebibere iussi, ℞. Syrupi de cicorea simplici vnc. j. acetosi simplicis vnciam mediam, aquarum endiuix, acetosæ, ana, vncias duas. Misce, & frigidum bibat. Elapsi verò tribus horis panatellā simplicem pro victu habuit, & hordeaceam cum vino granatorum, & iulepo pro potu: vespri verò quum de more eum inuiferem, ab eo sanguinem extractum ita infectū conspexi, vt ex eodem venæ foramine quindecim alteras sanguinis vncias extrahere fecerim: à qua sanguinis missione optimè sudauit, & ea nocte quieuit, & placidè dormiuit: & vt paucis dicam, ita rectè habere cœpit, vt autē septimum diem epoto syrupo ros. solutiuo, decocto tamarind. diluto, sanus euaserit.

SCHOLIA.

Nisi enim iis in febribus copiosè ita sanguis dematur, in biliosam degenerare solent, vt prioribus dixi Centuriis.

De febre continuo affligente, cum
ingenti capitis dolore;

CVRATIO XXVI.

Ranciscus Vincentinus mercator, natus annos quadraginta tres, quum Venetijs Anconam se reciperet, febris continua affligebatur, quæ singulis noctibus accessiones habebat. Cæterum huic quum multa remedia & varia post purgationes, & sanguinis missiones fecerimus, & semper de dolore ingenti capitis quereretur: illi frontis venam secare fecimus, & sanguinem ad uncias sex demere: qua sanguinis missione dolor evanuit, & æger optimè se habere dixit. Porro quum æger in nonnullis deliquerit, dolor denuo pullulavit: sed iterum secta frontis vena ex toto evanuit, & æger ex integro conualuit: fuere autè omnes ægritudinis dies viginti duo.

*De muliere febriente, quæ postea
cessante febre in anxietudinibus,
& animi deliquia
deuenit.*

CVRATIO XXVII.

Huius vxor mulier iuuenis, sterilis, marito malè habente rigore primò affligi coepit, ad quem postea sequuta fuit febris, ad al-

AMATI LVSITANI

quot horas duras: sequenti die eadem hora rigor superuenit succedente prædicta febris: vt duplici tertiana mulierem hanc corripere dicendum sit, pro qua propulsanda & sanguinis missione, & debitis per pharmaca purgationibus vsi sumus: quibus optimo victus ordine constituto, ex toto intra quindecim dies abiuit. Cæterum propulsata febre mulier hæc in anxietudines, & animi deliquia incidit, pro quibus tollendis frictiones plures & retractiones in partes inferiores à superioribus fiebant: quin etiam per nares suffumigium ex rebus malè olentibus fiebat, sed partibus inferioribus, hoc est collo matricis, pessi ex Mithridatico & gallia moschata indebantur, tentatis prius aliis ex mercurialis thyrsi paratis, quibus aliquantulum bene habuit. Porro quum maritus rectè valuit, & ipsam rectè valere inuenimus: appetebat autem vterus ob cōpressum semen, vnde eiusdem vteri ad superiora recursus erat, qui strangulatus, seu vteri suffocatio appellatur.

De dysenteria,

CURATIO XXVIII.

Mulier



Mulier Chia, nata annos quinquaginta, obesitatis mediocris, dysenteria vera laborat. Nam intestinorum dolores patitur, & assidue egerit, sed tribus elapsis diebus egestionis cruentæ sunt redditæ: huic tunc clysteres varij sunt facti, & exterius vnguenta constringentia applicita. Cæterum quum dolores assidua excretionem perseuerarent, & febris ingens compareret, basilicam dextri brachij aperire feci, & sanguinis uncias quinque extrahere: à qua sanguinis missione syrupum myrtinum consuetum ebibit, & clysteres constringendi vires habentes sunt inditi, quorum exemplum sic habet, *R.* Aquæ hordei, in qua balaustium verum incoctum erat, lib. j. seui hircini, olei myrt. añ. 3. ij. albi oui optimè cōcussi numero duo, boli Armeniæ, sanguinis draconis, añ. 3. ij. pilorū leporis drach. j. Misce, fiat clyster, quem proposse retineat: ab ijs enim melius habuit. Cæterum quum ad aliquot dies sic incederet, & non frequenter egereret, sed intestinorum ingentem dolorem pateretur, clysteres ex decocto radicis altheæ cū seuo hircino, & oleo myrtino paratos iriiciendos mandaui, quibus melius valuit. Cæterum huic victus panatella ex simila-

AMATI LVSITANI

gine & iure pedis vituli parata erat: potus
verò interim dum febris vigeat, aqua
chalybeata: postea verò vinum rubrum
crassum, quod ex Aulone Anconam affer-
ri solet, & illud aqua chalybeata & ferra-
ta diluebat: vltimo receptis suffumigiis
basilicè & potenter valuit: habent autem
suffumigia sic, &c. Thuris, mastichis, san-
guinis draconis, boli Armeniae, labdani,
corticum pinearum, an. partes æquas, omnia
in pollinem reducuntur: & cum resina &
terebinthina misce, & fiat massa: ex qua
drachmam vnā vel alteram super igni-
tas prunas iniicito, & super sella perfora-
ta sedens mulier optimè vestimentis cir-
cundata suffumigium recipiat: iis enim,
vt dixi, mulier hæc sana euasit, veluti plu-
res alij hoc tempore dysenteria laboran-
tes. Cruciabantur autem tunc pueri dy-
senteria, vt filius Vincentij Chij, filius Ce-
larij, filia Ioannis Teutonici mercatoris,
prædictæ mulieris ægrotantis nepotes
duo, puella Antonij pharmacopolæ, filia
Petrolij, qui ad portum agit, & plu-
res alij.

*De recidiua cuiusdam
ægrotantis,*

EV RATIO XXX.

Daniel



Aniel Papus, iuuenis biliosus
ad vstionem declinans iis die-
bus febricitauit, feбри quidem
cōtinua: illi bis secta fuit vena,
& pharmacum post humorum præpara-
tionem per syrupos cōcessum, & tandem
bene habuit: interiectis verò octo diebus,
in quibus bene valuit, quum plus iusto co-
mederet, in febrem recidit, & eam quidē
intensam capitis cum dolore, & oris ama-
rore, pro qua leuanda secūdo die recidinae
hunc potum illi obtulimus, & sequēti die
à feбри & symptomatis fuit immunis: ha-
bet autem potus sic, ℞. Syrupi rosati
solutiui vncias quatuor, aquæ cicoreæ vn-
cias tres, misce, fiat potus. quem ieiuno sto-
macho bibat, quo optimē alius respōdit:
imò eo quoque euomuit, & tandem sanus
ex toto fuit.

*De febre continua cum capitis do-
lore, & renum grauedine,
ac oris amarore,*

CVRATIO XXX.



Armonensis, qui magnas & in-
gentes casei Parmēsis rotas ven-
debat, iuuenis annos natus tri-
ginta, feбри cōtinua corripitur.

F iij

AMATI LVSITANI

pit, cum qua & caput dolebat, & renū gra-
uamen sentiebat : quibus & de oris ama-
rore maximè querebatur: hic ex se primo
bilem merā vomuit, ad quem postea ipse
perueniens illico haustum hunc illi descri-
psi, & ita habet, &. Syrupi rosati solu-
tiui vncias quatuor, decocti tamarindorū
vncias tres. Misce, fiat haustus vnus, quem
frigidum bibat, quo optimè egeffit : post-
ea verò quum febris quoque vigeret, & lo-
rium rubrum & crassum appareret, san-
guinis vncias sex ex basilica educi feci: sy-
rupos autem acetosos, & de endiuia tunc
bibebat : post quorum bibitionem appa-
rente concoctione in vrina pharmacum
leue ex rhabarbaro propinatum fuit, &
sanitatem obtinuit. Nam capitis dolor
post primam euacuationem adhibitam
oxyrhodino applicito euauit : veluti re-
num grauitas post eorum inunctionē ex
Galenī refrigerante cerato dicto. Victus
huic carnes pullorum & auicularum erāt:
potus verò primò hordeacea vino grana-
torum excepta, sed postea vinū *δωροφύρον*
pauciferum dictum.

*De uesticula duriuscula & ni-
gricante supra dentem
nascente,*

CVRATIO XXXI.

P Ver natus annos octo, quū dentem ex incisoriis superioribus mobilē haberet, illi fillo adalligato, vt pueri facere solent, cum extraxit. Ceterū elapsis ferē tribus mensibus denuo dens non apparebat, sed indies magis vesicula nigricans dentis loco conspiciebatur: quam pueri parētes sic videntes maximē cōquerebantur, & condolebant: qua de re puerum ad me deferre curarūt: quem quum animaduerto, iudico subnigrum tuberculum illum comparentem venæ alicuius orā esse: in quam sententiam postea medici alij doctrina & experientia nobiles venerunt. Demū accersitus chirurgus meis mandatis subduriusculam vesiculam illam aqua argenteriorum, forti dicta tetigit, gossipij pauco ad os & linguam indito, ne aqua cadens partes has vellicaret exederētve: quam quū ter vel quater intra tres vel quatuor dies tangeret & exureret, ex toto vesicula corrosa & extirpata fuit: sub qua dens albissimus comparuit non sine applausu parentum, & artis laude: poterat & opus

hoc oleo vitrioli confici, veluti oleo

ex antimonio & sublima.

to destillatitio.

AMATI LVSITANI

De febre rigorifica,

CVRATIO XXXII.

B Artolinus, qui melopepones ad forum herbarium vendebar, vir robustus rigorifica febre correptus fuit, & illico prima nocte delirauit, & anxie tulit: ad eum verò in aurora accedens, ex brachij dextri vena communi sanguinis uncias decem extrahere feci, & syrupum hunc ebibere,

℞. Syrupi de succo acetosæ, nenupharini, añ. unciam vnam, aquarum acetosæ. la Stuce, añ. uncias duas. Misce, fiat syrupus, sed & de ventris respondentia nobis cura erat: sequenti verò nocte tametsi febriebat, placide tamen & quiete noctem transegit: demum sexto die ab epoto pharmaco, quo optime egressus, sanus euasit: terminantur autem Anconæ morbi aut ad salutem, vel ad mortem breui, vt Centuria prima harum curationum medicinalium meminimus: precipue vbi de Crisi & diebus decretorijs egi.

De puero febrem continuam patiente,

CVRATIO XXXIII.

B Ilius Benedicti lapicidæ, qui apud Iudæorum synagogā habitat, ætatis decem annorū febri cor

brī corripiebatur continua, quæ noctu affligebat magis semper: huic ani venis applicitæ sunt sanguiifugæ duæ, & post quartum ebibitum syrupū apparente in vrina cōcoctione rhabarbarum cum agarico nouiter parato in decoctione florum & fructuum cordialium, adiecto electario catholico, ebibit, & breui sanus fuit. Iecori porrò santalinum vnguentum admouebatur, & ad aliquot dies postea rotulos ex speciebus diarhodonis abbatis, & speciebus electarij trium santalorum saccharo confectos, comedit: super quos aquam stillatitiā endiuia bibebat, & optimè habuit. Cæterum vnus rotuli pondus drachma erat, aquæ verò vnciæ tres.

De puella, quæ aqua ebulliēte fuit excocta, unde symptomata grauiā traxit.

CVRATIO XXXIIII.



Vella illius, qui apud Antinorium agit, aqua ex igne ebulliēte supra vētrem ad vmbilicum excocta fuit, vnde vesiculæ & bullæ ortæ sunt, à quibus postea ruptis vlcera euaserunt. Cæterum puella tunc non adeò malè habuit, sed vesperi tota rubra est facta, & tanquā mortua iacebat: ad quā vocatus ex populeone vnguēto totū eius

AMATI LVSITANI

ventrē illini feci, & vitis folia superadde-
re: quo remedio intra quatuor horas puel-
la ad se rediit: & paucis postea diebus ex
toto sana euasit. Quod verò intus intesti-
na ex aquæ ingenti caliditate tumuerint,
vnde symptomata dicta ortum traxerunt,
pro certo crediderim: vlcera tamen postea
ex vnguento à calce sæpe lota parato, sa-
na sunt reddita,

*De crurium dolore, cum aliquali tu-
mefactione ob moram in aqua fri-
gida contractis,*

CVRATIO XXXV.



Aurius, vir fortis & robustus,
quū crura in gelida sæpe habe-
ret, in eorū dolorē cum aliqua-
li tumefactione incidit: pro qui-
bus curādis affectionibus brachij interna
vena secta fuit, & sanguinis vncia sex ex-
tracta, post quam venæ sectionem ac per
pharmaca euacuationes, fomenta & laua-
era digerēdi & roborādi vim habentia pa-
rauimus, quibus melius se habuit. Cæterū
retractionibus & frictionibus ac ligaturis
circa partes inferiores ad superiores adhi-
bitis, ex toto sanus euasit, vt verē p̄ditū sit
theoremā à medicis & philosophis rece-
ptum, cōtrariorum cōtraria sunt remedia.

De mo

*De mola matricis, simulq; de mulie-
ribus ex semine virili in balneo de-
relieto, pręgnantibus factis,*

CV RATIO XXXVI.

MOnacha ex iis, quę religiose & secrete à turba viuunt, male habebat, & intra corpus motum persentire aiebat, vnde ceterę monachę molam intus habere contendebant: ego verò fieri posse non dubitabam. Ceterum molam & huiusmodi cetera absque viri cōmercio gigni non posse tradit summus Galenus, libro decimoquarto De vsu partium, dicens: Mulierem nemo vnquam vidit sine viro vel molam vel eiusmodi quippiam concepisse: proinde aut rem occultarent, aut alterius morbi genus asseuerarent, consului. Quod verò ex semine virili in balneo relieto mulier pręgnas facta fuerit, Auerrois lib. sui collectorij testatur, & ante eū Hebręi, qui ex filia Hieremię prophetę natū esse Benziram, virum doctissimū & sapientissimū credunt. Hęc enim mulier quum balneū intraret, vbi semē erat à viris pessimis & idololatrię derelictum, vtero concepit. Longior est historia quā quę paucis exponi queat: nam quum pessimi homines, hymenæum

AMATI LVSITANI

propria manu celebrantes semen genita-
le in balneo excernerent, à sanctissimo ho-
mine Hieremia propheta correpti & ma-
ledicti sunt: qui alioqui excandescerent
contra ipsum prophetam inuaserunt, &
ad balneum inuitum traxerunt, & cum
ipsis promiscue semen quoque ut eiiceret
coegerunt: ad quod balneum quum filiam
postea intrare contingeret, ex paterno se-
mine genitali in eo balneo effuso pregnas
euasit, & ex ea Benzura natus est, vir sa-
pientissimus: & cuius hodie extant non
pauca egregia documenta, & dictoria ele-
gantissima Hebraica lingua conscripta.
Interpretatur verò Benzura, filius doloris
sui, quia absque delectatione ipsum conce-
pit mater sua, & cum dolore ipsum pepe-
rit: non verò rectè interpretatur filius ge-
nitoris sui, ut hucusq; omnes Rabbinii in-
terpretati sunt, quia zir cum zadich dolorē
significat, prout in hoc inscribitur nomi-
ne. Ceterum Auerroris, Auicenna, & Alga-
zet: hoc euenire posse cum Hebraeis facile
admittent. Galeus verò non adeò, ut ex
eodem libro septimo Methodi medendi
capite sexto elicitur: ut citatum.

& varios alios locos sua
doctrinae ta-
ceam.

De val

De vulnere inter costas mendofas illato,

CV RATIO XXXVII.

Elius Ricci, natus annos vndecim, à puero inter mendofas, siue nothas costas gladiolovulneratus fuit: ad quē vocatus ipse, per chirurgum præsentem tentatum specillo vulnus fuit, quod longē penetrabat: tunc turunda albo oui excepta, intromissa est, & desuper applicita stupæ eodem albo oui intinctæ, in cuius circuitu oxycrato imbutus pannus lineus admouebatur: sed tūc illi basilica lateris eiusdem secta fuit, & sanguis ad vncias quatuor extractus. Porro sequentibus diebus curatum, vt decebat, vulnus, multum puris ex eo fluebat: & plus quàm pro vulneris ratione decebat: qua de causa vulneris ipsius oram secundum costarum incessum digiti longitudine aperire feci, vnde vulnus penetrans non esse conspeximus: & tūc puris fluxus cessauit, adeo vt breui vulnus cicatricem obduxerit, & puer à tanto malo liber & immunis euaserit, ebiberat autem antea

puer ex manna phar-

macum.

AMATI LVSITANI
De febre erratica in quartanam
degenerante,

CVRATIO XXXVIII.



Rientalis mercator bonæ habitudinis iuuenis, tepidiori & frigidiori facto aëre febrib' erraticis, id est nullum ordinem seruantibus, affligi cœpit, quæ postea in quartanam degenerarunt: huic quum brachij secta esset vena, & sanguis vt tauri crassus extractus, optimo seruato victus ordine syrupos dedimus, ac secunda quartanæ accessione pharmacum hoc propinauimus, à quo liber & sanus factus fuit. Cæterum quum in Græciam postea iret, in eandem quartanam recidit: opus autem erat meatuum & lienis obstructions exactè reserare, sic autem pharmacum ab eo potum habet, R. Electarij de senē vnciā mediam, diaphiniconis, electarij eleusoph añ. drachmas duas, syrupi de epithymo vnciam vnā, in decoctione sene, quantum sufficit, misce, fiat haustus vnus: quem in aurora tepidū bibat, & desuper dormiat.

De ventris dolore, ob durum
retentum stercus,

Curat

CV RATIO XXXIX.



Mercator, cui vétris ingens erat dolor, & pro eo propulsando, clysteres plures pararunt, & absq; fructu & profectu iniecerunt: quum ad eum perueni, ex oleo communi ad manus habito, sed parum tepente illico nulla interposita mora clysterem parare feci, & immittere: sed interea dum clyster hic parabatur, clysteres emolliēdi vim habentes concinnabantur, dein potētiōres: habent autem emollientes clysteres sic, *℞.* Maluæ, branchæ vrsinæ, foliorum caulis, betæ, añ. manipulum vnū, seminis lini, scēnugrēci, añ. pugillum vnū, caricarum numero quindecim. In aqua fiat decoctio, facta colatura, *℞.* Prædicti decocti libram vnam & mediam, cui adde butyri, olei seminis lini, mellis rosati colatitij, ana, vncias duas, salis drachmam vnam, Misce, fiat clyster. Clysteres verò acres ita habent, *℞.* Centaurij minoris, camepytis, camedreos, añ. manipulū vnū, seminis cartami, vrticæ, ameos, syleris montani, añ. vnciam vnam, ficuum pinguium numero duodecim, in lixiuio leuiori fiat decoctio, *℞.* Prædicti decocti vncias quindecim, mellis rosati colatitij, olei rutacei, añ. vncias duas, diaphiniconis v-

AMATI LVSTITANI

vnā, trochiscorum alandaal script. duos,
vitelli oui numero duos, salis drachmam
vnā & med. Misce, fiat clyster. Cæterum
exterius eius aluus vnguento de Agrippa,
& althææ inungebatur, & sanatus est.

De febre continua excrescētias habēte,

CVRATIO XL.

PAndolphus iuuenis nobilis An-
conitanus literis operam dans,
quum Patauio Anconam redi-
ret, in febrim incidit, & eā qui-
dem biliosā, malignā, ex genere earū
quæ nunc publicè grassantur: nam quum
semper affligit, à meridie tamen grauius
corripit, adeo vt æger noctu non dormiat,
neque quiescat, cum quibus aphthæ in gut-
ture apparuerunt, vt omnibus ferè nunc
febrientibus euenit: hic quum secta illive-
na esset, & sanguis extractus, & syrupos
acetosos & refrigerantes ebiberet, ac de
aphthis, hoc est oris vlceribus cura habere-
tur, pharmacum ante septimum ebibit, &
optimè egeffit. Cæterum septimo die ri-
gor huic paruus superuenit, quem febris
consueta sequuta fuit: pro qua abigenda
syrupos aperiendi meatus, & recludendi
oppilationes cum quadam refrigerandi
vi concessimus: properabat aut autūnus:
habent

habēt autem fyrupi, vel potius apozemata, sic, R. Ra. hichm endiuia. buglossi. borraginis, petroselini, añ. vnciam vnam, tamarindorum, folliculorum senę, liquiritie, ana, vnciam mediam, prunorum pinguium, numero duodecim, hordei integri libram mediam, florum borraginis, buglossi, cicoreę, añ. vnciam mediam, seminis mellonis, cucurbitę, citrulli, añ. drachmas sex. In libris septem aquę fiat decoctio, quousque maneant librę quatuor: facta colatura, adde fyrupi Bisantini completi, hoc est cum aceto, de cicoreę cū rhabarbaro, añ. vncias tres, Misce fiat apozema: de quo singulis diebus in aurora ieiuno stomacho septem vel octo vncias bibat, & desuper dormiat: exterius verò venter vnguento de oppilatiuo à succis dicto inungebatur: cuius descriptionem prioribus Centuriis descripsimus. Porro pro renum dolore, quo maximè cruciabatur, vnguentum Galeni, dictum ceratum refrigerans Galeni: aut album Galeni paratum fuit, quo inungebatur. Huic vinum per totum hoc tempus abnegatum fuit, post septem tamē dies pullorum carnes concessimus, duodecimo verò die ab ingesto syrupo rosaceo solutiuo cum aqua endiuia, in qua rhabarbarum per noctē maceratum

AMATI LVSITANI

fuit, quæ purganda erant, purgata sunt, & tandem decimoquarto sanatus est. Ori tamen ventriculi ob absumpta & morbum ipsum debiliori facto ceratum roborans scuti figura in panno cocco infecto extensum, applicitum fuit: & saccharum rosaceum cum speciebus diarhodonis abbatis ad aliquot dies ieiuno stomacho comedebat.

*De febre & varijs alijs affectionibus,
à calce & gypso euenientibus,*

CVRATIO XLI.



Rater illius qui gypsum parat, decem septem annorum, quum febriret, & de capitis dolore quereretur, illi ab ingesto clystere secta communis brachij fuit vena, & sanguinis vnciæ sex extractæ: victus verò ordine parato, & abstemio facto, post ebibitum syrupum acetosum quinquies pharmacum ex electariis bilem & pituitam respicientibus decocto sene dissolutis ebibit, & melius habuit. Postea verò nonnullis interiectis diebus in aurora ex diarhodonis abbatis, & trium fantalorum speciebus paratos rotulos, singulos singulas drachmas ponderantes gustabat, & desuper aquam endiuriæ bibebat: & paulatim conualescere coepit, donec integram consequu

sequutus est sanitatem. Cæterum qui gypsum parant, maiori ex parte phthisi affecti moriuntur, quia caput nimia siccitate à gypso contracta debile & imbecille fit: unde quæ concoquere debuerat, non concoquit: & quæ retinere, non retinet: quo factum est, ut materia ad subiectas corporis parteis decidat: veluti hodie cuidam ex iis euenit: nec minus hoc contingit iis, qui calcem parant, ut viro illi robusto, qui ad caput mortis agit. Sed mulier quæ ignitas prunas vasculo super caput ex vitri fornace portare solebat, in epilepsiam lapsa est: quam diu iam est patitur: resolutum namq; est capitis innatum calidum: unde ipsum imbecille & frigidum redditum, hoc malum facile incurrit.

De uarijs affectionibus melancholicis, simulq; de pugnantis temperamenti uarijs in membris,

CVRATIO XLII.

QUum superioribus diebus quidam ex integerrimis amicis meis, qui nunc Romæ miserrimè agit permittente Deo omnium rerum maximo scrutatore, mecum fortè incederet: ille, ut peritissimus, & rerum novarum auidissimus, ita quum prope officinam

AMATI LVSITANI

quandam librariam vnà essemus, non-
 nullos intuetur libros, quos euoluens, Ga-
 latini opus cōtra Hebræos offendit, opus
 me hercle elegans, & eruditionis refertū:
 de cuius operis argumento quum inter
 nos sermo esset, fortè venit illuc Azzarias
 Mantuanus Hebræus, & Hebraicis & La-
 tinis literis apprimè instructus: qui ter-
 tius factus comes iudicium suum de ea re
 interposuit, ad duos præcipuè Iesuos faciē-
 te, quos Galatinus in operis frontispicio
 introduxit, vt magnum illum Reuchinū,
 Capnionem dictum, eo tempore carceri-
 bus obstrusum liberaret, à calumniaque
 defenderet. Caterum post longum de iis
 rebus inter nos tres habitum sermonem,
 rogat me Azzarias, digner illi consilium
 præstare meū pro sua recuperanda sanita-
 te: diu enim erat quòd multis & grauibus
 affectionibus affligi cœperat. Ego verò vt
 omnibus paratus, ita lubens prouinciam
 suscepi, non solum verbo respondēdi, sed
 chartis ea dandi, quæ ad salutem suam fa-
 ciunt. In primis igitur se offert hic graci-
 lis, macilentus, sicca scabie per vniuersum
 eius corpus diffusa, facie subcitrina, ætate
 triginta quinque annorū, caliditate quadā
 extranea correptus, vt mihi tunc non ad-
 modum difficile fuerit prælagire eun-
 tissi

tissimè in morbum habitum (hecticam
Græci dicunt) lapsurū, ni rectè & citò ma-
nu curaretur docta. Secundo rem cuncta-
tius aduertens, nosco hūc caput imbecille
habere, à quo continua fit ad pectus & a-
lias corporis subiectas partes destillatio.
Tercio inest huic excedens in iecinore ca-
lidity, pro qua propulsanda dissidium
quum inter medicos ortū fuerat, post lon-
gam medicamentorum exhibitionē num-
is mittendus esset ad thermas acharias, vel
potius ad calderias, in qua altercatione
præualuit Panitius Mantuanus, vir medi-
cus doctus, qui cum ad balneas calderias
ire consuluit: quarum potu, vtpote cōstrin-
gentiū & refrigerātium (per ferrū nāque
scaturiunt) iecinoris excedens caliditas
paululum repressa fuit, sed lien constipa-
tus obstructusq; cum canaliculis, & meatibus
ciborū ductioni inferuentibus man-
sit, adeò vt paucis interpositis diebus in
quartanā inciderit, qua annum ferè labo-
rauit: neq; enim ignoro ferri aquas (vt me-
dicis placet) lienis minuendi vires posside-
re, quum & hac dote ab eis obstructio fa-
cta est, per accidens tamen. Quarto, lien
omnino obstructus cum quodam hypo-
chondriorum murmure & rugitu est.
Quinto, huic ventriculus est debilis, adeò

AMATI LVSITANI

ut non rectè cōcoquat, nō eo tamen ut in-
 putidos, & ouum referentes incurrat ru-
 ctus: sentit tamen eius decliuem partem
 sæpe frigidam. Sexto, plerūq; in famem is
 incurrit caninam tam noctu quam diu. Se-
 ptimo, huius insomnia melācholica sunt,
 & cogitationes melancholicæ. Octauo, pe-
 ctoris coarctationem habet, quæ non eo-
 dem tenore semper affligit: vix enim ali-
 quando respirare valet, aliquando tamen
 facilem spiritum tenet. Nono, multum vi-
 gilat, parum quiescit, tametsi quandoque
 in carum, hoc est somnum profundiorē
 deueniat. Decimo, persæpe dormiēdo an-
 gitur, & præmitur magnis & difficilibus
 cordis pressuris, potissimum quādo supra
 sinistrū decumbit latus: à quibus affectio-
 nibus non nisi magna & animi & corpo-
 ris cōcussione expergefieri valet: nā tunc
 expergefactus magnam membrorum las-
 situdinem contractionemque per sentit, &
 anhelitus attractio difficilis & grauis fit:
 quæ omnia remittuntur quibusdam ructi-
 bus, gemitibus, & lacrymis, nō minus quā
 per lotij magnam insuetam excretionē,
 quod lotium in hoc morbo semper lucidū
 citrinum, vel aqueum subtile conspici-
 tur. Hæc enim sunt affectiones & sympto-
 mata, ac pugnantia variorum membro-
rum

rum temperamenta, quibus hic premitur; Hebræus: pro quibus profligandis causam unde fluxerunt paulisper inuestigare licebit. Hebræi natura sua omnes fere atrabiliarij sunt, quod potissimum euenire multis de causis auguror: prima quia captiui, unde timidi & mœsti fiunt, & consequenter atrabiliarij, iuxta Hippocratis in Aphorismis sententiam: Si timor atq; mœstitia longo tempore habentes perseuerent, ex eo atra bilis significatur, tū quia studiosissimi sunt omnes, & Dei Opt. Max. legi dediti, quibus faciūt, quod Hebræi eduliis atrabiliosis vesci consuecunt: præsertim Itali, qui anseribus, bubula exicata fumo, anatibus, leguminibus, & multo salito caseo vescuntur: nō minus artocrea, id est carne mazza, incrustata carne, ciceribus & leguminibus discocta, lentibus, oliuis, carne salita, & aliis variis & multis atram bilem gignentibus: proinde omnes Hebræos atrabiliarios esse in cōfesso est. Non igitur à consortio eorum eliminabitur Azzarias hic, quum præter cætera studiosus sit, & rei medicæ quoque operā nauet: quibus adstipulantur corporis gracilitas, venarum exilitas, thoracis structura: quæ omnia temperamentum atrabilia-rium attestātur. Quū igitur atrabiliaris

AMATI LVSITANI

hic fit, & in eo bilis atra vigeat, facile inclinabitur animus diiudicare morbos citatos ortū ab atra bile habere, quod an ita sit, eorum vnumquemq; inuestigando experiemur. Et primo se offert corporis gracilitas, quæ dubio procul arguit humoris siccitatem, & innati calidi resolutionem, vt corpus frigidum & siccum dicendū sit: neque minus sicca scabies id testatur: quū quia à sicco proficiscitur humore, sicca euadit: accedunt iis, vt nonnulla postea dicenda prætereā, quod quia humore abundabat melancholico, ita facile in quartanam lapsus est. Huius cæterum atræ bilis quum sensit receptaculū, facile ad imā ventriculi partem eam mittit, quæ suis qualitatibus frigidam reddit, aciditate verò & constrictione famem intensam incitat, illam præcipuè quam caninam appellamus. Sunt quoque huius insomnia melancholica, & cogitationes melācholicæ, quæ atram bilem in totum arguunt, vt ex Galeno in eo libro cui titulū indidit, Quod animi mores sequuntur corporis temperaturā, percipimus: veluti ex ipso, & Hippocrate, libellis De insomniis. Cæterum ob huius humoris à capite ad intercostales musculos descensum pectoris fit coarctatio, & consequens difficilis respiratio,

qui

qui quum siccus & aridus potentia sua sit,
 vigilias efficit. Incidit tamen hic nonnun-
 quam in profundum somnum, ob aggera-
 tam pituitam, ab inconcoctionibus assidu-
 is ortam: nouistis autem somnum & vi-
 giliam ab actiuis potissimū euenire qua-
 litatibus, vigiliam à caliditate, somnum
 à frigiditate, vt Galenus libro secundo A-
 phorismorum enarratione tertia, & libro
 tertio De locis affectis capite quarto pro-
 pe finem testatur: secundario verò à passi-
 uis qualitatibus, humiditate, & siccitate,
 ab humiditate somnus, à siccitate vigilia.
 Primas igitur obtinent in somno & vigi-
 lia actiue qualitates, secundas verò passi-
 uæ: quod sic obiter dictum velim ob quos-
 dā morosos medicos & philosophastros,
 qui secundum Galenum somnū & vigiliā
 à siccitate & humiditate potissimū fieri
 contendunt, quod tamē falsum esse ex di-
 ctis liquidò euadit. Quum is igitur som-
 no profundiori detinetur, in angustias,
 & cordis pressuras deuenit: potissimū
 quando supra ipsius cordis accumbit la-
 tus: humor etenim hic atro suo colo-
 re principalium virium sedem obscurat,
 & tenebris similem reddit, vt Asclepiadi
 primo placuit, & Galeno illi subscriben-
 ti libro tertio De symptomatum causis,

AMATI LVSITANI

& eiusdem numeri libro De locis malè affectis capite quarto: vnde cordis angustia, & grauis ac difficilis totius corporis compressio fit: neq; enim hac in re Auerrois oblatrare desijt Galeno & antiquioribus contradicēdo: quum prædicta symptomata non ob atrum colorē, sed ipsius humoris substantiam euenire alta mente contendit. Difficulter autē, vt prædixi, ab iis symptomatis, & non nisi magna cum corporis & animi agitatione hic euigilat, neque minori ac difficiliore anhelitus attractione, que omnia subleuātur & minuuntur quibusdam superueniētibus ructibus, lacrymis, & suspiriis: humor enim agitatius subtiliatur, & in atros vertitur fumos: qui in stomacho & corde retenti, per suspiria & ructus postea deponebantur, nō minus quā ipsius humoris altera pars ad caput ascendens, quæ ad oculorum angulos & locellos iuxta illos positos transmittitur: vnde postea concussione ingēti illa facta per lacrymas excutitur: sicuti illa altera ad vesicam transmissa, quæ per lotium excernitur, non nisi magna quātitate: quibus expulsis, tanquam deposito onere, leuior sentitur. Conuincitur ergo ex iis dictis affectionibus, tam morbis quam symptomatis atram bilem vigere & in isto do

dominium habere. Sed quænam atra bilis hæc est, scitu iustum est. Atra bilis alia est naturalis, quæ sanguinis crassior pars est: & ita in illo se habet, sicut pars casealis in lacte, vel amurca in oleo, aut fex in vino: dicitur verò hæc propriè humor melancholicus, vel succus melācholicus, aut sanguis melancholicus, nō verò rectè atra bilis, vt testis est Galenus libro tertio De locis affectis, & aliis variis locis. Huius ceterum humoris dotes sunt, vt sanguini mixtus, illi vim robur ac crassitiem impertiat, & per eum sanguis extrauenatus crescat. itē vt sanguini mixtus nutritioni singulorum membrorum deseruiat, eorū præcipuè quæ pro sua temperatura idoneam huius humoris portionem exposcunt: cuius excrementitiā partem lien ex iecore attrahit, & ea nutritur, & foneatur, eam primo subtiliando & minuendo: ita vt subtiliori nutriatur succo lien quā ipsum iecur, vt alias prolixius dixi. Hic igitur humor, vt Galeno placet libro quinto De vsu partium, ventriculo etiam conducibilis est: quia quum acidus sit, ventrē intendit, & in seipsum contrahit, & comprehendere cibos exquisitè cogit, & retinere quousque plenè coquātur. Porro ambo humores ij, tam qui cum sanguine est,

AMATI LVSITANI

quàm excrementitius dictus, frigidi & siccissimi natura sunt, sapore pontico, colore atro, à frigido diminuto effecti. Sunt igitur, ut in summa dicam, naturalis atræ bilis siue naturalis melancholiæ species duæ. Non naturalis verò atræ bilis species plures comperiuntur: Altera, quæ per duarum naturalium dictarum vstionem & putrefactionem fit, & calida admodum, acris & mordax est: eo discrimine à naturalibus differens (ut refert Galenus libro secundo De facultatibus naturalibus prope finem) quo sæx vsta à non vsta dissidet. Sed aduerte, quod quando dicimus naturales duas illas species melancholiæ per vstionem innaturales fieri, nolumus intelligere humores hos in vltimum vri, ac in cinerem penitus verti, quum & liquidi & fluidi adhuc vsti maneant: sed dicuntur à nobis adusti, quia substantiam ipsam crassiore, & minus fluidam cum maxima exiccandi potentia acceperunt: est igitur prima hæc atræ bilis innaturalis species, quæ per duarum naturalium vstionem fit. Altera verò est, quæ per bilis affationem oritur: ex flaua autem bile, vitellina fit: ex vitelina porracea: ex porracea æruginosa: demum ex æruginosa atræ bilis euadit omnium perniciosissima: & tanto priori specie malignior, quanto bilis succo

co melancholico est acrior, & acutior: humi enim sparsa atra bilis hac suo acumine terrā radit, quandāq; cū bullis veluti fermentationem, ebullitionemq; excitat: ex qua mania fieri solet ferinis cum sympto-
 matis: nam corporis particulæ quæ ad- hærescit, sua crassitie eam arrodit, exul-
 cerat, ac in perniciem semper trahit. Ter-
 tia species atræ bilis ea dicitur, quæ per san-
 guinis putrefactionem, & assationem gi-
 gnitur: quum enim sanguis supra modū
 assatur, eius pars subtilior ac pinguior om-
 nino in flauā conuertitur bilem: quæ autē
 crassior, in atrā, vt meminit Galenus libro
 secundo De differentiis febrium, & alibi
 sæpe: veluti Auicenna libro sui Canonis,
 & libello canticorū. Ex isto autem sangui-
 ne supra modum efferuescente & in atræ
 bilis humorem transmutato anthraces,
 carbunculi dicti, fieri semper solent. Ita au-
 tem hoc loco accipi volo atræ bilis humo-
 rem (inquit Galenus citato loco capite no-
 no) vt qui nondū exquisitè in atræ bilis na-
 turā trāsierit, sed in quodā sit cōfinio con-
 stitutus, Ceterū hanc ex sanguinis vstione
 genitā atrā bilē Galenus libro secūdo Præ-
 dictionū mitiorē esse ea, quæ ex bile vel a-
 tro succo est genita, fatetur: nō me latet ta-
 men in præsentī Paulū Aeginetā atræ bilis

AMATI LVSITANI

duas tantū signasse species, vt apud eū quis legere poterit libro quarto capite De elephantiali, quo in capite, vt obiter hoc dicā. Paulus ipse, bona Guinterij Andernaci eiusdē interpretis venia dixerim, nullā Aetij Cappadocis mentionē fecit, sed verius Aretæi Cappadocis, cuius opus superioribus diebus Pauli Crassi Patauini, viri doctissimi & elegantissimi diligentia Latinum legimus. Sed iā ad atræ bilis species redeuntē dicamus, quod à pituita atræ bilis fieri nequit, vt Rabbinus Moses in suis Aphorismis, ex Galeno commentariis De flatibus primo testatus est, & Ferrariēses postea memoriæ commendarunt: id quod ita esse nos nunc ex Galeno indicamus libro tertio De locis malè affectis, capite de melancholia: vbi pituitam non efficere melancholiam tradit, inquit: Quæ verò à pituita parta est, in aliam affectionem, de qua paulo post dicturus sum, permutatur: melancholiam verò haud quam efficit. Tu verò Galeni verbis adde, non solum melancholiam morbum, sed etiam humorem melancholicum: Auicenna tamen ex pituita atram bilem fieri minimè dubitat, vt ex eo Fen prima libri primi sui Canonis conicere licet: sed re, inquit, vera pituita ipsa non adeo affari

affari potest, vt in atram vertatur bilem, tametsi ex falsa pituita putrefacta effervescentēve humor quidam atram bilem sapiens sæpe fiat: non quod atra bilis verè dicenda sit, sed quia in quodam atræ bilis confinio constitutus reperiatur: ideo humor hic atra bilis dicitur, à quo affectiones cutaneæ præcipuè, & aliæ variæ sæpe pullulant, eueniuntve. Iis enim præscitis propositæ quæstioni huic, Quæ nam atra bilis in isto Azzario potissimum vigeat, respondemus, Succum atrum naturalem, sua quantitate peccasse. Cæterum temporum successu venarum obstructionibus, & iecinoris caliditate extranea obortis, prædictus ater succus aliquantulū exustus est, adeo vt frigiditatis loco, caliditas fuerit introducta: non adeò tamen acris ad quā siccitas ingens & duplo maior, quàm antea erat, superuenerit: ab hac igitur atrabile, vt morbi & symptomata dicta originem traxerunt suam, ita quoque in hypochondriis rugitus, & murmura fiebant, vt parum fuerit dicere, hunc hypochondriacam pati affectionem. Huius verò atræ bilis continuus ad cerebrum ascensus caput debile reddidit, adeò vt coquenda minimè concoquat, & assimilandā minimè sibi assimilet, imò quæ retinere de-

AMATI LVSITANI

buerat, non retineat: quo factū est, vt destillatio continua ab eo in subiectas corporis partes fiat: qui sanè affectus, & si primo symptoma erat, nunc tamen ob contractam morā, in qua introducta est mala intemperies, morbus dicendus est: imò si verè loqui volumus, tanquam cæterarum affectionum fomentū haberi debet. Nūc demum post harum affectionum omnium causas inuestigatas ordinem quem pro hoc Hebræo ab eis liberādo seruauimus, prosequemur. Primo à rebus non naturalibus ordiendo. Aër, in quo hic versabatur, ad aliqualem frigiditatem cum humiditate notabili declinabat. Porro postea à nebuloso & caliginoso fugeret, quo maximè Mantua & Ferraria abundant, monui. Cibus huic oblatus boni erat succi, & facilis concoctionis, & paucarum superfluitatum, non inflatiuus, nō obstructiuus: sed qui cum frigiditate temperata humiditatem substantificam multam habeat. Panis igitur albus leuis, & bene pistus, paucō semine cari ad extinguendos flatus respersus erat: non minus ac ille qui Veneriis in publica Germanorum domo parari solet: eum tamē pro posse ab azymis abstineret, monui: si per religionē tamen paschatis tempore ab eis fugere non posset, eos

set, eos saltem saccharo & ouis parare iuberet, dixi, quia iis faciliores & leuiore euadent. Carnibus vescebatur pullo-
 rum gallinaceorum, eunuchorū gallo-
 rum, hœdi, vituli & veruecis. Porro car-
 nes frigidiusculas fugeret, quas Iudæi co-
 medere affluescunt, in totum consului, ve-
 luti bubulas, & fumo exiccatas, & nimio
 sale conditas, non minus ac carnes anserū,
 anatū & similium colūbos verò nondum
 volantes admittebam, sed conturnices &
 turtures in hoc casu respuebam: veluti ca-
 seum salitum, & ex eo parata edulia, inter
 quæ numerare est, quod Calabri ex eo &
 mazza concinnant, & sua voce macatro-
 nes appellant: Latiniore verò turundas,
 siue ex mazza turundas: panatellā com-
 munem vel ex iure carniū, aut alicuius
 alitis paratam concedehamus, & illam
 quidē paucissimo vel nullo aromate cō-
 positam. Olera, quibus carnes coqueban-
 tur, & per se quoque coqui solent, sunt bu-
 glosius antiquorū, nostra dicta borrago,
 fircion, id est vulgaris buglossia, endiuia,
 cicorea, rumex hortenſis, spinachia vulgo
 dicta, atriplex, oſus aureum dictum: qui-
 bus addimus, blitos non ita insipidos, ut
 eos antiquitas faciebat, lactucam, petrose-
 linum vulgare, & huiusmodi alias her.

AMATI LVSITANI

bas. Ex fructibus vuam penfilem concedebamus, ficus optimè maturos, vuā passam Corinthiacam, amygdalas, & pistatiam, non minus quoque melopepones, vulgò melones dictos, quos hodie inscij iniuste detestantur, credentes pepones, melones esse: apud Gal. lib. De aliment. facult., quibus & choleram morbum gignere, & varia alia mala creare posse Gal. ipse tribuit. Sunt tamen, vt alibi dixi, pepones apud Gal. hodie citrulli officinis aromataris dicti, multis & variis verrucis ornati, quos Hispani Græca seruata voce pepinos vocamus: melopepones verò ab eodē Galeno sequenti capite descripti, vulgati melones sunt, fructus sanè optimus, & laude multa dignus: non solum huic morbo cōueniens, sed biliosis omnibus, vt Alexander Tral. capite de tertiana doctè admodum notauit. Legumina in totum respuimus, præcipuè lentes, & fabas: quandoque tamen cicerum ius gustabat: oua recentia multum laudabam, modò tremula & mollicula comederet, à duris verò & frixis omnino abstinebat. Pisces in hoc casu multum laudabamus, præcipuè petrosos: hoc est inter petras & locum arenosum semper ferè natantes: vt sunt buglossi, muli, trocta, ab Ausonio in Mosela, salar dicta,

eta, & iis similes, quos aqua coctos, aut su-
 pra craticulam assos, potius quàm oleo
 frixos admittebamus. In victu porrò talis
 seruabatur ordo, quòd prandium cœna
 maius semper erat: itē quòd à victu con-
 ditum diacydoniten ex saccharo semper
 gustabat, sigillandi stomachi gratia: item
 vt fumos ad caput ascendere impediat:
 cuius vice ex pyris saccharo quoque pa-
 ratum conditum veniebat: veluti corian-
 drum saccharo incrustatum: interdium ve-
 rò ex tragematis & bellariis huic conce-
 debamus pyra saccharo condita, præcipuè
 moschata, lactucæ cauliculos saccharo
 quoque paratos, radices buglosi saccha-
 ro quoque concinnatas, Martij panes, pi-
 nosaccharatum, semina melonis saccharo
 apparata: & iis varia alia simillima. Potus
 huic vinum album, leue, oligophoron di-
 ctum erat: aliquando verò hordeacea di-
 lutum, quandoque verò communi frigi-
 da: hac tamen conditione & lege, vt ita
 parcè biberet, ne cibum potus superaret,
 & ipsum fluitare faceret. Sõnus talis per-
 mittebatur, vt nocturnus longus, quoad
 fieri posset, esset: nam diurnum fugeret,
 præcipuè meridianum commendabam, ni
 nocturnus antea interruptus esset, aut ex
 toto ablatus, qui maiori ex parte super

AMATI LVSITANI

dextrum latus fieri debet : & super illud
 æger accumbebat : quia quum super fini-
 strum iacebat illico symptomata dicta,
 præcipuè cordis pressuræ, illi veniebant.
 Hic annectere est studium nocturnum,
 quod tanquam malum & naturæ contra-
 rium, omittendum est: turbationem enim
 grauem & difficilem corpori infert: sece-
 dunt quippe spiritus in nocte ad interio-
 ra, qui ad exteriora ob studij violentiam
 & conatum pelluntur, vnde grauis confur-
 git contrarietas corpori malum afferens
 magnum: diurnum verò à cibo duabus ad
 minus elapsis horis toleratur, & illud qui-
 dem circa res faciles: difficiles enim toto
 indigent homine. Concubitus, siue cum
 vxore congressus talis erat: vt post eum
 hilaris, & leuior euadebat, ac sic non nisi
 per interualla eum exercebat. Motus post
 alium exoneratam, & cætera quæ à poli-
 tico homine peraguntur, manè comita-
 bantur: erat verò leuis, suavis, fatigatio-
 nem minimè inducens: post quem disci-
 pulis suis lectionem suauis voce perlege-
 bat. De repletionem & euacuationem infe-
 rius dicemus. Huius tamen gracilitas de-
 pelli minimè potest, nisi sanguinis optimi
 copia de nouo fiat, quæ non nisi à bono &
 multo nutrimento fieri potest: proinde
 curam

curamus, & summo studio solliciti sumus, ut quum maciem ex isto exuere tētamus, eum ne in deteriores, & sēuiores morbos trahamus. Iram, tristitiam, mœrorem, & ceteros huiusmodi animi affectus pro posse fugeret, suadebamus: sed magis vitam degeret in gaudio, lætitia, & animi tranquillitate: quæ dubio procul multum ad sanitatem conducunt. Iis autem in ordinem dispositis, & variis aliis quæ illis facere videntur, curationem sic auspicati sumus: & primo quum humor peccans atrabiliaris sit per vniuersum redundans corpus, vniuersali euacuatione ut ipsum deponamus, opus est: quæ (vel Galeno teste) nulla excellentior sit, quàm quæ per sanguinis extractionem adhibetur: At, quia corpus hoc aridum est & debile, ut sanguinis missionem per venæ sectionem in cubito ferre non posset, ea de causa illius vice hirudines ani venis, quas hæmorrhoidales appellamus, affigi fecimus, per quas ater hic humor euacuari solet. Admotæ igitur sunt hirudines duæ: quæ postquam infartæ, & multo repletæ sanguine fuerunt, sua sponte deciderunt: post quarum decidentiam sanguinem ex apertis venis fluere permisimus: si quando tamen sanguis plus iusto ex illis effluat, ut sæpe fieri

AMATI LVSITANI

solet, earum oscula facile occludimus luto, aut carbonis puluere, aut aranearum tela, aut gypsi puluisculo, vel albo oui cōstringentibus pulueribus mixtis, & stupis vel linteis exceptis. Cæterum, quia humor hic per hanc tantum euacuationem ex toto depelli nō fuit possibile, altera vti opus fuit, ea præcipue quæ per medicamenta perficitur: quæ medicamenta, quum vir hic debilis & imbecillis sit, & in eo materia calida & sicca, leuia sint & frigida humidique, aut non multum calida decet. Item quum hæc medicamenta melius referatis meatibus, per quos eici humor debet, euacuabūt, iuxta Hipp. in Aphor. Corpora quomodocūque quis purgare voluerit, fluida facere oportet: nōnulla prius vires habentia aperiendi, incidendi, & referandi, præmittere opus fuit. At quum vt plurimum, nimium hæc sint calida, temperatis, & iis quæ à ciborū natura non multum distant, & ad rem faciunt, pro posse vti sumus: ex quibus multis pauca hæc citata veniunt, syrupus de fumo terræ, herba, quæ (testante Aetio) in febribus tuto dari potest: nam & melancholiam respicit, & iecinoris obstructions sanat, multasq; vrinas prouocat: cum quibus & ventris emolliēdi vim habet, & ventriculum

robor

roborandi, vt Galenus ex idiota didicit, syrupus de lupulis, syrupus de borragine, syrupus de buglosso, syrupus de pomis, decoctum senę, syrupus de radicibus, qui cum additione de duabus radicibus sine aceto appellitari solet: nam syruos acetosos in hoc casu semper despexi. Nos igitur ne ampliorem syruorum syluam citemus, ordinem habitum percurramus: & primo post hirudinum admotionem altero interiecto die bolum hunc æger deglutiuit: qui habet, *℞.* Floris cassiæ nouiter extractæ drachmas decem, pulueris anisorum drachmā mediam, cum saccharo q. suff. misce, & ante prandium duas horas cum deglutiāt: quo aluus optimè respōdit. Duobus porro interpositis diebus post boli assumptionem, syruos hos per sex dies ebibit: & ita habent, *℞.* Syrupi de fumo terræ, de borragine, de lupulis, añ. vnciam mediam, decocti senę vncias quatuor. Misce, fiat syrupus, quem in aurora bibat, & per sex (vt dixi) continuet dies: in fine quorū hoc illi propinauimus pharmacum. *℞.* Syrupi rosati solutiui vncias duas, syrupi de epithymo vnciam vnam, rhabarbari boni drachmam vnam & mediā, electarij de sene drachmas tres, decoctionis senę, vncias quatuor, Misce.

AMATI LVSITANI

fiat potus vnus, quē in aurora ieiuno stomacho tepidum bibat: tepida etenim medicamenta purgantia, vtpote laxātia, dari semper debent, quo purgāte sed leui medicamento venter optimē solutus fuit: & humores multi nigricantes & citrini euacuat: postquam euacuationem æger singulis diebus ex decem sequentibus, singulas decem vncias decocti sequentis bibe-
bat ieiuno stomacho: habet autem decoctum sic. *℞.* Radicū endiuia, buglossi, petroselini, añ. vnciam vnā, senæ vncias duas, polypodij, quercini recentis vncias tres, prunorum pinguium numero duodecim, passerum de Corincho, hordei, añ. vncias quatuor, pimpinellæ pugillū vnū, florum borraginis, buglossi, añ. vnciam mediam, in libris septem aquæ fiat decoctio, vt decet, quousq; maneant libre quatuor: facta colatura & expressione adde syrupi de cicorea cum rhabarbaro, de pomis saporis, bisantini sine aceto, añ. vncias duas, misce, fiat decoctum, ex quo in aurora ieiuno stomacho (vt dixi) ad decem vncias bibat, quo optimē aluus respondebat. Elapsis igitur decem diebus, in quibus decoctum hoc ebibit, eius vice singulis auroris singulas gubatas, siue scutulas plenas iuris capi optimi & pinguis,
vel

vel gallinæ similis cum paucō saccharo bibebat: & tunc interdum vnum vel alterum bolum ex cassia fistulari deglutiebat, & omniam membrorum nobis cura erat: & primo capitis, ob quod saepe cucurbitulæ scapulis siccæ admouebantur, & frictiones leuiore in ipsis brachiis & cruribus fiebant: imò per nares errhynis medicamentis caput ipsum purgabatur: sed interim iecur quoque ex hoc vnguento inungebatur. *℞.* Vnguenti santalini vncij. succi endiuie, cicoree, añ. vncij. olei rosacei vnc. vnā. & med. pulueris rosarum drachmam vnā: cum cera alba ad ignē paraunguentum molle, quo manē & vespere iecur illinatur: soleni quoque hoc vnguentum applicabatur, *℞.* Pulueris scolopendrij vncias duas, succi maluauiſci vncias tres, adidis anatis vnxiam vnā & mediam, aceti boni vnciam vnā, cum cera rubra & oleo capparum, quantum sufficit, ad ignem paratur vnguentum, & ex eo liene prius frictō inungatur. Sed ori ventriculi culcitram aromatizē referatam semper admotam habebat, quæ habet, *℞.* Cinnamomi, galangæ, garyophyllorum, mastichis, mascis, añ. vnciam med. ligni aloës drach. vnā, galliæ moschatae Mesues scriptulos duos, pulueris

AMATI LVSITANI

rosarum, absinthij, añ. drachmas duas, in zendalo rubro ad figuram culcitæ paratur, & serico fillo intercipiatur, cauendo tamen ne iecur attingat: nouistis autem iecur huic calidum supra modum esse, uentriculum uero frigidum: quorum membrorum pugnantia temperamenta magis exterius applicitis remediis, quam intus sumptis curari debent. Sed iis diebus quod alius responderet solliciti eramus: Item nisi thorax liber erat, errhyna medicamenta non admittebamus: timor enim erat de ipsius alicuius uasculi ruptura. Tunc uero repetitis à nobis dictis ad balneum eum traximus: quod ex aqua Padana parabatur, in qua decoctæ erant rosæ, althææ radices. sene folliculi, camomilla, melissophyllon, malua, & similia: & in eo per horam ferè morabatur, quia eo delectabatur: post quod absterfo corpore, caput excipio, quod meis monitis aqua non attingebatur, oleo tum amygdalarum dulcium inungebatur, ut membra humecta euaderent propulsata extranea ariditate. Protracta autem cura hæc est ad quatuor menses, intra quos pancreaticè ualuit: nouistis autem vos, longos morbos longa indigere curatione: ite, quia similia corpora, ut suadet Gal. libris Methodi medendi, per

epicr

epicrasiam tractanda sunt. Est autem per epicrasim corpus curare, ex eo paulatim noxium & peccantem humorem demere, & eius vice optimum per nutrimenta conuenientia paulatim quoq; introducere. Vtebatur autem hic sæpe saccharo borraginato ex Neapoli aduecto, veluti radicib⁹ buglossi saccharo paratis, quãdoq; verò conditis, & mixturis, vt sequenti: *R.* Quatuor conseruarum cordialium, ana. \mathfrak{z} .j. specierũ diarhod. Abbatis, \mathfrak{z} .j. specierũ trium santal. script. ij. margarit. præparatarum 3. med. ligni aloës, persicis calambuci dicti, script. j. foliorũ auri fini, num. iiii. cum syrupo de pomis, quantũ ad mixtionẽ sufficit, fiat cõditum mixtura dicta, & folio auri in auret.

De febre continua simul cum dysenteria affligente,

CVRATIO XLIII.



Vir probus, qui ad viam falsamentariorum prope forũ magnum habitat, continua febre simul cum torminibus, hoc est fluxu dysenterico corripit: erat autẽ iuuenis hic robustus, temperatura sanguineus, lotium crassum & rubrũ habens, pulsum verò latũ, crassum & robustũ: cui occurrẽs morbi die secundo iecorariam dextri bra-

AMATI LVSITANI

chij aperire feci, & sanguinis vncias octo fluere: à qua sanguinis missione intestino- rum dolores minui cœperunt, sed fluxus omnino perseverabat, contra quē clyster sic paratus fuit, R. Aquæ hordei vncias quindecim, olei rosacei vnc. iij. oui integri bene contusi, num. j. Misce, fiat clyster. Cæ- terum cibus huic ptisana erat, aut ex pulli iure parata panatella, adiecto semper bo- lo Armeniæ optimo, quem verā Lemniam terram esse aliās tradidimus. Altero verò elapso die, hoc est tertio post morbi initiū iterum sanguinis vnciæ sex extractæ fue- re, & clysteres constringendi vires haben- tes, ex seuo hircini injecti, ac ori ventricu- li emplastrum diaphinicon applicitum, in quo, vt obiter hoc dicam, quum concinna- batur, sorba immatura palmularum im- maturarum vice iniiciendas mandavi: sed parti inferiori ventris inunctio ex vnguē- to de corticibus castanearum dicto, fiebat: & potus vice aqua hordei chalybeata ve- niebat, quibus omnibus multum semper egerebat, tametī in aurora singulis dieb⁹ syrupū myrtinū, & rosaceū ex rosis siccis dictis confectum, aquis plantaginis, & sti- pitum rosarum dilutos, bibebat: neque mi- nus in nocte ad somnum conciliandum syrupum de papauere aqua lactucæ dila-
tum

CVRAT. MEDICNI. 250

tum deglutiebat, septimo tandem die etiam fluxu perseverante, vires utcumque constabant, ac tunc egrotati sequens pharmacum illi concessi. \mathfrak{R} . Rhabbarbari optimè pisti drach. j & mediam, diacatholiconis 3. sex, antidoti Philonis 3. j. & med. In aqua plantaginis, misce, fiat haustus vnus, & capiat in aurora, & desuper pro posse dormiat: quo quater excreuit, & fluxus ferè continuus restrictus est: & deinceps conualescere cœpit, donec integram consequutus est sanitatem. Cæterum ab hoc purgationis die ægrotus hic pullorū carnes aillas pulvere boli Armeniæ & vtriusque coralli resperfas, gustare cœpit, & vinum rubrum ex Aulone, sapore austerū ebibere: fuere autem omnes ægritudinis dies decem.

SCHOLIA.

Febre & dysenteria simul inuadentibus venæ sectionem, non tantum semel, sed bis fieri admittimus, neque obstat id, quod Galenus lib. Artis curatiua ad Glauconem tradit: quum, & aliâ dixi, huic curationi non aduersetur.

De stomachi subuersione, nausea, et
podagra simul affligentibus,

CVRATIO XLIIII.

AMATI LVSITANI



Illustrissimus dominus Vincen-
tius de Nobilibus Iulij tertij
summi Pontif. ex sorore nepos,
& cui olim methodum & verā
regulam tradendi decoctum radice syna-
rum pro eodem Iulio tertio Pont. max. di-
caueramus, nunc demum, vt olim nephri-
tide & podagra, ac aliis affectionibus labo-
rare solebat, ob exercitia solita derelicta
in easdem affectiones cum stomachi ma-
xima subuersione recidit: quæ ex destilla-
tione à capite in subiectas corporis partes
ueniebant: rarò autem podagra quæ à ca-
pitis destillatione euenire solet, vnde rectè
(mea sententia) Hippoc. in epist. quam ad
regem Antigonom scribit, caput malè af-
fectum omnium morborum originē esse
dixit. Ad hunc igitur illustrem virum acci-
tus ipse, quem magnum, procerum, carnea
obesitate pinguem, iuxta ac benignum, &
affabilem noueram: eius caput tempera-
tura calidum & humidum comperio, sed
in eo humiditas caliditatem superat: quo
fit, quia caliditas humiditatem non vincit
neq; regulat, imò humiditas caliditatem,
ab ipso capite in subiectas eius partes hu-
mores decidunt, à quibus affectiones dictæ
oriuntur, & pullulant: pro quibus extirpā-
dis medici sanguinem ex venis minuerāt,
& va

& varia alia cōfecerant remedia, sed absq;
 fructu & vtilitate vlla: quæ omnia nos exa-
 ctè considerantes, ac remedium syluam
 percurrentes, nullū celebrius aut diuinius
 excogitari posse comperimus vno hoc qua-
 litatibus in primis symmetro & tempera-
 to, passius verò exiccandi facultatem ha-
 bente: hoc enim diuinum illud synarum ra-
 dicis decoctum est, cuius propinandi ordi-
 nem vno antea anno illustrissimo huic vi-
 ro, nō sine Dei Opt. Max. prouidentia de-
 dicaueramus. In primis igitur optimo vi-
 ctus ordine proposito syrupum hunc pro-
 pinare cœpimus, qui habet, *R.* Gelenia-
 bim ex saccharo, syrupi de fumo terre, añ.
 vnciam vnā, aquarum melissæ, endiuix,
 de fumo terræ, añ. vnciam vnā. Misce, &
 tepidum bibat, & quinquies iteretur: ad-
 uerte quòd geleniabim ex saccharo nihil
 est aliud, quàm mel rosaceum colatitium
 ex saccharo paratum, vt aliàs iam dixi, sed
 syrupum de fumo terræ miscuimus, non si-
 ne attentione ad seminaria ab scabie, mor-
 bo antiquo derelicta. Ebibitis igitur syru-
 pis humores sufficienter disponentibus,
 catapotia hæc deglutiuit, *R.* Pilularū
 cochiarum de fumo terræ, Arabicarum asa-
 iaret, añ. scriptulum vnum, diagridij grana
 quinq; cum syrupo rosaceo formentur ca-

AMATI LVSITANI

tapotia quinque, & inaurentur: capiat hora septima noctis, & desuper dormiat: iis enim peracta optima purgatione ad decoctum radicis synarum deuenimus, quod per viginti quinque dies pontificio, & regio apparatu ebibit. Cœpimus autem nona die Septembris, ann. 1552. Modum autē præparandi ex hac radice decoctum sæpe aliās, tum etiam secunda Centuriavberius prosecuti sumus. Tu verò qui particularia ad vnguem perscire cupis, legas epistolam Ambrosij Nicandri Toletani, viri doctissimi & humanissimi, ad Antonium Barberinum nobilem Florentinum dicatam, in huius operis frontispicio præfixam: in qua ut obiter hoc dicam, vir hic huius radicis dotes, & iuuamenta in seipso expertus ut penicillo depingit, & prosequitur. Ad præsens tamē scitote, q̃ illustrissimus vir hic in aurora ieiuno stomacho huius radicis decocti vncias duodecim, non nisi optimè calidas pauculo saccharo fino superaddito ebibebat: quia procerus & corpore magnus est, quibus duas & tres sudabat horas: postea verò linteis, & sudariolis, ac, ut Varronis verbo utar, termētariis optimè abstersus, & subucula alba indutus, ac stragulis mutatis vna vel altera interposita hora ad prandium se diuertebat, quod ex
capi

capi quarta parte constabat, secunda in aqua ex tabellis relictis confecta, cocta, vel ad ignem assa, ut eius vice alitibus paruis, ut ficedulis quinque vel sex, aut semi perdice, adiecto semper puluisculo cinnamomi vescebatur: panis autem biscoctus erat saccharo pinsus, aut qui Venetiis, vel Pisis parari solet, pondere uncularum quatuor: quem iuri ita confecto immergebat, postea verò Martij panis frustum comedebat, dein parum diacydonitis saccharo confecti sumens cœnam claudebat: potus verò radicis decoctum erat, quod syrupi loco bibebat, sed tepidum saccharo quoque mixtum. Hora verò vigesimatertia, ut in aurora, omnia repetebat: sed carnes in cœna non gustabat, tantum amygdalis, & vicia passa Corinthiaca, & paucò Martio pane, aut conditis sacchareis contentus: si alius tamen non respondebat, ex secundo apparato decocto clyster parabatur, adiecto oleo cōmuni, sale, & sapa, & electario purgante aliquo. Cæterum singulis octo diebus ex viginti quinque illustrissimus vir hic purgabatur prædictis catapotiiis, aut aliis similem facultatē habentibus: qui post exactum vigesimum quintum diem ita bene valere dixit, ut si quādo aliās. Postea verò

AMATI LVSITANI

quum Ancona discederet, & Romam per Montem Politianum propriam eius patriam iret, optimè quoque & regiè habere significauit. Porro postquam Romam venit, elapso vno vel altero mense de renum dolore conquestus est, & ita acerbè, vt ex hoc dolore eum è vita discedere multi putarent: cuius doloris causam nonnulli lucruoræ in decoctum radicis ebibitum reiciebant, fortè vt ignorantiam suam melius traducerent, & illustrissimo huic viro blandirentur: sed rei euētus eorum immeritam contra me maledicentiam detexit. Nam quum iandiu illustrissimus vir hic lapillos ex renibus emittere solebat, contigit, quòd ex longo tempore congestos in ipsis renibus nonnullos haberet, vnde radicis decocti beneficio laxiores factæ viæ, & minores lapilli ipsi redditì, natura per eas lapillos ipsos expellere conabatur, vnde dolores oriebantur: qui lapilli quum ex toto expulsi fuerunt, illico dolores cessarunt: & ille sanitatem obtinuit: Desināt igitur moriones ij lucruoræ, linguaces, locutelei & blatterones sua infreni & estuosa lingua verborum solitam colluionem profundere: nunc verò clarissimus hic dominus basilicè valet.

De ar

De arthritide,

CVRATIO XLV

GAbriel Fanensis in autumnno arthritim morbum subito incurrit: nam omnes eius corporis articuli simul doluerunt, cœperant autem dolere omnes simul: sed circa pedes grauius. Cæterum ab habita per catapotia optima purgatione, tali & malleolorum ac genuum dolores breui recesserunt: sed postea brachiorum, & colli remanentes grauius hominem affligebant: contra quos dolores ex oleo anethino & vermium terrestrium puluere, pauca cum cera parato lineamento articuli inungebatur, & lana succida fasciabantur. Elapsis verò quinque aliis diebus, in quibus alius per clysteres respōdebat, bolum purgatorium huic dare decreueramus: sed quum potius epotum pharmacum desideraret, bolum pauco vino exceptum ebibit, & optimè egeffit: & dolores ex integro intra decem dies euanuerūt, manente tamen circa fauces impedimento quodam, quod eo quo bibebat tempore sentiebat: nam quando cibum deglutiebat, nihil mali huius percipiebat. Intus igitur considerans fauces ingenti rubore & inflammatione ten-

AMATI LVSITANI

tatas deprehendi: quatum vitium facile gargarismo ex aquis plantaginis, rosarū, adiecto diamorone parato euanuit. Porro à sanguinis missione in hoc morbo abstinuimus: primo, quia iuuenis hic natura pituitosus est: secundo, quia hyems tempus frigidum properabat: statueramus autem decoctum rubri viticosi huic propinare: sed quum bene valere dixisset, ab eo destitimus. Est autem rubus viticosus herba vel potius frutex à radice vna plura flagella sarmentitia emittens: quæ superioribus annis ex Peru, terra nouiter reperta afferri cœpit, & eam Hispani sua voce zarzam parrillam vocitāt, de qua breui, Deo duce, multa dicturus sum: est enim medicina hæc optima variis morbis conueniens. Nunc verò de arthritide, siue morbo articulari, pauca audire ne pigeat.

SCHOLIA.

Morbus articularis, quem barbari barbaras scribentes practicas ariheticam appellant, à Græcis ἀρθρίτις dicitur: Plinius verò lib. natu. sue historia, eum articulare morbum appellat: quia articularum & iuncturarum morbus est. Est autem articulus, referente Galeno libro De ossibus ad tyrones, eo primo capite, quod iandiu in studiosorum gratiam in tabulam redegi.

relegi, naturalis ossium cōpositio: ab Hippocrate
 verò, alterius ex coherentibus ossibus extrema
 pars, articulus frequenter nuncupatur: ea scili-
 cet, quæ orbiculata est, ac in proximum cavum
 inseritur: vt libro De articulis, & libro De lo-
 cis in homine, apud eum legitur: vnde Plinius
 libro vndecimo suæ naturalis hystoriæ capite tri-
 gesimo sexta, omnes corporis nodos, articulos vo-
 cat: intelligens iuncturæ extremum articulum
 esse. Ceterum Paulus Aegineta, libro tertio suæ
 medicinæ, capite 78. articulum à iunctura diffe-
 rentem facit: nam per articulum, membrum in-
 telligit, per iuncturā verò, suum extremum: sed
 hoc præter Hippocratis & Galeni, cui ille semper
 herere solet, mentem. Nunc autem scire decet, ar-
 ticulorum dolores eam sibi denominationem ven-
 dicare secundum membrum affectum, in quo
 dolores ipsi fiunt: si enim pedibus dolor inest, po-
 podagra morbus appellatur: si manibus, chi-
 ragra: si coxæ, coxendicum dolor vocabitur.
 At si membro dolor hæserit, à quo affectio
 denominationem non habet, vt genu, cubi-
 to, & humero, tunc genuum dolor, & cu-
 biti dolor, veluti humeri dolor, appellabitur:
 & vt de ijs, ita de alijs dictum velim intelli-
 gatis. Ceterum omnes ij dolores, quicunque
 ipsi fuerint, modo articulos occupent, arthri-
 tici, siue arthritides, hoc est articulorum dolores,
 appellantur: vnde idiota & vulgares, quum

AMATI LVSITANI

quis podagra aut chiragra laborat, eum arthriticam pati dicunt, per arthriticam arthritim vocem Græcam intelligentes: quæ nihil præter morbum articulare significat. Vnde Hippocrates libro tertio Aphorismorum, aphor. vigesimo, postquam docuit in omni anni tempore morbos omnes fieri posse, & veras agnoscere particulares enumerat, inter eas arthritides recēset: hoc est quoscunque articulorum dolores siue ipsi podagrici, siue chiragrici, aut ischiadici sint, ut Galenus in enarratione assentitur: vnde ipse libro definitionum sibi adscripto arthritim definiens, inquit, Arthritis, inflammatio stabilis est, circa articulos consistens, doloremque ingerens vehementem, nervis nimirum patientibus: per quam definitionem, quæcunque dolorem articulare intelligit, siue ipse sit podagricus, aut chiragricus, vel coxendicus, ut ex dicendis clarius hæc enunciabuntur. Porro arthritis alia significatione apud Græcos accipitur pro seuissimæ & grauissimæ morbo, omnes totius corporis articulos apprehēdente, & vexante, ut apud Hippocratem quis legere poterit in fine libri De morbis, qui extra. Vnde Galenus libro tertio Aphorismorum, aphor. decimo sexto enarrans eos morbos per Hippocratem citatos, & qui in siccitatibus eueniunt, præcipuè quum arthritides interpretatur, sic inquit: Quasi igitur articulorum passionem in siccitatibus dixerit fieri, dignum est inquisitione si enim immodicè facta cōsumpserint:

artica

articulorum humiditatem, difficilem motum & siccitatem efficient, forte verò & nonnunquā dolorem, eam passionem, quæ arthritidis nominatur, haudquaquam efficient: nisi quispiam omnem articulorum dolorem ita velit nominare. Atqui ipse in libro secundo Epidemiarū, ita inquit: In Aeno per famem qui leguminibus vescebantur, infirma habebant crura, & qui orobos comedebant, genuum dolores patiebantur, nō arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellavit. Quispiam verò fortassis dixerit non vnius articuli dolorem, sed multarum simul arthritim nominari, & iuxta hoc genua dolentes nunquam arthriticos appellari. Hactenus Galenus, qui ex Hippocrate arthritim, morbum in omnes corporis articulos seuientem vocat: quo factum est, ut libro De compos. med. secundum locos decimo, eo præcipue capite, in quo de ischiade podagra, & morbo articulari, siue arthritide agit, arthritim morbum ipsemet in omnes articulos seuientem ac lancinantem esse dicat, inquiens: Ex genere arthritidis est tum ischias, tum podagra: quod enim in omnibus articulis arthritidis est, hoc in vno iuxta coxendicē quidem, ischiada, hoc est coxendicum morbum appellant, iuxta pedem autē podagram: ex quibus Galeni verbis liquido constat, arthritim morbum in omnibus simul articulis fieri: cui sententia innititur Aetius sermone duodecimo sue medicinae capite sexto, quum dicat: Podagrica

AMATI LVSITANI

& arthritica affectio eiusdem speciei inter se exi-
 stunt. Differt autem podagra ab arthritide, non
 toto genere, sed affectis locis: in omnibus enim
 debitas est articularum diuturna cum fluxione,
 quæ quidem si in pedibus perficitur, podagra ap-
 pellatur: si verò in aliquo coxarum vertebro,
 ischias, hoc est coxendicum morbus nomina-
 tur: si verò in multis corporis totius articulis in-
 nititur, arthritis siue morbus articularis vocatur.
 Coniungit autem aliquando vt repente irruat ma-
 lum equaliter per omnes art. culos dispersum:
 quod ipsum euenire consuevit his, qui consueta
 exercitia coaceruatim relinquunt, & licentiore
 dieta vtuntur, & subdit, vt morbum hunc sanis-
 simum & pernecantem indicet, sic: Qui verò ex-
 tremè ab hac affectione apprehenduntur, his &
 spina vertebra & costarum iunctura, & genæ
 dolent: aliquibus autem & iris, siue corona pupil-
 læ oculi ambiens: neq; est aliqua ossium conne-
 xio quæ ab hac affectione sit immunis. Hæc eadē,
 vt solet, Paulus Aegineta libro tertio sue medi-
 cine capite dicto 78. prosequitur, dicens: Si infe-
 riores partes factus cursus pedum articulamen-
 ta repleat, podagra vitium nūcupatur: si ceteros
 corporis artus intricet humor, ἀρθρίτις Græci,
 nos articularios morbos appellare consueuimus:
 quo vitij nomine vertebrae, humeros, & maxil-
 las comprehendimus, omnemq; articulū, quicumq;
 morbo complicatur: nonnulli verò aures, dentes,
 fauces,

fauces, & nonnunquam iecur, lienem, articula-
 rijs doloribus confictari pronunciant. Est sanè
 morbus hic crudelis, & carnifex, quem olim no-
 bilem quendam apud Germanos inferiores pa-
 ti vidi: qui ob imbecillitatē articulorum, ad quos
 humor à natura alienus confluit, fit: & varijs
 de causis euenire contingit, videlicet à cruditati-
 bus, immodico Veneris vsu, vehementi deambu-
 latione, equitatu assiduo, præcipuè propendenti-
 bus ex equis cruribus, vt Scythijs euenire Hippo-
 crates libro De aëre, aquis, & locis testatur: sup-
 pressionē excretionum consuetarum, intermissio-
 ne exercitiorum familiarium, mœrore, curis, vi-
 gilijs, & reliquis animi affectionibus. A colico
 quoque dolore perperam curato arthritis oritur:
 vt meminit Hippocrates libro sexto Epid. part.
 quarta. aphorismo tertio, dicens. Cuidam intesti-
 num colon, vbi articulari morbo corripiebatur,
 dolore ferè vacabat: postquam verò ab eo sa-
 natus est morbo, plus doluit. Post Hippocratem
 viri medici doctrina & experientia celebres,
 tam Arabes, quàm Romani egrotos febribus
 laborantes obseruarunt, qui ob malam in eos
 adhibitam curationem, in podagram, & alios
 lib. graues morbos lapsi sunt: sepe tamen articu-
 laris morbus ob seminaria à parentibus con-
 tracta in filios & successores transfertur: de
 quo & eius exacta curatione plura breui di-
 cturus sum,

AMATI LVSITANI
De morbillis, & morborum
obseruatione,

CVRATIO XLVI.



Mnes pueri, qui anno elapso variolis laborarunt, hoc etiam anno morbillis affliguntur, sed sani euadunt: filia tamen Dionysij Pinti nata annos octo, eisdem quum correpta esset morbillis, & aëre frigidiusculo alteraretur, in tormina & cruentam dysenteriam deuenit: à qua quoque & ipsa breui leuata fuit, instabat autem autumnus.

De febre continua, cum mentis
turbatione,

CVRATIO XLVII.



Ata Chyroci nobilis Anconitani, ætatis suæ tredecim annorum, vigente autumno febre continua corripiebatur: ad quam elapsis morbi ipsius diebus undecim accitus ego, eam continuò febrientem cum alienatione & mentis turbatione inueni. Cæterum hæc ad oblata bene se gerebat, & viribus utcumque constabat: sed lotium aqueum colore & substantia meiebat, quod mentis alienationem, turbationemve satis attestabatur: proinde brachij

chij dextri basilicam in curvatura secare feci, & sanguinis uncias sex fluere. At chirurgus plus iusto audax sanguinis uncias decem ægrotantis bona fortuna extraxit: qui corruptione ita affectus erat, ut sequenti die iuberem secta brachij exteriori vena, cephalica dicta, sanguinis quoque semi libram fluere: qui sanè primo corruptior erat. Sed puella hæc (ut dixi) ad ea, quæ illi offerebantur, bene se habebat, parum tamen dormiebat: cum quibus nihil dolebat, sed linguam atram habebat, & siti ingenti cruciabatur: quia tamen mente non constabat, aquam non petebat. Huius fronti oxyrhodinum applicitum fuit, & noctu frons ipsa, tempora, nares, & aures populeone unguento adiectis paucis opij granis, & exiguo aceto rosaceo, inungebantur: & syrupum de papavere pondere duarum unciarum, & totidem aquæ lactuæ bibebat: aut illius vice amygdalarum cremorem, cui papaveris albi semina mixta erant, concede-
bamus: ex se optimè egerebat: & pulli carnes aqua elixas, adiecto bolo Armeniaco, margaritis, ac corallo præparato, comedebat. Demum post aliquot dies febris & delirium minui cœperunt: tunc pharmacum ex manna rhabarbaroque

AMATI LVSITANI

compositum, illi propinauimus, tametsi
sua sponte bene semper egerebat: quo
multa liquida, putida, & magna corru-
ptione affecta egebat, & melius habuit:
quanquam postea ad aliquot dies insana
semper mansit, in quibus diebus ieiuno sto-
macho conditum hoc comedebat. *Rx.* Sac-
chari borraginati vncias tres, nenuphari-
ni, buglossati, añ, vncias duas, pulueris se-
ne optimè pisti, drachmas duas: pulueris la-
pidis cianei, stellati dicti, preparati, drach.
mediam, foliorum auri numero quatuor.
Cum syrupo de pomis misce, fiat mixtu-
ra, & folio auri in auretur: de qua singulis
diebus singulas vncias ieiuno stomacho,
& serò antè cœnam semi vnciâ comedat,
& desuper parum aquæ borraginis bibat.
Sed antea quàm cōditum hoc comedebat,
eius caput embrochis irrigabatur: & tan-
dem intra quadraginta dies ex toto sana
euasit: habent autem embrocationes, siue
irrigationes sic, *Rx.* Foliorum & follicu-
lorum senæ, añ. vnciam vnam, borraginis,
buglossi, anethi, maluæ, radicum malua-
uisci, añ. pugillum vnum, hordei, seminis
lini, scœnugræci, añ. pug. vnum & mediū,
in libris viginti aquæ fiat decoctio suffi-
ciens: facta colatura, adde olei rosacei cō-
pleti, chamomillini, añ. vncias tres. Misce,
ex qua

ex qua manè ieiuno stomacho & vesperi
ante cœnam super caput irrigationes
fiebant.

*De febre continua, cum erysipelate
ulcerato, faciem & uniuersum
caput corripiente,*

CV RAT IO XLVIII.

Retrus Crinitus, ex Criniti illius
doctissimi Florentini familia,
iuuenis annos natus triginta,
quum Anconæ carceri obtrude-
retur propter debitū febre maligna cum
erysipelate ulcerato faciem & uniuersum
caput corripiente vexabatur: ad quem elap-
sis iam decē diebus à morbi origine vo-
catus ipse, hominem sic male affici compe-
rio: cui sanguis per venæ sectionem in bra-
chij curuatura minutus erat, & pharma-
cum propinatū, & erysipelati nescio quid
admotum: non dormiebat hic, sed ea, quę
illi offerebātur, optimè comedebat: pro-
inde eius ani venis hæmorrhoidalibus di-
ctis, illico hirudines duas admouere feci,
& optimo instāte victus ordine, ac syrupis
malā qualitātē alterātibus propinatis: vt
postea p̄ pharmacū purgatio fieret, reme-
diū hoc supra erysipelas ipsum admouere
feci: quod habet, & Succī plātaginis, sem-

AMATI LVSITANI

peruiui lactuce, solani, añ. librā mediā, acet
ti rosacei vncias duas, cerusæ vnciā vnā &
mediā. Misce, & lineis pannis applicetur,
& sæpe innouetur. Hoc enim remedio ita
bene valuit vir hic, vt ex ipso erysipelate,
& locis illi proximis membranula quādā
crustacea decideret, veluti ab angui spo-
lium deponi solet: subtus quam ex albo
vnguento inungebatur locus, qui prædi-
ctis sanatus est, & æger ipse in totum con-
sequutus sanitatem.

De oculi dolore cum rubore,

CVRATIO XLIX.



Iosephus Amatus frater meus,
vir bene biliosus, quum de ocu-
li dolore ingenti cum rubore
quereretur, ab optimo institu-
to victus ordine cataporia hæc degluti-
uit: quæ habent, ℞. Pilularum mastichi-
narum drachmam vnā, aurearū optica-
rum, id est de luce, añ. scriptulum vnum,
diagridij grana tria, cum paucō vino for-
mētur pilulæ quinque, & in aurentur, capiat
ea quādo vadit dormitū. Ceterū iis optimē
egeſsit, sed non quod hac de causa dolor,
aut rubedo discederēt: sequēti die scapulis
cucurbitule cū scarificatione cutis sunt ap-
plicitæ: tandē quinto die, quū oculū aqua
rosa

rosacea tutia præparata excepta, & manicam traiecta lauaret, breui sanitatem obtinuit.

De pleuritide,

CVRATIO L.



Miles, qui palatio præest, frater Francisci notarij, qui acta criminalia literis excipit, pleuritide thoracis altam partē occupante affligebatur: ad quem perueniens iose post alui deiectionem factam per clysterem, sanguinem mittere ad vncias octo ex axillari eiusdem brachij vena, vbi erat dolor, mandavi. Qui quū infectus ingenti putredine & corruptione esset, & febris intensissimo cum dolore hominem infestaret, & tussis ingens & difficilis ob doloris respondentiam perseveraret, & resorandi difficultas instaret, vesperi ex eodē venæ orificio totidem sanguinis vncias fluere permisi: erat autem sanguis ultimus rubicūdus, quo factum est, vt melius illico habuerit: tandem epoto quarto die medicamento purgatorio ex flore cassiæ fistularis, cum electario sebestē confecto, & decocto pectorali diluto, paulatim cōualescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem. Primis autem diebus

AMATI LVSITANI

syropum violaceum ex decocto hordei dilutum bibebat: sed morbi initio locus dolore affectus sacculo milij & furfurum fouebatur. Cæterum quæ bibebat, tepida (vt fieri solet) erant.

De muliere nobili, podagris laborante, cum mensium optima respondentia,

CVRATIO LI.



Oror Chyroci nobilis Anconitani à iuuentute sua, etiam si lunaris euacuationis respondentiam optimam, & consuetam semper haberet, in podagram labeatur: nunc verò etiam quum quinquagesimum tertium ætatis suæ annum agat, eodem vexatur morbo. Cæterum huius parentes sani & liberi ab hac infectione semper fuere: at superiores, hoc est aui sui, vt ipsa refert, grauissimè hoc morbo torquebatur: adeò vt hunc morbum veluti hæreditarium à maioribus suis contraxisse dicendum sit: transferuntur autem aptitudines ad hoc malum à parentibus in filios ac posteros. Sed quum hæc scribimus, in mentem venit Hippocratis aphorismus vigesimus nonus libri sexti Aphorif. qui
ait:

ait: Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint: quod falsum esse in mulieribus sui temporis Galenus deprehendit, quum earum plures ob intemperantiam & laxam podagris laborare videret. Seneca quoque quandoq; de luxu foeminarum sui tēporis conquestus est, quòd Hippocratem falsum fecerint dicentem, foeminas podagris non laborare.

*De sublimato cuidam mulieri ad eius
internecionem dato,*

CVRATIO LII.



Mulier, cui sublimatum intra iusculum ad eius internecionem datum est, illico illud persensit, ac euocatovomitu sana evasit: id autem persensit, quia quum iusculū, cui sublimatum mixtum erat, ebiberet, saporem gustasse dixit similem illi, quem æris rubigo in ore relinquere solet. Memores igitur huius saporis sint decet, quicunque veneno infici timent: quia certus & indubitatus pro sublimati, aut cuiusq; arsenici altera specie deprehendenda, is fit sapor. Porro lac huic veneno adversari, & huius generis aliis, quæ erodendo interimunt, medici fatentur: præcipuè Ga

AMATI LVSITANI

lenus commentario sexto in librum sextum De morbis vulgaribus, enarratione quinta.

De symptomatis subortis ex abortu, id est puero ante maturū partum eiecto,

CVRATIO LIII.



Vlier iuuenis, quæ catapotia deglutiuerat, quia plenitudinē intus in corpore (ut ipsa aiebat) persenserat, sed utinā non foetum, post multam supra infraq; purgationem habitam, ac foetum eiectum in febrem continuam lapsa est hæc. Cæterum quum per medicum doctū tractata esset, etiam ipse ad eam sum accitus: quam tūc in sanitatem pauca cum febris comperi: cui tandem post multa habita remedia cum frontis venam secari iuberem, & sanguinis uncias quinque fluere, breui resipuit, & paulatim conualescere cœpit, donec integram consecuta est sanitatem.

De melancholia flatuosa, hypochondriaca, siue præcordiali,

Arabibus myrachiali dicta,

CVR

CVRATIO LIIII.



Anuel Arius vir annos natus triginta quinque, quum iamdiu de stomachi cruditatibus & incoctione quereretur, & interdum multa vomuisset, interiectis nonnullis mensibus de aciditate ingenti ab ipso stomacho ad os delata affligi coepit: quam aciditatem, siue ructus acidos comitabantur stomachi & hypochondriorum grauitas, sed succedente tempore hypochondria ipsa sursum conuelli videbatur magna vigente flatulentia: quibus omnibus accreuit ingens calor à præcordiis ad supremam thoracis partem ascendens: & consequenter alui siccitas & constrictio, fastidium, moror, & animi deliquium, raro tamen mentis alienationem passus est, quod vnum à doctis animaduersum velim, tametsi enim melancholiæ siue desipientiæ species affectio hæc sit, satis superque illi est, ut talis verificetur: eam sequantur moestitiam, & à facili causa timor, & nonnunquam mentis inconstantia: quæ omnia melancholica symptomata concoctione vel excretionem, vel multis flatibus, vel vomitu, vel ructu leuantur, prout huic eueniebat viro. Ad hunc igitur vocatus ipse, præter citata symptomata cum huius viscera attrecto in-

AMATI LVSITANI

ter vmbilicum & lienem, eius mesenteriu
 prædurum deprehendi: quod vnum nota-
 tu dignu apud me in hac curatione erat,
 præsertim quum membrum aut particu-
 lam, in qua morbus hic radices suas com-
 plantatas haberet, inuestigare: nam Ga-
 lenus libro tertio De locis affectis, capite
 de melancholia, præter quod ab atra bile
 morbum hunc fieri tradit, ex Dioclis sen-
 tentia, inquit, huius morbi causam esse ca-
 lorem immoderatum venarum meseraï-
 carum, obstructionemq; earundē à crasso
 sanguine ortam: vel, vt aliis placet, citan-
 te eodem Diocle, huius morbi causa est
 inflammatio pylori siue portonarij, aut
 ianitoris dicti, partis scilicet inferioris o-
 ris ventriculi, cui opinioni Galenus hæ-
 ret, & eam vt veram amplectitur magis,
 quum dicat: Atque videtur quidē in ipso
 inflammatio esse, sanguis autem in parte
 inflammata contentus & crassior, & atræ
 bili magis conformis. Itaque quemadmo-
 dum elato ex ventriculo ad oculos fuligi-
 noso quodam aut fumoso halitu, aut cras-
 sis quoque vaporibus similia suffusorum
 accidentia contingunt, eadē ratione sub-
 lata ad cerebrū ab atra bile euaporatione
 melancholica euenient in mente acciden-
 tia, & cætera. Ex quibus verbis Galenum
 huius

huius morbi causam phlegmonem pyloro impactam esse, velle satis clarè percipitur. Auicenna tamen illi contrariatur, aut saltem nō hæret, vt quisque cordatus depræhendet medicus, modo eius verba contēpletur Fen prima libri tertij tracta. 4. capite 9. in quo & Philothei, siue Theophili opinionem citat. At Auerrois libro tertio sui collectorij capite quadragesimo Galeno fauet, qui contra multorum opinionem ex pylori inflammatione morbum hunc fieri cōtendit. Cæterum quum hos authores perlego pro hoc iuuādo homine, in mentē venit Mūdinus vir prout sua ferebat ætas doctus, qui in sua Anatomia, vbi de mesenterio agit, ex melancholia aggerata in huius mesenterij glandulosis carnibus, hypochondriacam hanc passionem, vel, vt ille loquitur, myrachiā fieri tradit, quam sanè sententiam vt rationi consonam, non omnino reieci: & eo magis, quia tunc in huius viri mesenterio ingentem duritiem tactu percipiebam, quæ non procul ab vmbilico versus lienē distabat: vt iure crediderim, vt morbus hic ab atra bile originem trahit, ita quoque in meseraicis venis aliquando sedem suam habeat, quandoque verò in ipso liene, nonnunquam verò in ipsius ventriculi

AMATI LVSITANI

pyloro, in quo inflammatio fit, sed id rarè, quam morbus hic maiori ex parte absque febre non solum vigeat, sed etiam interimat: quæ dubio procul morbum hunc comitaretur, si modo inflammatio adesset: neque nobis & aliis artem medicam exercentibus Auerrois rationes philosophicæ satisfaciunt, quum à morbo calido symptomata frigida ob innati calidi resolutionem oriri posse dicat, quod vt possibile, euenire posse non negamus. Caterùm ab inflammatione interna febrem inseparabilem esse, & vt necessariam gigni medici fatentur, & Galenus affirmat variis in locis suæ doctrinæ. Proinde quàm bene Galenus ipse hanc secutus sit sententiam, quod affectio hæc hypochondriaca ab inflammatione oris ventriculi semper eueniat, alij iudices sint: ego verò vt variis in membris morbum hunc fieri posse dixi, ita à vario melancholico humore originem trahere crediderim, vnde meritò curationes in hoc morbo variant: quia aliqui frigidis & humidis remediis morbum hunc profligare contendunt, alij verò calidis & humidis, pro ratione materiæ. Vtcunque tamen res habeat, hic prædicta patiebatur symptomata, cum quibus sæpe vomebat: nam postquàm comedebat, acidos ructus

Etus sentiebat, & aut mori, aut aperiri in pectore considerabat: sed quum bilem aut varij coloris humores vomebat, levis euadebat, & iterum comedebat, sed in idem recidebat: adeo vt per quatuor longos menses in hac perdurauerit afflictione, quousq; vitam cum morte commutauit, Cæterum in huius morbi successu priscorum medicorum diligentiam admirari mihi subit, præsertim in eo describendo, & quanta cura eius omnia symptomata, signa, causas ad vnguem vsque obseruauerunt: sed illi fortè suo tempore ægrotantes maiori cura tractabant, quàm hodie à doctis medicis fiat, vt qui eos frequentius adire solebant, & apud eos sapius agebant, & interdum apud ipsos pernoctabant: quando præcipuè non admodum fidebant quòd ministri & discipuli, ea omnia quæ medici mandabant, perficiebant, vt Galenus quoque facere solebat, vt commentario primo in librum De fracturis meminit, enarratione vigesima prima, sed de iis satis. Nunc verò ordinem in hac curatione habitum tempestiuum erit prosequi, vt posteri feliciori successu huiusmodi ægrotantes curare valeant. Erat autem vir hic natura siccus, procera statura, ad rubedinem declinans, & talis

AMATI LVSITANI

qualis Galenus inquit, in melancholicam
 temperaturam facile transit: huic igitur
 optima victus ratione cōstituta syrupum
 hunc ita descripsi, quem per quinque dies
 ebibit: & postea pharmacum sequens pur
 gatorium propinauimus: habet autē syru
 pus sic, *℞.* Syrupi de fumo terræ, de bor
 ragine, de pomis, añ. vnciam mediam, de
 coctionis senæ vncias tres, Misce, fiat syru
 pus, capiat quinque. Pharmacum verò ita
 quoque habet, *℞.* Syrupi rosacei solu
 tiui vncias tres, diasenæ lenitiui vnciam
 mediam, diaphiniconis drachmas duas,
 decoctionis senæ vncias tres. Misce, fiat
 pharmacum: quo optimè aluus respondit,
 & æger ipse rectè se habuit, sed obstructio
 illa supra mesenteræum apparēs decocto
 hoc irrigabatur, fouebaturve, quod ha
 bet, *℞.* Anethi, capillorum Veneris, ca
 momillæ, radicum altheæ, seminis petro
 selini, anisi, fœniculi, foliorum senæ, añ.
 pugillum vnū, In aqua fiat decoctio suffi
 ciens, qua locus obstructus fomentetur
 spongia: & postea hoc inūgatur vnguen
 to, *℞.* Vnguenti de althea vncias duas,
 nucis vnguentariæ vnciam mediam, pul
 ueris radicis capparum drachmas ij. olei
 lilini & ceræ, añ. parum misce, & ad ignē
 fiat vnguentum. Sed dum hæc fiebant, vo
 mitus

mitus aliquando euocabatur, præcipue
quãdo nausea instabat, & æger angustia-
batur, & non vomebat: sed opus hoc confi-
ciebatur lenioribus vomitoriis, vt aqua
naphæ, decocto parato ex semine anethi,
raphani, rapæ, & similibus: sed aluus quã
astricta erat, emollientibus clysteribus
laxabatur. Cæterum quum flatus plures
abundarent, neque remediis ad eos exco-
gitatis resoluerentur, clysterem sic para-
uimus: quo flatus euanescebant, & leuior
ægrotes euadebat. Canalem medicum,
quem vesicis bubullis, aut pellibus infere-
re pro conficiendis clysteribus solemus,
folli fabrili adaptato, ac folle compresso,
& spiritu ex toto emisso per anum eum
immittito, ac postea ipsum eleuato, & ape-
rito, & postea extrahito, sic enim totus fla-
tus intestinis contentus hoc instrumento
attrahitur. Est sanè remedium hoc à no-
bis pro flatibus deponendis primò exco-
gitatum: quanquam ab Hippocrate pro
ampliandis intestinis, in colicis affectio-
nibus curandis, huius meminerit instru-
menti, vt vltimis verbis primæ harum
Centuriarum memoriæ commēdauius.
Item quum ægrotes hic cibos fastidiret,
intinctos parare faciebamus, quos Græci
ἐμβύματα appellant, quibus carnes &

AMATI LVSITANI

obsonia intincta comedebat, ex quib⁹ exē
plū tibi sit, R. Amygdalas dulces, albas
redditas, pistatia recentia mundata, añ.
quantū tibi placuerit, in mortario pistillo
oprimē cōtūde: quibus adde iecinoris pul-
li vnus vel alterius, quātū tibi videbitur,
& pauco saccharo, & agrestē, ac puluiscu-
lo cinnamomi resperso, cū aqua rosacea,
misce, & fiat intinctus, & eo vratur. Porro
quum Galenus morbi huius initio ægro-
tantes similes solis balneis & victu humi-
do, sed optimi succi, explosis pharmacis cu-
rasse gloriatur: nos præter quā q̄ hierā
picram atrā bilem respicientē quandoque
propinebamus, apozema hoc, vel simile æ-
grotanti huic tantū concedebamus, & pur-
gationum vice clysteribus utebamur: qui-
bus optimē valuit, & extra domum ingen-
ti artis gloria, & magno populi applausu
exiuit. Erat autem vir hic probus, & candi-
dus, qui pauperib⁹ sua bona largissimē &
munificētissimē propter Deum elargieba-
tur. Sed ne mēte decidat, apozema ita ha-
bet. R. Foliorū borraginis, absinthij, ca-
pillorum Veneris, pimpinellæ, añ. manipu-
lum vnū, polypodij quercini recentis, radi-
cum buglossi, añ. vnc. vnā, liquiritiæ recen-
tis & rasæ, senæ, añ. vnc. vnam, passularum
de Corintho vnc. tres, pomorum Apianorū
num

numero decem, seminis anisi, fœniculi,
 añ.drachmas duas. In libris sex aqua fiat
 decoctio, quousque maneant librę quatuor:
 facta colatura, & expressione, adde syrupi
 de pomis, de fumoterre, de borragine, añ.
 uncias duas. Misce, fiat apozema: cuius vn-
 cias octo in aurora ad ignem tepidas ebi-
 bebat, & quãdoq; ante cœnam per horam
 totidem: iis enim, vt dixi, optimè habuit.
 Ceterum quum morbi seminaria adhuc la-
 titarent, & vigerent, & ipse licetiori victu
 vsus esset, in eundem morbum recidit: ad
 quem quum quidam ex Lignipedibus, qui
 se medicum simulabat. & propter diuum
 Franciscũ omnes sua hypocrisi curare con-
 tendebat, curatum intraret, breui ipsum
 interfecit. Parabat autem monachus hic,
 vt obiter hoc dicam, apozema quoddam,
 quo omnes curare pollicebatur, & eo æ-
 grotos omnes egerere multum faciebat,
 & maiori ex parte eos in marasimum tra-
 hebat, sed quam infestum simile apoze-
 ma, & noxium huic morbo erat, ex Ga-
 leno primo, vel potius ex huius ægrotatis
 successu, quivis iudicare poterit: nam bre-
 ui in extremã maciem apostata hic ægro-
 tum traxit, & tandem in obitum, non sine
 multorum dolore: veluti tres alios An-
 conæ ægrotantes, & alios nōnullos apud

AMATI LVSITANI

sanctum Seuerinum: vnde ignominiosè fu-
gam fecit. Nam & antea Anconæ carceri-
bus apostata hic obstrusus fuerat, quē sum-
mopere fouebat ille alter, cui⁹ pater apud
Lusitanos & Italos tres messias creauerat:
vnde meritò Vlissippone igni traditus
fuit, & combustus. Nam & huc quoque pa-
terna vestigia insequens, tantam huic apo-
statae fidem præstabat, vt parum abfuerit
quin eum quoque messiam diceret. Simili
morbo huic, de quo agimus, anno superio-
ri correptus fuit bonæ indolis iuuenis, fi-
lius Nicolai Patauini mercatoris Anconæ
agentis, qui leuiter tractatus quum ad bal-
neas Patauinas nostro consilio iret, & ea-
rum aquas per plures ebiberet dies, sanus
euasit, neque amplius in eundem morbum
recidit. Sed iuuenis hic quum varia sym-
ptomata pateretur, nunquam tamen aper-
tè insanit. Lucensis porro mercator & so-
rorius Gabrielis mercatoris Lucensis, eodē
morbo vexabatur, sed insaniebat.

SCHOLIA.

Protritum & triuiiale argumentum, quum
de hypochondriaca affectione loqui solemus,
proponi solet, & tale habetur: Si ab inflamma-
tione meseraicarum morbus hic sit, quomodo fla-
tus oriantur, quia flatus à diminuto calore oriri
soleāt, sed in inflammatione ingēs & consumēs
repe

reperitur. Responsum est, quod interea dum inflammatio viget, flatu non sunt, sed in inflammationis fine: quia tunc calor parvus est, in cibaria, vel chylum agens, à quo flatu eleuantur: exemplum est, quod verè & autumno vèti plures, quàm æstate vel hyeme sentiuntur: quia verè & autumno calor diminutus est, qui vapores eleuat, sed non consumit. Sed responsum hoc multis peccat modis, primo quod ñ Galenum non intelligunt, quia Galenus ex Diocle non ab inflammatione, siue apostemate meseraicarum morbum hunc fieri tradat, sed potius à calore excessiuo, & immoderato venarum meseraicarum, obstructioneq; earūdem à sanguine crasso orta: ex qua sanguine & chylo, saltem per contactum hærete, sumi ad ventriculum, & inde ad caput ascendant. Secundo errant in sua responsione, quum dicant, vigente inflammatione flatu non comperiuntur, sed in eius declinatione, quia tunc flatu non nisi inclinante morbo comperirentur: quod falsum esse qui morbum hunc patitur, nouit: & docti medici non ignorant, quum illico à morbi initio flatu adeò vigeant, vt ab eis morbus hic denominationem traxerit, & flatuosus dicatur. Sed esto, quod non ob inflammatas meseraicas, sed ob ingentem & excedentem caliditatem in eis ortam, aut, vt aliorum relatione Diocles fieri tradit, ob inflammationem siue apostema pylora ortum, quos Galenus insequi videtur.

AMATI LVSITANI

Quomodo flatus oriatur inquiramus. Galenus, uti supra huic respondet quæsito dicens: Sanguis autem in parte inflammata contentus, & crassior, & atra bile magis conformis est, itaq; quæ ad modum elato ex ventriculo ad oculos fuliginoso quodam, aut fumoso halitu, aut crassis quoq; vaporibus similia suffusorū accidentia contingunt: eadem ratione sublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione, melancholica eueniunt in mentem accidentia, & cetera. In quibus verbis Galenus non dubitat ex atra bile euaporationem ad cerebrum fieri, ex qua melancholica postea eueniunt symptomata: humor autem atra bilis est, non carbo ignitus, cui cibaria si non miscentur, saltem per contractum herent, ex quorum miscella summi eleuantur atræ bilis naturam sapientes, & cōsequens accidentia melancholica, sed precipuè præcordiorum fluctuatio, quæ, ut Diocles notat, non illico ut cibus accipitur, præsentitur, sed post eum retentum.

De ulceribus Gallicanis in genu obortis,

CVRATIO LV.



Xor naucleri nauis Belioti vlcera maligna à morbo Gallico contracta in genu patiebatur. Ceterum optimo victus ordine instituto, post paratā ad euacuationē per syrupos materiam, & per catapotia eam expul-

expulsam, vlceribus putrilagine infectis precipitatū indere mandavi, ac paulatim tractatis vlceribus ipsis, & saepe lauatis decocto Guayaci, quod per triginta longos dies, subtili admodum constituto victus ordine, ebibit: & postea superposito ipsis vlceribus vnguento ex plumbo, breui ex toto sanata sunt. Singulis tamē octo diebus catapotia ex nitro, pondere quatuor scriptulorū, adiectis granis tribus diagridij, & totidem trochiscorum alaandal deglutiebat, quibus optimē purgabatur: erat autē mulier hęc quinquagenaria, obesa, potens & virago: quæ prædictis intra quadraginta dies ex toto sana euasit.

SCHOLIA.

INterea corrodentia medicamenta, quæ vlc-
rum sordidorum putrilagines corrodunt, &
absument, vt oleum vitriolum, aqua fortis ar-
gentariorum, sublimatū, & arsenici varia ge-
nera: pulueres ū à precipitato dicti, palmā obti-
nent: quos Ioannes à Vigo, chirurgus me hercle
diligens & doctus, in antidotario suo hoc est li-
bro octauo suæ medicinae chirurgicae descripsit.
Conficiuntur autem pulueres ū, vt obiter hoc di-
cam, æquis partibus argenti viui, & aquæ ar-
gentariorum fortis ad ignem simul coctis. Cate-
rūm vt pulueres ū absque dolore munus suum

AMATI LVSITANI

conficiant, sic apparato: eos in catino immittite, super quos aquam vitæ infundito, & ad lentum ignem coquito: quoad aqua absumatur, & pulueres ipsi sicci maneant, hoc autem modo concinnati opus suum conficiunt, absque dolore tamen. Alij tamen eos succo plantaginis, semper viua, solani, vel aliarum herbarum frigidarum præparant, vt absque dolore & punctiōe operentur: sed modum primò à nobis signatum, vt meliorem, & faciliorem habeto. Porro si viribus potentiores pulueres hos parare decreueritis, duplā aquā fortem ad argentum viuum infundito, & vase vitreo optimè obstructo ad ignem excoqui finito, quousque rubri exactè pulueres euadant, sed de ijs, & similibus ne dedignare Vigonem percurrere, & eius discipuli sancti Barolitani opusculū eidem coniunctum legere, quum chirurgus doctus & expertus sit, vt Venetūs, quum non rarò coram nobis operabatur, experti sumus.

De ulcere antiquo in crure, &
tandem sanitati restituto,

CVRATIO LVI.



D talum vlcus antiquum & ferè decem annorum patiebatur probus vir Damianus Illyricus: qui quum multos adiret probos medicos & chirurgos pro eo curando diligentes, nunquam tamen inde sanus euasit.

fit. Ego verò vlcus sordidum considerans ex eorum genere esse, quæ difficulter sanitatem adipiscuntur, (Græcis cacoethes dicta) deprehendo, & ad quod natura longa consuetudine corporis totius immundities & superfluitates transmittere solet, inuenio: quod vlcus si clauderetur, & cicatrice contegeretur, homo breui moreretur, aliquo morbo pernecate superueniente vt sæpe fieri contingit, & nos aliàs obseruauimus. Proinde nos fonticulū, sic enim recepto vocabulo foramen appellare placet, quem in eodem crure infra genu prædictum respiciens vlcus, parare fecimus, nō nisi corpore prius sæpe purgato, & guayaci sæpe decocto per quadraginta dies ebibito, & vlcere ipso ferè ad sanitatem redacto. Cæterum fonticulū hunc variis rebus parare solemus, aut cādente ferro, aut caustico medicamento, vel vesicatorio: nam interior cortex flagellorum siue virgularum brionia: carni supra posita opus breui conficit, mitto cantharides, vel ranunculi herbæ siue batrachij quoduis genus, vt varia alia præteream, quæ vesicam incitant, cui disruptæ ciceris vnum vel alterum granum superponitur, & fascia ligatur, vnde foramen resultat, quod singulis diebus abstergitur, & innouat: & eius

AMATI LVSITANI

grani ciceris vice, vt fonticulus vigeat, & ex eo sanies effluat, indi potest illi aut cerea pilula, aut plumbea, sed ciceris granum sæpius pro complēda hac opera vsurpatur: quia humiditate tumescit, & locus amplior euadit: sic enim probus hic vir sanus intra duos menses euasit: hoc eodem modo qui varices in crure patiebatur, & in cruris infima parte vlcus habebat, ab vlcere liber euasit: erat autē vir hic statura procera, qui in angiportu ad forum fontis habitat, & pannos tondet. Porro Græcus Aulonensis, qui carcere Anconæ detinebatur, causa bibliopole Veneti pro symbolo felem habentis, vlcus magnum rotundum in crure habebat, non tam sordidum quā putridum dictum, si modò cum Auicēna, & Vigone Genuensi loqui debeo: sed hic febrem patiebatur, & vlcus Gallicanum erat, quod candentibus ferramentis exustum fuit, & postea æger melius habuit: sed quum chirurgus ignaro commissus esset, suum diem obiit.

*De puella continuo febriente, varijs
cum symptomatis, ex quibus
mors fuit consecuta,*

CVRATIO LVII.

Puella



Vella annos nata septemdecim,
 & filia illius Hebrææ, quæ post-
 ea ex morbo ferè simili obiit:
 quum illi menses consueti defi-
 cerent, in febrem continuam lapsa est, &
 eam quidem duplicem biliosam, cōtinuā
 dictam: ad quam post elapsos duodecim
 dies ægritudinis ingressus ipse, eam viri-
 bus impotentem inueni, vt pedibus stare
 nequiret: omnia fastidiebat, ita vt vix ci-
 bum videre, nedum gustare esset possibi-
 le, quibus optimè egerebat, sed circa ioci-
 noris & lienis regionem, obstructions pa-
 tiebatur, vigeat autem autumnus. Cæte-
 rum temperatura pituitosa puella hæc e-
 rat, obesa, pro qua curanda primò ad ea
 quæ magis vrgebant intentio nostra diri-
 gebatur: proinde vt vires reficerentur, con-
 staréntve operam dedimus, idq; optimis
 & boni succi eduliis, & quæ facillè in san-
 guinem & ægri nutrimentum vertuntur:
 dein verò ani venis hæmorrhoidalibus di-
 ctis, hirundines duas applicare feci, quæ
 sanguinem sugendo, quousque ex se ceci-
 derunt, extraxerunt, imò post earum ca-
 sum sanguis multus effluxit: sed tunc sy-
 rupū de cicorea & radicibus cū appropria-
 tis aquis ebibebat, ac ex māna & rhabar-
 baro, adiectis paucis drachmis eleqarijā

AMATI LVSITANI

palmulis, cōfecto pharmaco purgata fuit: sed postea nihil gustabat, vt per octo dies fere nihil comederit: lentè febricitabat, & delirabat: sed interiectis octo diebus resipuit, & vires cōstantiores sunt factæ: postea iterum omnia fastidiuit, & viribus impotens reddita est: & tunc vlcera in faucibus visa sunt sordida admodum, sed remediis adhibitis melius sensit, ita vt morbus in declinatione visus esset: sed denuo fastidio repullulante ex toto deiecta est, & imbecilla facta adeò, vt intra quadragesimū diem suum obierit diem.

*De chœradibus, id est strumis, dictis
scrophulis, non minus de nodis curandis,*

CVRATIO LVIII.



Amiliares admodū sunt chœrades collo & ceruici, quas strumas siue scrophulas dictas multi chymistarum aquis, aut abditis & absconditis remediis euellere, ac in totum eradicare contendunt. Ego verò anno 1552, & 1553. decem vel duodecim pueros prædictis strumis affectos sequenti incessu curari feci, & sani ac liberi hodie habentur: Nam qui nodos magnos, vnum vel alterum tantum habebāt,

ij ra

ij rasorio sectione facta eos extrahebamus, & breui sani euadebāt: si quid tamen feminij intus manere videbatur, pauculo sublimato, aut præcipitato fortiori & potentiori iniecto in totum extirpabatur: ita autem factitatū iri animaduertiſtis in filio Sebastiani Pinti, & puella illa sorore Michaëlis musici, in qua ita trachex arteria motus percipiebatur, vt nihil clarius videri potuerit, profundè admodum nodus hic iacebat. Porro qui patiebantur chærades, hoc est strumas plures, quas vulgus scrofulas appellat, sublimato eas in totum eradicari fecimus: quæ si corio conteguntur, & nondum ad vlcerationē peruenerunt, vesicatorio locus viceratur, aut multiplici alio remedio: & tunc supra strumam sublimati vnum vel alterū granum superponitur, adaptato supra pauculo butyro recenti, & in circuitu ex bolo Armeniæ confectum vnguentum ponitur: sequenti verò die depolita struma pauculo butyro recenti locus fouetur, ac sic vicissim inceditur, quousq; ex toto omnes ad vnguē extirpatę sint strumæ, vt in filiabus duabus viduæ Bradorū euenire vidiſtis, & pueri cuiusdā probiviri, cuius nomē non succurrit, & variis aliis. Porro si quis medicamentū ita potens ac sublimatum,

AMATI LVSITANI

absque tamen dolore opus hoc conficiens inuenerit, mea sententia multis laudibus dignus erit: hodie tamen apud Bononien-
ses chirurgus quidam oleum excogitatū
habet, carnes ad os vsque absque tamē do-
lore corrodens: cuius experimentum hic
Anconæ in Ianeto Architecto, viro probo,
pro eius crure secando factum est: de quo
oleo & simili in sequētibus Deo duce ma-
iora & meliora dicemus: sunt verē hęc ta-
lia, vt digna sint quod inter theoremata
Hippocratis & Galeni reponantur, quum
ex illis ars medica indies clarior euadat.

*De muliere nephritide, ac interdum
ischiadico dolore laborāte, & postea
innatis inflationem deueniente,*

CVRATIO LIX.

MOnacha diui Bartholomæi,
quinque supra triginta annos
nata, mulier obesa & grauis ne-
phritide, ac interdum coxendi-
cum dolore cruciabatur, à quo dolore hu-
mor plus iusto attractus inflationē siue in-
nate tumorem peperit: ad hanc igitur ac-
cedens ipse, illico basilicam eiusdē brachij
inflationem respicientis secare feci, san-
guinemque ad libram vnam fluere, ac fo-
mento

mento locum affectum irrigare: quod habet, & . Parietaria, malua, althea, camomilla, rosarum, anethi, seminis lini, foenu-graci, añ. manipulum vnum, In libris decem aquæ fiat decoctio sufficiens: cui adde olei camomillini, rosarū, añ. vncias duas, misce, & spongia vel filtro ex alto fiat irrigatio, & ex prædictis ferè paratum emplastrum loco affecto admouebatur. Sed interim hæc fiebant, syrupos ebibebat, & cassiam à fistula sua extractam aliquādo deuorabat: sed succedere morbo alternis diebus pilulam vnā vel alteram ex aggregatis, & aureis deglutiebat, & topica medicamenta ex iis, quæ per difflationem opus suum conficiunt, erant: ac intra mensem inflatio resoluta est, & monialis hæc ex toto libera.

De uermium curatione,

CVRATIO LX.

Vbelli proxenetae filius annos natus tres vel circa post habitos morbillos, qui non ita sæuè in Italia ac Hispania affligere solent, lumbricos per os emittere cœpit, à quibus ferè strangulabatur: pro quibus propulsandis pulueres nostros in vino ieiuno stomacho illi dedimus, & clyste-

rem ex lacte & melle confectum iniici fecimus: & sequenti die electario à sebesten purgatus puer per egestiones vermes plures emisit, & tandem sanitatem obtinuit.

De duplici tertiana,

CVRATIO LXI.



Illicus Ioannis Guardij nobilis Florentini in autumno duplici tertiana corripiebatur: ad quem accedens ipse sexto iam ægritudinis elapso die, illico illi basilicā dextri brachij aperiri feci: sanguinisque vncias sex demere, ac syrupum hunc ebibere, *Rx.* Syrupi de endiuia vnciam vnam, de duabus radicibus vnciam mediam, aquarum endiuie, borraginis, acetosæ, añ. vnciam vnam. Misce, & quinquies iteretur. Cæterum quum is difficulter clysteribus ex hiera, & diaphinicone paratis egere- ret, illis trochiscos alandaal iniici fecimus pondere dimidiatę drachmę, quibus alius optimè respondebat: sed vrina postea aliquantulū cōcocta apparente, nullo pertur- bante symptomate, hoc pharmacū illi pro- pinamus: quod habet, *Rx.* Diaphiniconis vnciā mediam, cōfectionis amech, electa- rij Indi, añ, drachmam vnam & mediam, electarij de psyllio drachmam vnam.

In de

In decoctione senæ fiat potus vnus, & vna vnciola fyrupi rosati solutiui dulcoretur, quo aluus respondit. Victus huic pullorum carnes in prandio erāt: potus verò vinum pauciferum albū, & ideò albanū dictum, quod aquā magis infrigidare prima Centuria dixi, & hodie ita esse firmamus: quia corpus nostrum vinum hoc & magis humectat, & magis quā aqua sua acerbitate infrigidat. Sed ij qui veram & solidiorem philosophiam ignorant, hæc non admittunt, Galeni fortè theoremati innixi, in quo ait, Omne vinum esse calidum, sed ij mea sententia Galenum non intelligunt, vt qui ignorant verā vini definitionē, quæ talis habetur: Vinum est succus ab vuis maturis extractus, depuratus & defecatus, ad multa conueniens. Cæterum quū vinū hoc Albanum Longobardicum ab vuis maturis non extrahatur, sed potius acerbis & malè maturis, consequens est frigidum euadat, & vinorum cōmuniū naturam non adipiscatur: id quod sciens Galenus in sua doctrina non semel dixit: nullum albū vinum calidum est, vt libro duodecimo Methodi medendi capite quarto legitur ad hunc modum: Neque enim inuenias ex albo vinorum genere calidum vllum: designat igitur vinosus ille in doctos ho-

AMATI LVSITANI

mines maledicta profundere: quum nihil præter autoritatum aceruos congerere nouit: & ad ægrotum reuertamur, cui cœna nulla fere erat, quia in nocte febris eū inuadebat: demum epotis syrupis aperientibus & iterato pharmaco sanatus est villanus hic, iuuenis robustus: qui iādiu apud bellum egerat, & militis nomen adeptus erat: non enim rustici Italiæ vt Hispani inertes sunt.

De febre continua maligna, cum exanthematis, pulicari morbo dicto.

CVRATIO LXII.



Ver viduæ Brudorum annos natus sex, boni habitus, vigente autumno febre continua corripit: cui occurrens, & vidēs neque syrupos, neq; medicamenta alia in potu admittere, vice carnis cydoneorum conditum ex sebesten pondere quinque drachmarum illi propinaui: quo optimè egessit, & intra tres dies sanitatē obtinuit. Elapsis verò decem diebus, in quibus multos comedit fructus, in eandem recidit febrem, & eam quidem malignam & malè morigeratam: ad quem denūo rediēs diasebasten drachmas sex in aqua endiuia dissolutas dedi, quas illico à potu euomuit,

munit, & ea de causa nihil egeſſit: ſed ſe-
 quenti die bolum ex prædicto electario
 dare iuſſi, quo vermem vnum per ſuperio-
 ra reiecit, per inferiora verò duos. Cæterū
 ſequenti die puer hic delirare cœpit, quo
 fit, vt ex communi brachij vena ſanguinē
 ad vncias quinque demere iuberē: in quo
 die veſperi magis delirabat, imò per totā
 noctem ſequentē nihil dormiuit, ſed mul-
 ta loquebatur: quarto verò die exanthe-
 mata per vniuerſum corpus effloruerant,
 pulicare dictum ſymptoma: quæ maiori
 ex parte rubra, alia verò nigricantia appa-
 rebant: cum quibus pulſus vteuq; conſta-
 bant, & ea de causa cucurbitulas ſiccas ſca-
 pulis & coſtis numero quatuor admouere
 feci, & veſperi ani venis hirudinem vnā,
 quæ inde multum ſanguinis exhauſit, imò
 poſt eius caſum ſanguis quoque inde mul-
 tus effluxit: tunc ſequenti nocte ex popu-
 leone vnguento inuncta ſunt puero tem-
 pora, frons, nares, & aurium interiora, &
 optimè dormiuit: imò & vires eius reſe-
 ctæ, & inſtauratae ſunt, vt optimè in auro-
 ra valere videretur. Cæterū veſperi eiuf-
 dem diei quinti paruo quodam rigore
 puer oppreſſus eſt: quem ſecuta poſtea
 fuit febris per totam durans noctem, &
 ad finem vſque ſexti diei ſeptimo bis

AMATI LVSITANI

sudauit, non copiosè neq; per vniuersum corpus, sed per partes superiores tantum ad imas thoracis: octauo omnia leuiora sunt facta: nono ex electario mixtariorum vt suprà purgatus fuit: post quæ morbus in duplicem tertianam leuiorè lapsus est, & postea ex se sanus est factus. Caterùm post priores dies, quum morbus hic acutus & grauis esset vires citò deiiciens, ad eas respicere, & eas instaurare opus erat morbo tamen nō neglecto: ac ea de causa illico ius pulli hordeo alteratum cum pulueribus vtriusque coralli, margaritarum præparatarum, & boli Armeniaci orientalis bibebat, & aliquid pulli ipsius gustabat: sed potus cōmunis frigida erat iulepo mixta, aut granatorum vino: sed interdiu iulepum longum bibebat, & ex cordialibus conditis parum edebat.

SCHOLIA.

In puerulis acutis & grauioribus morbis correptis, sanguinis missionem per venæ sectionem conuenire sæpe diximus & inculcauimus, & indies audacius exequimur. Caterùm in puero isto ante pulicari morbi apparitionem sanguinis missio facta est: dein verò quia delirabat, & de phrenitide timor erat, duo machinati sumus: alterum, cucurbitulas scapulis morbo & delirio facientes: alterum delirio tantum, hirudinem scilicet

licet ani venis admotam. Porro aduertant medici, quòd vt post huius pulicaris morbi apparitionem venam secare, & sanguinè demere plerumque periculosum est, quia à circumferentia ad centrū, hoc est à partibus exterioribus ad interiores fit humoris euocatio, ita al: quādo plethora præcipuè vigente tutò & securè, pulicari ipso morbo apparente, sanguinis missio exerceri potest: neque minus huic euenit morbo, quàm cæteris exanthematis, variolis & morbilis dictis: post quorum apparitionem stante plethora omnes docti medici, sanguinis missionem fecundam permittunt: dignoscitur vero plethora ab egrotantis habitudine, lotio crasso & rubro, tū quia symptomata praua instant. Item quia nondum euacuatio notatu digna anteceßit, sed tunc sanguis cautè & non copiosè mitti debet.

De pleuritide,

CVRATIO LXIII.



Ir robustus & fortis, Crassus dictus, pleuritide correptus fuit: continuè febricitabat, tussiebat, difficulter respirabat, ad costas mendosas multū dolebat. & supra alterū latus decubitus illi difficilissimus erat, vt inflammationē internā costas velatē mē

AMATI LVSITANI

branam occupare dicendum sit. Huic occurrēs ipse ex interna eiusdem brachij locum affectum respicientis sanguinis librā integram deinere feci, & locum affectum ex fomento foueri, ac vnguento pectorali illini. Cæterum syrupos ex violis & ziziphis ebibebat, & arteriaca medicamenta leniora accipiebat: quæ comedebat, illico hic euomebat: nihil spuebat, sed sicca tussi cruciabatur: vrinam turbidam, crassam, & rubricantem emittebat, & cum iis insonis erat, sed viribus utcunque constabat: qua de re in aurora ex eadem pertusa vena sanguinis octo vncias iterū chirurgus extraheret, cōmendauī: sed chirurgus fortē imperitia sua tres tantum extraxit: quē cum vesperi notarem corruptione ingēti affectum, & putrefactum, iterum repetita fuit meis mandatis sanguinis missio ex eodem vulnere ad libram mediam: & tunc melius habere cōpit, & vrina clarior euasit, & scretus facilius reddebantur, & vētricus (paucis illi admotis) cibos retinebat: instabat autem frigus, & mingere cōpit. Interiectis porro vno vel altero die vrina vt primò reddita est, & febris vigeat, & tussis sicca apparuit: sed tūc decoctū pectorale tepidū sæpe ebibebat: & pharmacum leniens illi propinamus.

uimus, & tandem paulatim conualescere
cœpit, donec integram consecutus est sa-
nitatem. Caueant tamen inscij, ne sua fœ-
da verborum colluue dicant, morbi cru-
ditatem tandiu perdurare ob sanguinis
extracti in hoc niuoso tempore multitu-
dinem.

De febre,

CVRATIO LXIIII.

R Istrix quæ ad portum agebat,
& inde ad caput montis delata
est, feбри continua, quæ noctu
affligebat magis, vexabatur:
hæc quū puerum septem mensium lacta-
ret, & illi menstruorum vna vel altera
gutta appareret, pedis saphenam venam
secare feci, & sanguinē ad vncias sex de-
mere, & syrupum hunc ebibere,

℞. Syrupi de duabus radicibus vnciam
vnam, de endiuiā vnciam mediam, aqua-
rum asparagi, fœniculi, endiuiæ, añ. vnciā
vnam. Misce: porrò vt venter respōderet,
nobis cura erat. Cæterum quum morbus
perseueraret, ex brachij dextri basilica ve-
na sanguinis vncias quinque extrahi feci-
mus: demum in lotio nubecula apparente
pharmacum purgatorium illi dedimus,
cuius portionem vomuit, reliqua verò in-

AMATI LVSITANI

tus manens exactè opus confecit, & tunc breui sanata est: eius tamē ventriculus excerato ab aromatis confecto, & applicito illi roboratus est.

*De electario quodam restaurante:
quo multi à morbis reſecti
ſunt, & inſtaurati,*

CVRATIO LXV.



Egrotantes varij, qui imbecilles erant, & refici indigebant, hoc restaurante & reficiente electario inſtaurati ſunt: quod habet. *R.* Seminum quatuor maiorū frigidorum, añ. vnciam vnā, amygdalarū dulcium mundatarum, ſebeſten, piſtachio rum, añ. vnciam vnā & mediam, ſeminis papaueris albi vnciam vnā, paſſularum ex Corin tho aqua calida lotarum vncias duas, ſacchari bugloſſati, ſacchari borraginati, añ. vncias duas, ſpecierū diarhodonis abbatidis, ſpecierum diamargaritonis frigidi, añ. drachnam vnā, ſacchari Candi, penidiarum, añ. vnciam vnā, ſacchari albiſſimi libram vnā & mediam, carnis caponis vncias ſex, ad ignem ſecundum artem fiat electarium, vel confectio in morſulis ad formam pinofaccharati, cui

cui addere vel minuere poteris pro intentionis tuæ ratione.

De ingenti & crudeli ventriculi dolore, cum bilis amara, & aliorum humorum vomitu,

CVRATIO LXVI.

S Alomon à Camarino, vir annos natus quadraginta, temperatura biliosa, exusta, iandiu est, grauissimo & sæuissimo oris ventriculi dolore per interualla cruciabatur: ad quem dolorem vomitus humoris amarissimi conſequebatur, cū quibus vrina adeo intenſi lutei coloris erat, vt ad nigredinem sæpe vergere videretur: intense ſitiebat, & aliquando febricitabat: pro quo curando plures medici acceſſiti ſunt, qui vno conſenſu res calidas, vtpote, vt ipſi putabant, contra morbum frigidum propinabant: ſed nõ niſi patientis detrimento, vt qui peius ſemper ſentiebat, & grauius torquebatur. Ad eũ igitur ipſe ſuperueniens conſiderans hominis temperiem, humorem exeretum, ac morbi ipſius naturam, & noxas à rebus calidis admotis & ebibitis contractas, iu-

A M A T I L V S I T A N I

dico morbum hunc malam esse iecinoris
intemperiem calidam, & præcipuè con-
cavæ partis: quanquam fieri nequeat ut
concaua affecta convexa quoque non affi-
ciatur: ob quam intemperiem iecur mul-
tam gignit bilem, quam postea ad os ven-
triculi debilius factum transmittit, unde
dolor ingens oritur: & consequens natu-
ra irritata per vomitū prædictum remit-
tit humorē, rarò verò per secessum. Hunc
igitur ægrotantem in paroxysmo compe-
riens, sic contra morbum orsus sum, & pri-
mò clysteri sequente. *℞.* Hordei, pa-
rietariæ, branchæ vrsinæ, maluarum, vio-
larum, añ. manipulum vnum: In aqua fiat
decoctio sufficiens, facta colatura,

℞. Prædicti decocti libram vnam &
mediam, olei rosacei, violacei, mellis, vio-
lacei, añ. vnciam vnam & mediam, cassiæ
extractæ vnciam vnam, salis drachmam
vnam, Misce, fiat clyster: quem ferè per to-
tam noctem retinuit, & nihil egeffit. Cæ-
terum quia eo die multū vomuerat, à vo-
mitorio medicamēto abstinuimus, & iu-
lepus hoc illi bibendum dedimus per in-
terualla: quod habet, *℞.* Tamarindorū
subtiliter incisorum vnciam vnam, in li-
bris tribus aquæ endiuizæ fiat levis ebul-
litio: cui adde syrupi rosacei simplicis, de
cicor

cicorea simpl. añ. vnciam vnam, misce, & per manicā traiciatur: ex quo iulepo ad subitum bibat. Cæterum etsi morbus sanguinis missionem exposceret, quia tamē æger debilis erat, & valde anxius, & hyēs rigida vigebat, eam prætermisimus: clysteribus tamē sæpè utebamur. Porro iecur fomento hoc fouebatur, quod habet,

℞. Rosarum rubearum, cicoreæ, endiuie, hordei, lichenis herbæ, acetosæ. añ. manipulum vnum. In libris xij. aquæ fiat decoctio sufficiens: cui adde olei rosacei, violacei, añ. vncias duas: aceti rosacei vnciam vnam & mediam. Misce, & spongia aut filtro iecur foueatur, & linteo abstersum vnguento hoc illinebatur. ℞. Vnguētī santalini vnciam vnam, pulueris rosarum rubearum drachmam vnam, absinthij drachmam mediā, succi cicoreæ vnciam vnā & mediam, olei rosarum vnciam vnam, cum pauca cera alba ad ignem misce: fiat vnguentum, quo inungatur iecur, & os ventriculi: sed portiunculæ vnguenti, quo inungebatur os ventriculi, mastichis parum indebatur: neque minus æger diacodium simplex comedebat, quod ex decocto capitum papaueris & saccharo tātum rotularum figura cōficitur. Habet autem rotula, siue orbiculus vnus plus minus

AMATI LVSITANI

drachmam : iis enim sequenti die melius habere dixit : & sequenti nocte optimè dormiuit, adeo vt multis antea diebus nunquam tam bene dormiuisse dixerit. Victus huic ius capi erat, aut pantella ex eodem iute parata, cum semine mellonis : sed postea ipsius capi carnes erant, & pyrum sub cineribus coctum : suaserat autem homini, vt res fugeret calidas, & frigidas aliquali stipticitate pręditas comederet : quales sunt pyrū & eius conditum saccharo concinnatum, mespila, sorba, sed hæc in fine tibi : ex herbis laudabam endiuiam, cicoream, lactucam, & iis similes : ex leguminibus, ius cicerum concedi potest, oriza, far, & cætera similia. sed lentescit, & si concedi possent, adeo tamē sunt aliorum morborum & symptomatum effetrices, vt eas præterire consultius sit. Ex alitibus potius domesticas quàm syluestres commendo, præcipuè capum, gallinam, & pullos gallinaceos : ex quadrupedibus hœdum, veruecem, ac vitulum : sed carnes porcinas in hoc casu summopere laudarem, præcipuè porci pedes, & lumbi partes : sed quum hæ huic per suam religionem sint vetitæ, aliis concedantur, Vinum in prandio, & cœna admittebatur, leue tamen quod ex aqua & musto aquis

- porr

portionibus hinc Anconę parari solet, voca-
tū lora, & acerbū maiori ex parte est: in-
terdiu verò elapsis quatuor horis à pran-
dio, aquam quàm vinum potius biberet,
consulebam. Quarto die diacydonitis
purgatorij vnciam vnā huic propinaui-
mus: quobis absque dolore & anxietate
vlla egeſsit, ita multa humorosa, biliosa
& crocea, vt mirum esset. Cæterum post
secundum secessum ita dolore cœpit cru-
ciari, vt ad Philonium & alia opiata deue-
nire opus fuerit: sed primò clysteribus vti
sumus: dein aquam hordei in potu dedi-
mus, sed foris quoq; multa applicita sunt
sed absque iuuamento aliquo, quum ma-
gis & magis dolor ipsum cruciaret: qua-
de re ad Philonium prædictum, & Nico-
lai requiem, & similia opiata deuenimus,
quæ illi potanda obtulimus: post quorum
assumptionem dolor quieuit, & totam no-
ctem dormiuit. In aurora verò sua sponte
bis egeſsit, nō nisi humorosa, crocea, cum
quibusdam strigmentis viscidis, intesti-
norum ramentis respōdentibus: tunc ve-
rò ab omni opere destitimus, & interie-
ctis tribus diebus ad aquam lactis perue-
nimus: quam huic viro more antiquorum
per decem dies ebibendam dedimus, &
sanus euasit, & hodie pancreaticè habet.

AMATI LVSITANI

Datur autem aqua laetis antiquorū more, eo modo quo hodie thermarum aquæ bibuntur pondere quatuor vel quinque heminarum, librarum dictarum, vt prioribus Centuriis prolixius dixi.

De herpete miliari,

CVRATIO LXVII.



Iacobus ex Galicia, iuuenis annos natus viginti quinque, mense Decembri in herpetas miliares incidit, quæ costas & pectoris læuam partem occupabāt: pro quibus tollendis illico agrotanti pharmacum bilem præcipuè & aliquatulum pituitam purgans propinauimus: ex bile autem, & pauca mixta pituita miliaria hæc vlcuscula oriri alias dixi. Cæterum supra vlcuscula hæc vnguento plúbeo & albo camphorato mixtè admoto breui delituerunt: intus tamē ad pectus eger dolebat, & multū angustiabatur: sed tūc hirudines ani venis admotæ sunt, quæ sanguinis multū suxerunt: & postea ebibitis syrupis acetosi simplicis, & de endiuia, ac deuoratis catapotiiis ex aloe, & aggregatiuis cum agarico, ex integro tunc sanatus est. Porro nunc mense Decembri anno 1553. in thoracis similem dolorem relapsus est, quem nunc in-

uise

uiso & tracto, neque extrà quicquam vl-
cusculorum apparet.

De lippitudine, siue ophthalmia:

hoc est inflammatione albi

oculi, cū dolore ipsius

oculi & frontis

parte,

CVRATIO LXVIII.



Asque procatarctica causa, ex-
terna dicta, filia illius qui vinū
vendit, puella nata annos se-
ptemdecim, sanguinea, obesa
obesitate quidē carnosā, in ophthalmiam
incidit. Est autē ophthalmia Græcis mor-
bus, Romanis lippitudo dictus, in quo
oculi albū rubet: hoc est membrana ad-
nata, siue coniunctiua dicta, inflammatione
affecta est, & tunc extolluntur cilia, & sine
dolore palpebræ coniungi nequeunt. Cæ-
terum quum morbus hic à variis humo-
ribus fieri soleat, in hac tamen puella à
plenitudine vniuersum corpus grauante
ortum traxit: quod dignoscebatur, quia
tunica siue membrana coniunctiua dicta,
quæ natura alba est, ob sanguinis conflu-
xum rubra apparet, simulq; ob habitum
totius corporis, & ipsius colorem, ac ante

AMATI LVSITANI

habitum victū, non minus ex dolore oculi, & partiā illi circumuicinarū & maxima tensione, simulq; lacrymarum feruidarum copia, hoc percipiebatur. Curaturi igitur nos puellam hāc, primò subtili admodum constituto victus ordine prout expedit, à sanguinis missione auspicati sumus illius præcipuè venæ oculū affectum respicientis, quam cephalicam siue capitalem appellamus, ex qua sanguinis integram libram minui fecimus, & syrupum hunc ebibere. *℞.* Syrupi rosacei simplicis, acetosi simplic. de endiuia, añ. vnciam mediam, aquarum endiuia, buglossi, acetosa, añ. vnciā vnā. Misce, & quinquies iteretur. Perro quum syruos bibebat, fomento quodam leuiori oculum lauabat, quod ita habet, *℞.* Rosarum, maluarū, fœnugræci optime lauati, añ. pugillum vnum, in libris duabus aquæ fiat decoctio sufficiens, & excolato decocto spōgia imbuta fiat fomentum, & postea linteo absterfo oculo album oui aqua rosacea exceptum, & bene concussum, exceptum linteis illi admoue: ebibitis verò syrupis catapotia hæc deglutiuit. *℞.* Pilularum cochiarum, de luce maiorum, aurearum, aggregatiuarum, añ. scriptulum vnum, diagridij grana quinque, cum syrupo rosaceo

faceo, fiant pilulæ quinque, in aurentur: capiat hora secunda post mediam noctem. Tunc verò eius caput atrescians in eo ulcuscula emanantia comperio, quæ à morbo Gallico originem traherēt in dubium vertebatur, Tunc verò apozemate hoc usa est, \mathcal{R} . Borriginis, lupulorum, fumiteræ, ana, manipulum vnum, polypodij quercini recentis, foliorum fenæ, ana, vnciam vnam, hordei integri pugillum medium, corticum mirobalanorum citrinorum, Indorum, ana, vnciam vnam, passarum de Corintho vncias tres. In libris quinque aquæ fiat decoctio, quousq; maneant libræ tres: facta colatura ac expressione, adde syrupi de fumo terræ vncias quatuor. Misce, fiat apozema, de quo in aurora singulis dieb⁹ singulas octo vncias bibat: quo ex integro epoto, iterum catapotia deglutinit, & optimè purgata fuit: tunc collyrio albo & vini di. vi. sumus, ac altero ex aloe. lota & tutia præparata. Caterum quum bene per tres vel quatuor dies valeret, denuo fluxio reuertebatur, & inflammatio pullulabat, tandem ad laqueum supra nucham deuenimus,

præ nucham deuenimus,

& optimè va-

luit.

Solebat enim Galenus in iis oculorū fluxio-
nibus venas, aut frontis arterias incidere, quā
præcipuè per vasa imbecillia, & superficialia flu-
xio fiebat, quòd si per vasa longè altius quàm se-
ctioni deceret fluxiones percurrerēt. tūc eas diffi-
ciles curatu Galenus indicabat, sed nos ad la-
queum supra nucham eo tempore confugimus.
Tu verò, vt rem ex toto teneas, Galenum lege li-
bro decimotertio Methodi med. prope finem, quo
nemo neq; clarius, neq; vberius rem hanc profe-
cutus est. Plura verò si de hac re tenere cupis, le-
ge Hippo. lib. sexto Aphor, & eius enarratorem
Galen. aphor. xxxj. vbi inquit: Dolores oculorū,
meri potio, aut balneum, aut fomētum, aut vena
sectio, aut medicamentum epotum soluit. Mitto
Iesum quendam Hebræum, qui de oculorum affe-
ctionibus libellum admodum doctè scripsit, velu-
t librū Galeno attributū, cui titul. est De oculis,
à Demetrio translātū, nō minus ac alios varios
Arabas, q̄ de hac tractatiōe multa scriptitarūt.

De morbo Gallico repente eueniente,
simulq; de varijs alijs affectionibus
ipsum comitantibus, C V R. L X I X.



Euerendus monachus ordinis
prædicatorij quum virgam tu-
mentem & inflatam haberet,
& eius glans à præputio denu-
dari

dari non posset, multis remediis frustra
 preparatis in capitis ingentem dolorem
 incidit: ad quem accedens ipse, & prædicta
 considerans eius caput attrecto, ac vlcuscu-
 la recens nata in eo & mento comperio,
 non minus ac in fronte tumorem magnū,
 vnde hunc in morbum Gallicum lapsum
 esse deprehendi, & eo magis quia gonor-
 rhœam patiebatur. Omnia igitur prædi-
 cta considerans ipse in homine triginta
 annos nato, illico ob vrgentem capitis do-
 lorem catapotia hæc deglutienda dedi, fe-
 bri autem carebat. ℞. Pilularum de fu-
 moterræ drachmam vnam, cochiarum scri-
 ptulum vnū, diagridij grana quinque; cum
 syrupo de fumoterræ, formentur pilulæ
 quinque, & inaurentur, capiat quarta ho-
 ra ante auroram: post quas dolor capitis
 illico leuatus fuit: sed sequentibus diebus
 denuo dolor rediit, & tunc ano hirudines
 duæ admotæ sunt: quæ multum sanguinis
 suxerunt: & postea scapulis cucurbitulæ
 cute seâta affixæ, & interea syrupos hos bi-
 bebat, qui ex fumoterræ & epithymo cõ-
 ponuntur, adiecto decocto senæ: post quos
 iterum catapotia ex nitro Alexandri cum
 de fumoterræ mixta, deglutiuit, & eis me-
 lius aliquâtulum habuit. Cæterum quum
 glandem denudare nō posset, per siphonē

AMATI LVSITANI

aquam viridem Lafranci inliciebat chirurgus : quia intus latitabant vlcera, & extra ita præputij labra obdurnerant, vt in gangrenam venire timor esset: neque enim foris defuit emplastrorum admotio, tum emollientium, tum etiam resoluendi vim habentium : vt fieri solet : primò decocto maluæ, branchæ vrsinæ, adiecto multo butyro, aut oleo amygdalarū dulcium, membrum fouendo. Sed inter ea vim resoluēdi habentia emplastrum hoc fuit. *℞.* Farinæ hordei, fabarū, orobi, añ. vnciam vnā, fursurum tritici pugillum vnum, cum oxy melite, misce, fiat emplastrum. Sed quum hæc absq; fructu admota essent, ad aquam argentariorum peruenimus : quæ quoque parum valuit: tandem ad præputij incisionem deuenire opus fuit : quo reciso visus est callus in eo durus admodum, & intra callum foramen exiguum, per quod vrina fluitabat: tandem epoto decocto ligni guayaci ad triginta dies, in quibus catapotia ter repetita sunt, hic sanus euasit: quo decocto frontis tumorem æger sæpe lauabat, linteolæque eo imbuta illi admouebat, Sed tunc Rochus presbyter eodem fere morbo laborabat, & vxor lapidæ, quæ ad caput montis agebat, quos omnes Hamisius chirurgus nostris mandatis, vt decebat,

decebat, tractabat. Olim autem Galenus artem chirurgicam propriis exercebat manibus, sed postquam Romam venit anno ætatis suæ trigesimo secundo, ut commentario primo in librum De articulis meminit, ab opera manuali destitit, munus hoc chirurgicis committendo, ut libro sexto Methodi medendi prope finem memoriæ mandavit. Callebat namq; Galenus chirurgicam artem, ut qui omnes medicinæ partes exactè tenebat, & eas tanquam sibi perdissequis conciliauerat: quam, quum opus erat, exercebat: sciens utique deorum filios hanc artis curatoris medicinæ partem quoque exercuisse. Quis enim non nouit Podalirium, & Machaona, si modo Homero, ut cum Plinio dicamus, scientiarum omnium parenti fidem dederimus, Aesculapij filios sub Agamemnone Græcis auxilium Traiano in bello, artem chirurgicam exercendo præstitisse magnum? Infelix namq; medicus ille dicendus est, qui quum doctoris nomine gloriatur, ea tamen quæ eius minister exercere nouit, ille ignorat: si quãdo tamen doctor physicus ea, quæ ministri exercent, operatus fuerit, id non ut doctor, sed ut artis minister operatus erit: & tanquam nauis rector iudicabitur, qui remigare nouit, & malum scandere: neq;

AMATI LVSITANI

hæc tantum nouit, sed ea, & alia similia, quæ ad nauas pertinent, quando potissimum opus est, exercet & operatur: neque minus ac rex vel imperator habebitur, qui militis officio plerunque fungitur. Quæ omnia quum approbet Galenus medicinæ ditissimus oceanus, ita commētario quinto in librum sextum De morbis vulgari enarratione prima prosequitur dicens: Quam enim proportionē architectus ad alios fabricatores, fabros, cæterosq; artifices, quibus ipse præest, eandem habet medicus ad suos ministros: isti verò sunt herbarij, vnguentarij, coqui, cataplasmatum confectores, fomenta administrâtes: item qui clysteres infundunt, qui scarificât, qui venam incidunt, qui cucurbitulas affigunt. Quod si nos & hæc didicerimus, atq; etiâ moliamur, similes erimus gubernatori, qui remigâdi quoq; peritus sit, quiq; summum nauis malum expeditè ascendere, & reliqua munia obire, quæ ipsi nautæ faciunt, nouit, atque facit. Multi nanque imperatores arcu uti, iacula vibrare, cominusq; gladio aut hasta pugnare sciunt, & id ipsum etiam agunt, necnon reges: sed non quomodo imperator erat Alexander Macedo, aut eius pater Philippus, hæc militaria munera præstabant, sed per alias quasd

quasdam artes imperatorix ac regix ministras: sic igitur quatenus medici sumus, cuiuscunque auxilij qualitatem, quantitatem, occasionem, atque vtēdi modum callemus: vt verò cēdimus venam, cucurbitulas apponimus, & alia manib⁹ operamur, iam ministri sumus. Quare medica ars medicis dignitate antecellit: medicus verò artibus ministrantibus, illæ ministris, ministri aliis artibus sibi instrumenta & materias parantibus: illæ autem artificibus per eas operantibus, artifices materiis ac instrumentis præparatis.

SCHOLIA.

R Euerendus hic monachus omnia quæ ad morbum Gallicum faciūt, patiebatur: nam in eo soluta cōtinuitas ab exustis humoribus per contagium in cōcubitu genita reperiēbatur: quæ à malignis quibusdam pustulis incipiens pudendorum præcipuè, caput postea, & exteriores corporis partes infecit, nō sine pilorum aliquali decidentia, quæ affectio si veterascit, intimas partes ingreditur, & articulos occupat, & circa eos & caput ac ossa, noctu præcipuè dolores facit, veluti abscessus dueros, vlcera pessima, & ossium vitia: quæ omnia morbi Gallici definitioni rectè conueniunt. Gonorrhœa, quam monachus hic patiebatur, tametsi à Galeno, & medicis post eum definiatur, seminis assidua profusio, & invita ob-

AMATI LVSITANI

imbecillitatem retentricis facultatis in semina-
rijs vasis eueniens, scire licet, semen hic à Gale-
no & medicis, nō pro genitali semine prolifico
& inculpato accipi: quia si esset, impossibile vide-
tur, vt homo per tātum tempus perduraret, præ-
cipuè tā assidua seminis profusione, quā ad tres
& quatuor annos homine rectè valente perseue-
rare saepe notauimus: qui impossibile tandiu esset
perdurare, si modo semen optimum esset: vt ex
iis, qui plus iusto coeunt, docti euadimus, qui
breui imbecilles, graciles, ac consumpti redditi ta-
bescunt, & moriuntur. De ea verò gonorrhœa
quæ ob plenitudinem fit, vel ob spermaticorum
vasorum conuulsionem, quam epileptici, dum
conuelluntur semen exprimendo, patiuntur, alibi
loquemur. Nouistis autē gonorrhœā tribus mo-
dis fieri, aut imbecillitate vasorum seminalium,
quæ plerumque ijs, qui multum coeunt, euenit:
aut colluuiō: benignorum recrementorum: quæ
rarò euenit, nisi ijs, qui Cereri & Baccho indul-
gent, & cum Venere nullum commercium ha-
bent: tertio ob vasorum seminalium conuulsionē,
vt epileptici euenire diximus.

Docetur quomodo medicamentum
epotum, & breui euomitum opere-
tur, & euacuet,

CVRATIO LXX.

Vir



Vir cui pharmacū purgatorium
 propinatum est, parum eum re-
 tinuit, imò assistentium iudicio
 multo magis euomuit, quàm in
 pharmaco habebatur: nihilominus tamen
 eo die ita bene purgatus est, ac si pharma-
 cum retinuisset. Quæritis vnde nam eua-
 cuatio hæc orta est, & an ab agitatione,
 & turbatione in ipsius pharmaci expulsio-
 ne habita, vel aliqua alia re euenerit simi-
 li: Ego verò, vt qui secunda Centuria huic
 quæsito responsum dedi, nunc breuius re-
 spondebo. Galenus libris De elementis: &
 De facul. naturalibus, & tertio simpl. med.
 capite 24. & sæpe alibi: & ante eum Hip-
 pocrates libro, seu magis fundamento to-
 tius naturalis philosophiæ, cui titulus est,
 De natura humana, dicūt, medicamentum
 purgatorium attrahere ad se humorem,
 ob quaudam similitudinem habitam in-
 ter humorem attractum & ipsum medica-
 mentum attrahens: vt latius Fracastorius
 Veronensis vir omnium consensu doctissi-
 mus, libello suo cui titulum fecit De anti-
 pathia, & sympathia, diffusè probauit: sed
 in medicamento potentia, siue actiuitas
 maior est, quàm in humore: vnde humor
 attrahitur ab ipso medicamento, & non
 medicamentum ab ipso humore: & hanc

AMATI LVSITANI

similitudinem, siue medicamenti actiuitatem, Galenus sæpe virtutem specificam appellare solet: quanquam aliquando celestem vim, specificam formam, siue virtutem specificam quoque vocet, vt quum de lapide sanguinem sistente, libro nono De facultatibus simpl. med. agit, dicēs, vbi de lapidibus in genere agit: Nam facultates, quæ proprietatis totius substantiæ ratione insunt, à methodo sunt atq; ratione alienæ, & per solam experientiam noscuntur: nam cur hic lapis tacto vulnere vnde sanguis prorūpit, cursum eius reprimat, haud nouimus. Iis enim præscitis ad quæsitum respondeo, quòd quando medicina reducitur de potentia ad actum, tunc actione calidi innati partes subtiliores medicinæ cōsurgunt, quæ per venas & arterias ac meatus ad humores euacuandos perueniunt, vt proximiores facti, facilius eos humores dictos deponant, expultrice membrorum interueniente facultate: sic enim Centuria secunda olim huic quæsito responsum dedī. Sed nūc memoriæ occurrit longè aliud responsum olim à me datum, quum publicè Sasterenæ iuuenis ego, abhinc viginti & amplius annis, magna spectante hominum literatorum concione, apud cœnobium diui Dominici ab Alto cōclusiones varias

varias publicè sustinerē, eo anno quo rex
 hic Ioannes tertius elapsis nōnullis annis
 post terræ motus horribilis euentū Vlyssipponæ, & regioni ei circūvicinæ, apud
 Almerinum oppidum agebat, & vniuersa
 eius curia Sancterenæ erat. Distat autem
 Almerinum à Sancterena, nobili apud Lu-
 sitanos oppido cum quauis opulenta ciui-
 tate conferendo, quarto lapide, intercurrē-
 te Tago aurifero flumine, qui Sanctere-
 nam præterlabitur, & eius campos fertiles
 irrigat: de quibus Plinius ob eorum amœ-
 nitatē: & aëris clemētiam ac temperiem,
 libro octauo Naturalis suæ historiæ cap.
 quadragesimo secūdo, in quo de equorum
 natura disserit, inquit: Constat in Lusita-
 nia circa Olyssipponam oppidum, & Ta-
 gum amnem, equas fauonio flante obuer-
 sas animalem concipere spiritum, idque
 partum fieri, & gigni perniciosissimum, ita
 sed triennium vitæ non excedere: cuius rei
 antea libro quarto prædicti voluminis ca-
 pite vigesimo secundo meminerat, & post
 ea libro sextodecimo, capite vigesimo-
 quinto memoriæ iterum commendauit,
 sed hæc quasi per excursus sint dicta, &
 responsum tale habetur ex Galeni dictis
 erutum, quod quemadmodum pharma-
 cum purgatorium per se totum potēs erat

AMATI LVSITANI

ad se humores trahere, & eos euacuare: ita euomito pharmaco eius subtiliores partes manentes, imbecilles & impotentes redditæ, ab humoribus, qui pharmacum respiciebant attrahuntur: quia vt antea in ipso pharmaco integro potentia & actiuitas erat ad humores regulandos, & ad se trahēdos, ita pharmaco euomito eius subtiles partes relictæ, si quæ sunt, ab humoribus trahuntur, & vincuntur. Cæterum quū pharmaci partes subtiles & humores peccantes simul iuncti comperti sint, natura grauari & irritari incipit, ac expultrix facultas suo fungens officio humores cum partibus pharmaci simul expellit & detru-
dit, vnde euacuatio consequitur ampla & perfecta: quæ sanè responsio hodie summæ doctis arridet, & placet, & eo magis quia ex Galeni dictis deducta sit. Scire tamen medicum oportet, quòd multis de causis medicamentum prauos commouet humores, sed non euacuat: prima ob ipsius actionem remissam, & debilem: secunda ob materiam expelli contumacem, quæ commouetur quidem, sed expulsionem resistit, & latius in corpore spargitur, & increfcit, vel ob imbecillam sumentis virtutē non potentem in medicamentum agere: quo fit, vt nequē medicamentum in virtutem &

natu

naturam agat: vel ob flatus crassos medicamentum subleuantes, & in poros corporis impingentes (vnde febres putrida, syn-
 copis & mors festina) vel ob facultatis expultricis imbecillitatem, vel ob meatus, per quos vacuandū est, obstructos aut constipatos, vt theoremate tertio libri primi Mesues dixit, quē Syluius Parisiensis, medicus doctissimus, & elegantissimus superioribus annis Latinissimum, & ab elutie sordida tersum, ac purum in lacē, elegantioris & solidioris medicinæ iuuandæ gratia misit, cuius conatus felicitet Deus maximus, vt Auicennam quoq; similem reddat, & in lucem ad omnium vtilitatē mittat. Est sanē Auicennæ opus, vt vastum, ita impeditum, & caliginē obscura obsitum, altero Galeno, vt à mendis & erroribus purgatum in totum restituatur, indigens. Cæterum, vt ad institutum nostrum reuertamur, scire quoque decet, quibusnam de causis medicamentum purgatorium vomitum, & animæ subuersionem excitat, quas omnes felicissimè prosequitur idem Mesues prædicto theoremate, quum de medicamento illegitimè & moleste vacuante agit, non minus ac eas, ob quas hypercatharsis, hoc est medicamento purgante vacuatio immodica fiat, quas ex

AMATI LVSITANI

Galenī lib. tertio De facult. simpl. med. ca-
pīte 26. & 27. deprompsit, & eas omnes
medicus artem exercens ante oculos te-
neat decet: vt Centuria prima memoriæ
commendaui.

*De quodam animam agente, & oremone
laborante: simulq; de altero simili, qui
quum bibebat, quasi ex alto potus cade-
ret, intus sonabat,*

CVRATIO LXXI.



Ir qui ad rupes diui Cyriaci æ-
grotabant, & diuturna dysen-
teria laborabat, à multis mihi
commendatus est. Cæterum
quum ad ipsum perueni, eum oremone la-
borare inueni: qua de re præfagio habito,
quòd is intra paucos dies, ne dixerim ho-
ras, moriturus esset, aquam destillatitiam
ex capo bibendā dare iussi; qui, vt postea
percepi breui vitā egit. Porro eo tempore
quum ad alterum diuerterē diu febricitan-
tem, & male habentē, quum bibebat, qua-
si ex alto potus caderet, intus sonabat, per-
cepi: proinde hunc breui quoq; moriturū
dixi, quādo signū hoc mortis certū est præ-
fagiū, vt ex Hippocrate lib. 7. De morbis
populariter vagantibus percipitur, vbi de
Chartado, & Cidis filio sermonem habet

De mu

De mulieribus parientibus,

CVRATIO LXXII.



Mulieres quæ mense Decembri Anconæ peperere, omnes masculos habuerunt, si quæ tamen puellam peperit, illico illi puella moriebatur: cōtrario verò omnia mense Ianuario sequenti, anni 1553. euenerunt, quum omnes fœminas peperere: si qua tamen masculum peperit, illico puer aut moriebatur, aut gracilis & imbecillis erat: nonnullæ tamen mulierum octimestres hoc eodem mense ex masculo abortierunt.

SCHOLIA.

Mulieres parientes mense Decembri, cur masculos peperere: quæ verò mense Ianuario, fœminas, causam reddere difficile sanè est, ad influxus forte cœlestes recurrendum esse quis autumarit: sed cur octimestris fœtus non viuit, id in causa est, vt refert Hippocrates libro De octimestri partu, & Picus Mirandulanus contra astrologos maximè adnotat, quia mulieres octauo mense afflictiones semper patiuntur, & consequenter in vtero materno pueri affliguntur: vnde si hac afflictione pueri detenti altera, quæ partus tempore euenit, affligantur, eos mori necessario est, sic enim prædicti libri initio Hippocrates ait: De octimestri partu sic sentio, impos-

AMATI LVSITANI

sibile esse ut duas consequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint, & propterea octimestres non superstites manere, cōtingit enim ipsos consequenter affligi, tum ea quæ in utero sit afflictione, tum ea, quæ in partu accidit, & ob id nullus octimestris vitalis est. Hanc autem rationē libro De septimestri partu idem Hippocrates primo, sed longis verbis astruxit, ut eam Hippocratis esse non sit ambigendum. Huic subiungenda est altera ex libro De carnibus ratio, ubi hominem in septem diebus perfici, & vitam habere probat: primo experimento, quia intra hos dies septem meretrices publicè conceptum perdunt, qui postea tanquam caruncula elabitur, quam carunculam in aquam frigidam coniectam si exactè conspexeris, omnia mēbra habere reperies, ut Hippocrates ipse quoque expertus fuit in mulieris sibi familiaris famula cantrice, magnæ existimationis, libro De natura pueri, siue foetus, unde septem diebus hominem perfici dicendum est: quod etiam ex hoc manifestum redditur, quia homo per septem dies tantum absque cibo & potu perdurare potest, tertio quod hominis liniamentum septem diebus compleatur, ex hoc manifestū euadit, quia puer septimestri partu natus, pro ratione natus est, & viuit, & rationem talis habet, & numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum. In octimestri autem natus nullus unquam vixit, quia nihil horum habet: ita enim

octauus

Octavus mensis imperfectus, ac imminutus habetur, sicut dies octavus inter decretorios, ut quoque Hippocrates innuere videtur libro De septimestri partu: item, ita habetur octavus mensis pregnantibus, sicut nox difficilis & laboriosa ijs quibus crisis die sequenti futura est. Ceterum astrologi ijs alteram addunt rationem à planetis desumptam dicentes, Saturnum supremum & primum planetarum genituram primo fouere, & suo aspectu, ac siccitate eam condensare, ac in corpus redigere: post quem secundo mense Iupiter ipsum foetum respicit: tertio, Mars, quarto Sol, quinto Venus, sexto Mercurius, septimo Luna, octavo verò iterum Saturnus: qui quum vita sua frigiditate & siccitate hostis sit, foetui contrariatur, neque eum vitalem esse desinit: haec verò pro dubio proposito diluendo sufficient. Cetera verò varia huic rei facientia, etiam à signis zodiaci desumpta, consilio praterimus: quae curiosus lector apud autores legere poterit, praecipue apud Hippocratem & eiusdem enarratorem: sed ex inioribus legere ne pigeat Leonardum Fuchsum Germanum, commentarius suis in librum sextum Hippocratis De morbis vulgaribus, & Hieronymum Cardanum Mediolanensem, libro suarum contradictionum. Ceterum quum haec & similia observabamus Divus Petrus à Toletò in Neapolitano regno prorox cum eius filio Divo Gartia magnis copiis, & ingenti navali apparatu

AMATI LVSITANI

contra Senarum ciuitatem venire, obnixè defendente eam Hippolyto Eſtensi Cardinali Ferrarie amplissimo, ac vice Galliarũ regis in Italia pro rege, & Carolus quintus imperator obsidionem à Mediomatricibus ciuitate Lotharingie præcipua, deposuit.

De erysipelate ulceroso, faciem &
oculi dextri uniuersam regionem præhendente,

CVRATIO LXXIII.



Ilia Falconis, nata annos duodecim, erysipelate ulceroso faciem & uniuersam oculi dextri regionem cum ingenti pruritu præhendente fœdabatur: ad quam accitus ipse, & illico à propinato bolo ex flore extracto à cassia fistulari, vnguentum hoc illi supra locum affectum apponi feci, quod habet ℞. Vnguenti de plumbo vnciam vnā & mediam, albi camphorati vnciam vnā, populeonis vnciam mediam, opij grana tria, camphoræ scriptulum vnum, cum aceto acerrimo misce, & in mortario plumbeo optimè tractetur, quoad mellis crassioris corpusculum acquirat. Cæterum sequenti die syropos hos ebibere cœpit. ℞. Syrupi rosati simplicis, de succo acetosæ, de cicorea, ana vnciam

me

mediam, aquarum lactucæ, endiviæ, acetosæ, añ. vnciam vnā. Misce, fiat syrupus, quem per sex dies ebibit: & postea ex rhabarbaro & catholico electario pharmacū concinnatum ebibit: quo multa purgari debita, purgata sunt: & postea ad errhina medicamenta deuenimus, scilicet succum radicis, & foliorum cyclæ & maioranæ, qui potissimū per eam narium partē iniiciebatur, quæ sacrum ignē respiciebat: sed tunc mixturam accipiebat hanc, quæ habet: ℞. Sacchari violacei, borraginati, rosacei, ana vnciam vnā. Pulueris santalorum citrinorum drachmam vnā, cum syrupo rosaceo simplici misce, fiat mixtura, & folio auri inauretur: cuius in aurora semiunciam comedat, & desuper vncias duas aquæ endiviæ bibebat. Huic victus optimus erat, ad frigidum declinans. Vinum porro nunquam in vita sua gustauerat, ea de causa hordeaceam iulepo adiecto bibebat: quibus ita tractata intra mensem sanitatem obtinuit.

De febre continua,

CV RATIO LXXIIII.



Onachus ordinis Prædicatorij, annos natus viginti, quum intensæ nebulæ & caligines densissimæ præ-

AMATI LVSITANI

me præcellerant, in febrem continuam cum capitis ingenti dolore lapsus est: cui ab alui excrementis per clysterem depositis illico sanguinis vncias octo extrahi feci: qui sanè ita corruptione affectus erat, vt omnibus admirationi esset, quòd tam breui talem, tamq; ingentem putredinẽ contraxerit, qua de re vesperi ex eodẽ foramine totidem vncias sanguinis effluere permisi: à qua sanguinis missione febris mitior reddita est, & capitis dolor ex toto ablatus, & vrina melior apparere cœpit, adeò vt ebibitis syrupis, & epoto pharmaco intra septẽ dies sanitati restitutus fuerit, vt varij alij qui eo tempore simul eisdem febribus similibus correpti fuerunt.

De ephemera febre,

CVRATIO LXXV.



Angelus Ferretus, ordinis Prædicatorij monachus reuerendus, & totius Anconitanæ Marchiæ vicarius dignissimus, in fine mensis Ianuarij 1553. horrorem quendã per integrã horam passus fuit, quẽ postea febris per totam noctem durans excepit, quam vigil & insomnis totam transegit: ad quem in auroa vocatus omnia cõtēplor, & eius pulsam considero, cuius collationem

tionem ad suum naturalem facio, quem sæpe tetigeram, & eius hodie notitiã habeo: & vt conieci, parum à naturali differbat: sed & lotium contemplor, quod substantia & colore cum nubecula optimum apparebat: quæ omnia cõsiderans, eum bono animo esse iussi, ephemeram autem febrem hanc esse nõ dubitabã: sed vnde nã originem traxerat, ignorabam. tunc ille post multa hinc inde quæsitã, bardocuculum Gallicum vestis genus, altero antea die se expoliassẽ exposuit, ex qua forte causa febrem illam euenisse ager ipse nõ dubitabat: quod ita esse postea visum est, quum non alteram passus sit.

SCHOLIA.

QVorum pulsus in sanitate tetigimus, & eorum sumus memores quando egrotant, vt iudicium per arteriarum pulsus faciamus, non ad pulsum temperatum eos pulsus referre debemus: sed magis ad suum propriũ, cuius notitiã habemus, & eius meminimus. Ceterũ suadet Galenus libro secundo De dignoscendis pulsibus, pulsus referendos esse ad pulsum temperatum, quem tanquam regulam & mensurã constituit: sed id in causa esse scitote, quia in varios & ferẽ infinitos incidimus egrotantes, quos nunquam vidimus, & alios, quos si vidimus, eorum tamen pulsum notitiã non habemus. Porro

AMATI LVSITANI

quorum pulsus sanitatis tempore cognouimus, quando egrotant eorum pulsum collatio fieri debet ad suos naturales & sanos: vt prædicto libro suadet Galenus, & nos Centuria tertia harum curationum medicinalium meminimus in ea præsertim curatione, qua Barbosi prosequimur morbum & pulsum.

De quartana continua,

CVRATIO LXXVI.



Ben Maior, ex Galileâ, hodie Sapheto dicta ciuitate, vir annos natus triginta tres, post annuâ quartanam simplicem in continuam lapsus est; in qua optimè tractatus, & secta vena sinistri brachij, lienari, ac epotis apozematis atram bilem respicientibus, & vim referandi obstructos meatus habentibus, sanatus est. Cæterum tametsi à febris quartana continua hic liber erat, nihilominus tamen facie pallidus & tumidus apparebat, vt hunc malum habitum morbum pati dicendum esset: tumentem autē lienē habebat, & iecur male affectū, pro quibus destruēdis topicis medicamentis utebamur. Cæterū paucis interpositis diebus sanguis huic per narē dextrā effluere cœpit, & ita copiosè, vt homo ad magnā peruenerit imbecillitatē: tunc quum multa

multa pro sanguine sistēdo peracta essent, per aliquot horas sanguis restrictus est: sed postea vt primò rediit, tunc secta fuit vena reptans inter minimum digitum & anularem in manu dextra, & variæ aliæ retractiones molitæ sunt, cum quibus & per intervalla sanguis fluebat, vnde vir hic angustiabatur, & multum tristabatur. Variis igitur machinatis remedijs pro sanguine compescendo, tandē supra eas duas venas quæ per frontem repunt, & aliquantulum tunc tumebant, apponi duas semifabas tanquam laminas & fascia optimè fasciari iussi, supra quas etiam albumen oui leuiter concussū adiecto gypso stupa exceptum admovebatur, & tandē sanguis ex toto constrictus fuit, & homo paulatim conualescere cœpit, donecque integram consecutus est sanitatem.

SCHOLIA.

IN ijs sanguinis per nares fluxionibus rebellibus animaduertendū duximus, si in temporibus vena aut arteria, aut in fronte ipsa vena tumeant, tunc eas numismate aliquo, aut fabis siccis per medium in longum dissectis, intersepire, & intercludere fascia interueniente, optimum & supremum remediū esse: vt in hoc egrotante actitatū vidiſtis, & altero, in quo vasculis per tempora currentibus solis digitis cōpressis,

AMATI LVSITANI

sanguinis narium fluxus restrictus fuit: sed hæc præter Galeni mentem dicta non sunt, præcipuè quum defluxionibus ad oculos per vascula superficialia currentibus, libro xij. Methodi mendi loquitur.

De dysenteria ab atra bile orta,

CVRATIO LXXVII.



Andreas Caupo, qui in via stricta & angusta habitabat, dysenteria ab atra bile originē trahente vexari cœpit. Cæterum quū multa huic morbi initio facta essent, & humor pro posse excretus, & succedente tempore melius habere visus esset, nihilominus tamen morbus ita seuerus & carnifex factus est, vt hominem vicerit, & ipsum ad interitum traxerit: fuere autem omnes ægritudinis dies quadraginta.

De dysenteria uera,

CVRATIO LXXVIII.



Miles qui Senensi bello Anconam reuersus est, & extra urbem ad turrim tabernulæ agebat, iādiu est, dysenteria laborabat, ad quem accitus ipse, eum prædicto morbo laborare inueni: nam hic multum egerebat

bat cum sanguinis aliquali permixtione:
 & circa vmbilicum dolebat, & non febricitabat, & ad oblata nō bene se habebat.
 Huius igitur curationem suscipiētes nos
 lac ferreis soleis equorum ignitis bene co-
 ctum, quoad serosa pars ex toto consum-
 pta sit, bibendum ieiuno stomacho dedi-
 mus: ex quo lacte clysteres quoq; parare
 illico fecimus, neque minus per exteriora
 venter inungeretur ex vnguento à corti-
 cibus parato curauimus, quibus intra bi-
 dum optimè se habuit. Cæterum cibus
 huic ex capo asso parabatur, non nisi re-
 spersus boli Armenia puluere, aut simili:
 sed postea clysteres parati sunt ex planta-
 gine, centumnodia, summitatibus rubi in
 aqua chalybeata, adiecto seuo hircino,
 oleo myrtillorum, pulueribus thuris, ma-
 stichis, sanguinis draconis, boli Armenia,
 & similium, de quibus secunda Centuria
 multa, si rectè teneo, dixi.

SCHOLIA

Dysenteria hæc neque à bile meraca ortum
 trahebat, neque eam febris comitaba-
 tur: proinde eam lacte sic curauimus, & agrum
 breui in sanitatem traximus. Tu verò optimè le-
 ctor, qui huius rei multa & pulchra desideras,
 lege secundam nostram Centuriam.

AMATI LVSITANI

De quodam qui titimali generis cuiusdam fructum comedit, & in animi deliquium & cordis pressuras deuenit,

CVRATIO LXXIX.



Aedagôgus, qui ingenium subtile, & memoriam tenacem habere desiderabat, vt anacardinę confectionem fugeret, carpasij fructum (cubebam hodie pigmentarij, & officinarum mangones appellant) comedere summopere desiderabat, & eo magis, quia eius vsu prædicta consequi à viris doctis acceperat, & reuera cubebam opus hoc complere, & multa alia non negamus. Cæterum quum ad pigmētarium vt cubebam semen odoratum sibi per puerum deferendum amandaret: ecce pharmacopolæ, vt sæpè fieri solet, parum instructus minister, vice cubebæ seminis odorati, fructum, quē piscatores vulgò coccam vocant, & eo pisces fluuiatiles & lacustres interficiunt, & quem nos semen titimali cuiusdam esse putamus, misit: cuius quum quatuor ad summum grana miser pædagogus auidissimè comederet, illico in nauseam & singultum, ac animi angustias incidit: ad quem quum amici & fami-

mil

miliares peruenissent, & rem considera-
rent, videntes carpesij siue cubebæ semi-
nis vice coctam, illico rem ex toto tenēt,
& ad me confugiunt, remedium pro tan-
to depellendo malo quærentes. Ego verò
quum primum rem teneo, illico vomito-
rium parandū iubeo, quo vel intra horam
ex integro ab eo agone & periculo liber
est factus, habet autem vomitorium sic,

℞. Seminis anethini, radiculae, cumini,
añ. vnciam mediā, in aquæ libris duabus,
fiat decoctio, facta colatura, adde oxyme-
litis simplicis vncias duas, agarici boni &
albi puluerizati drachmam vnam. Misce,
fiat vomitorium, & tepidum ex eo quan-
tum potuerit vno haustu bibat: quo breui
omnia non solum comesta, sed pleraque
alia euomit, & sanatus est.

*De quodam duplici tertia-
na laborante,*

CV RATIO LXXX.



Omachienfis mercator vir an-
nos natus quinque supra trigin-
ta, & qui multa anguillarū va-
scula Anconæ vendenda condu-
xerat, in duplicem tertianam lapsus est:
ad quem ipse perueniens, & omnia, vt de-
cet, considerans illico clysteri præmissa,

AMATI LVSITANI

& alui excrementis depositis ex brachij dextri iecoraria vena sanguinis vncias sex extrahi feci, & syrupum hunc ebibere.

& Syrupi acetosi simplicis vnciam vnā de endiua vnciam mediam: aquarum endiue, buglossæ, acetosæ, ana, vnciam vnā, Misce. Victus huic in prandio pulli gallinacei carnes erant, vesperi verò ob paroxysmum occupantem parum cœnabat: sed potus vinum oligophorum erat: quo ordine breui altera tertianarum deposita est, altera manente: quæ quoq; ebibitis apozematis aperiendi & refrigerandi vim habentibus, breui extirpata fuit, præmissio tamen leui quodam pharmaco & iecoris roboratione vt decet: quia vt nostis, in atrabiliariis lien, in pituitosis ventriculus, in biliosis verò iecur roborari debet, fuere autem omnes dies viginti.

De phlegmone ori ventriculi impacta,

CVRATIO LXXXI.



Agustinus, qui inflammatione oris ventriculi laborat, & ita imbecillis est vt sanguinis missionem ferre nō valeat solis clysteribus ac fomētis rectè admotis, & subtili victus ordine instituto euasit: euasit autem septimo die curationis, quartodecimo

cimo verò à morbi initio. Cæterum in memoriam reuocare decet, quòd ij, qui ventriculi & iecinoris inflammationibus tenentur, subtiliori victus ordine tractari debent, quàm qui pleuritide vel altera pectoris inflāmatione correpti sunt, vt suadet Galenus lib. Methodi medendi, & nos in hac Centuria abundè profecuti sumus.

De puero obstructionem in iecinoris parte cōcaua patiente, & icteritia laborante,

CVRATIO LXXXII.

Ilius, Berosij, doctoris magnifici, annos natus quinq; , iecur dolebat: & in eius oculorum albo icteritia percipiebatur, cuius lotium ac multum croci in aqua perfusum esset, non nisi ad nigredinem vergens, & sterqus album conspiciebatur, cum quibus ventriculus infestus erat, & ad vomitum pronus: quo fit, vt ea quæ puer comede-
bat, sæpe vomebat: si ea tamen retinebat, in putidos ructus caliditatem extraneam arguentes incurrebat: cum quibus omnibus aliquantulum puer hic febricitabat: quæ omnia iecinoris concavas partes obstructas esse attestantur, vt huius Centuriæ curatione secunda abundè dixi, quum

AMATI LVSITANI

huius fratris curationē prosecutus sum. Ad hunc igitur deueniens ipse victum tenuem ei institui, quāptisana cum semine melonis parata, aut amygdalinus cremor, aut pulli iasculum erat: potus verò hordeacea, post quem syrupum hūc descripsi, quē in aurora ieiuno stomacho bibebat: & ita habet, **℞.** Syrupi de endiuia, lupulorum, añ. vnciam mediam, aquarum endiuia, cicorea, lupulorum, añ. vnciam vnā. Misce. Porro iecinori emplastrum hoc applicitum fuit. **℞.** Farinae hordei, rosarum rubearum, añ. pugillū vnum & medium, absinthij, lupinorum, camomillae, ana, pugillum vnum, schinanti drachmas duas, croci drachmam vnā, olei rosacei, camomillini, ana, vnciam vnā & mediam, cum decoctione camomillae & rosarum, fiat emplastrum secundum artis ministerium: quo breui optimē valuit, adeo vt epoto sexto die ex rhabarbaro cū manna pharmaco sanitatem integrā obtinuerit. Mente tamen exciderat, quod ventriculus hoc illinebatur linimento,

℞. Olei cydoneorum vnciam vnā, rosarum vnciam mediam, cereae parum ad ignem

Misce, fiat unguentum.

De

De sputo sanguinis cum tussi, &
alijs symptomatis,

CV RATIO LXXXIII.



Vuenis ex Meninis, cōcionator egregius, annos natus triginta, temperatura biliosus, exustus, collum oblongum habēs, pectus verò non adeo latum, medio Februarij mense agrotare quadā leui agitudine cœpit, ex qua medicorum auxilio breui optimè habuit: postea verò interiectis paucis diebus subcruenta sputa ingenti cum tussi sed absque dolore emitte-
tere cœpit: post octo verò elapsos dies à prædicto sputo, æger ad costas mendosas grauissimè dolere cœpit, quem dolorem comitabatur tussis prædicta cum sanguinis tamen viuidi, sed nō spumosi reiectione: ad hæc difficultas respirandi, febris cōtinua, & difficilis ad vtrunque latus decubitus: quam affectionem medici pro pleuriti decurarunt, & septimo die æger in copiosum sudorem deuenit, à quo symptomata omnia diminuta sunt, imò paucis postea diebus ex toto sublata sunt, perseverante tamen sputo sanguinis multæ pituitæ viscidæ mixto, & aliquali sed miti dolore prædictum occupante locum: rarò

AMATI LVSITANI

is febricitat, non fitit, non alibi quàm si-
gnato loco dolet, si quando tamen febrire
contingat, leui & vix perceptibili feбри-
cula febricitat. Quæritur, an morbus hic
ab initio pleuritis fuerit, vel non fuerit
pleuritis: & fuerit venæ alicuius ruptura,
vel corrosio: agitur autem iam trigesimus
dies, ab eo quo sanguinem spuere cœpit:
& vigesimus tertius ab eo quo symptoma-
ta omnia, quæ pleuritidi sunt propria, pa-
ti cœpit. Cæterum quod affectio hæc non
fuerit pleuritis, sed verius venæ ruptura
in thorace vel iuxta pulmones quidam sic
astruebat: quia primo agrotus hic sangui-
nem spuit absq; symptomatis aliquibus,
quæ si postea superuenerunt, id in causa
fuit, venæ ipsius ruptura aut corrosio, ad
quam humores postea defluxum habue-
runt: secundò quod non fuerit pleuritis
probat, quia pleuritide laborantes qua-
tuordecim diebus necesse est purgentur,
ab ea scilicet hora qua spuere pleuritici
incipiunt: quod si nō purgantur, in suppu-
rationem abeunt, vt docuit Hippocrates
libro quinto Aphorismorū aphor. octauo,
quum dicat: Quicumque laterali morbo
laborantes in quatuordecim diebus non
repurgātur, ij ad suppurationem vertun-
tur: Porro quum plures dies sint quibus
hic

hic affici & expuere cœpit, & in eodem sputo perseverat, & non devenit ad suppurationem, id est transmutationem inflammationis ad pus vel puris ipsius collectionem, intra thoracem & pulmones, consequens est, non esse morbum hunc pleuritim, sed potius alicuius venæ rupturam, vel rosionē ex qua sanguis deceditur. Neque enim Anaxionis Abderitani historia apud Hippocratem vulgata, ex libro tertio Epidem. quam Galen. libro primo Aphorism. & De crisi citat, is torquetur, aut ab opinione sua fugatur, quum etsi triginta & quatuor dies pleuritim passus est, intra tamen quatuordecim dies per sputum purgatus fuit, suppurationem faciendo à die in quo expuere cœpit, qui septimusdecimus fuit, ad trigesimumquartum, qui morbi finis est. Continentur autem quatuordecim dies, intra 17 & 34. Alij verò morbum hunc pleuritim esse statuunt, sed à principio, ut aiunt, levis morbus erat, postea verò increbruit, & symptomata omnia sunt aucta, à qua inflammatione sanguis exit partim floridus, partim verò subniger, multa cum pituita mixtus: neque enim argumentum in eos deductum quòd pleuritidis in tam longū nō deducatur tempus, eos terret, quum terminus pleuritidis

AMATI LVSITANI

expurgandæ ad quadraginta dies extendatur, vt memorie commendauit Hippocrates diuinus libro de morbis qui extrâ & aphorismo quintodecimo libri quinti, vbi legitur: Quicumque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die à qua fit ruptio, liberantur: si verò non, ad tabem transeunt. Neque defuere alij, qui hac in consultatione dixerunt, sanguinem in morbi huius initio ex alicuius venę rosione aut ruptura fluxisse, ad quam postea pleuritis fuit secuta, & ea quidem grauis non solum internâ costas succingentem membranam prahendens, sed etiam externam: id quod attestabatur decubitus ad vtrunque latus difficilis, & pulsuum varietas. Quum igitur in morbo isto dignoscendo dissensio tanta fuerit, quę artem variam & dubiam reddere solet, in eo tamen curando talis seruatus est ordo, vt homo intra quinquaginta dies sanatus sit: & primo cibus huic ptisana mixta cõtuso ex pullo gallinaceo concinnato erat tam in prandio quàm cœna: postea verò succedente tempore ipsiusmet pulli carnes superaddebat: potus verò aqua hordeacea erat: nã à vino semper nostris monitis abstinuit. Sed post vitum cydoneorum caro sigilli gratia veniebat, aut coriandum

tianum prima facchari coopertura incrustatum. Cæterum ex medicamentis syrupus hic erat, quem ieiuno stomacho bibe-
bat: & ita habet, ℞. Syrupi capillorum
Veneris vnciam vnā, myrtillorum vnc.
mediam, aquarum capillorum Veneris, so-
latri, plātaginis, añ. vnciam vnā. misce. sed
interdiu diadragāthum ex bolo Armeno
in ore semper habebat, & faccharum rosa-
ceum cum bolo Armeno quoq; mixtum
sæpe comedebat: quibus paucis remediis,
& nonnullis paucis topicis appositis san-
guis à fluxione cursum suum desinit, & sic
intra quinquaginta dies æger hic ex toto
sanatus est.

SCHOLIA.

Quod sanguis quatuor modis effluere à va-
sis potest, docuit Galenus libro quinto
Methodi medendi, ubi pro coronide ita habet:
Sanè profluit ex vena aut arteria sanguis, aut
reserato earum ore, aut tunica earum diuisa, aut
transcolatus, siue sudoris instar transfusus. Por-
rò diuiditur ipsa tunica, aut vulnerata, aut cōtu-
sa, aut rupta, aut erosa. Anastomosis (hoc est re-
seratio) accidit propter tum vasis imbecillitatem,
tum sanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam:
ad hæc acrem quāpiam, quæ illic extrinsecus in-
cidat, qualitatē: diapedesis verò ex tunica rarefa-
cta, & attenuato sanguine oritur, accidere tamē

AMATI LVSITANI

*poteſt & ob gracilium vaſorum os adapertum,
& cætera, quæ multum huic rei faciunt, & lector
ſtudioſus percurrere poterit.*

De ramice aquoſo,

CVRATIO LXXXIII.



Vi ex monte ſecuro puer an-
nos natus decem, febribus intē-
ſiſſimis affligebatur, nullis ad-
hibitis remediis, ex ſe ſanatus
eſt. Cæterum breui non multis poſtea elap-
ſis diebus in alium grauiorem morbum
lapſus fuit, ramicē ſcilicet aquoſum: quē vt
rectē curaremus, Anconā deſerri fecimus,
qui ita ſcrotum in totum inflatum cum
ipſa mentula habebat, vt parum fuerit ne
ex ſe membra hæc rumperētur: color illis
albus erat & lucidus, aquoſitatem præ ſe
ferēs: tactu ſcrotum prædurum erat, quod
de ſacili, quum tangebamus multum dolo-
bat. Vt igitur morbum hunc extirpare-
mus leui per pharmacum præmiſſa pur-
gatione, ac victu ad ſiccitatem decli-
nante facta fuit in eodem ſcroto ſcapel-
lo acuto duplex incifio, vnaquæque ab
eius medio incipiens iuxta longitudinem
ad pubem ferē, non multum à linea ſcro-
tum ipſum per medium ſecante, diſtans.
Nam & tunicam erythroidem incidimus,
& mul

& multum aquositate extrahi fecimus, & per emissacula turundis ex ovo illitis intromissis, & exterius oleo camomillino membris vicinis optimè fosis, emplastrū hoc desuper applicitum fuit, ℞. Pulveris camomille, meliloti, anethi, rutæ, bacæ lauri, orobi, lolij, fabarū, añ. pugillum vnum, salis ammoniaci vnciam vnam, olei rutacei, laurini, ana, vncias duas. Cum lixiuo ad ignem fiat emplastrum, & desuper ponatur, & fascia optimè fascietur. Sequēti verò die ita scrotum cum mentula tumefacta erant, vt omnes assistentes miris laudibus artem extollerent, ad Deum Opt. Max. eius creatorem laudes fundendo. Sequentibus verò diebus abstersorio medicamento intinctis turundis, ac desuper vnguento basilicone applicito, & emplastro prædicto semper admoto intra paucos dies ex toto sanus euasit. Ceterum quū in pagum reuerteretur intra mēsem, malo fortè regimine vsus, totus tumefactus illæsis (quod mirum dixerim) mentula & scroto suum diem obiit.

De pleuritide, C V R. L X X X V.



Xor à Tauro, annos nata triginta quinque, temperatura sanguinea, eo tempore, in quo menses

AMATI LVSITANI

illi fluere debuerāt, cohibiti sunt: vnde dolor illi ortus est, fixus (vt ipsa aiebat) scapulæ dextræ, sed brachio eidem dextro respondens: adeo vt ita acriter de brachii dolore per intervalla quædam quereretur, quæadmodum de ipsius scapulæ dolore, cum quo febris continua gravis erat: tussis ingens dolori respondens: ad hæc difficultas respirandi, sed in thorace nullus erat dolor. Ad hanc igitur tertio die ægritudinis accitus ipse, illico ex pedis vena saphena dicta, sanguinis vncias decem minui feci, & syrupū hunc ebibere, ℞. Syrupi violacei vnciam vnam, de endiuia vnciam mediam, aquarū farfaræ, violarum, añ. vnciam vnam & mediam. Misce, & tepidū bibat: & ad aliquot dies repetat, Itē vt interdiu & noctu esambendo sumat, ℞. Loch de althea, de farfara, añ. vnciam vnam, sacchari Candi violacei, penidiarum, añ. vnciam mediā, cum syrupo violaceo, q. suff. misce, fiat lambetium. Cæterum quum non dormiret, syrupum de papauere cum aqua lactucæ vel solani bibebat, & somnus conciliabatur. Victus huic ptisana erat, vel amygdalarū cremor: septimo verò elapso die ius gallinacei illi in prandio erat: in cœna verò ad quatuordecimum vsque ptisana colata semper fuit, sed potus aqua hordeacea iulepo

lepo violaceo, vel saccharo mixta erat. Cæterum hæc primis diebus multa expuere cœpit, & nonnunquam sanguinolenta ad sextum vsque diem: sed octauo bolum ex cassia illi obtulimus, quo satis purgata fuit: tandem quartodecimo sanata est, copioso quodam sudore, vniuersum eius corpus irrigante, superueniente.

De febribus errantibus, nullum seruantibus ordinem dictis.

CV RATIO LXXXVI.



ANtonius ex Baptista Longo, iuuenis honestus & bonus, mense Februario febre horrida corripit, quæ postea in assilendo nullum seruabat ordinem: huic quum vrina rubra & crassa esset, & iuuenis ipse bene corpulentus, sanguinis vncias octo extrahi feci, aluo primo consueta respondente, & syrupum hunc ebibere, R. Syrupi de endiuia, de borragine, lupulorum, añ. vnciam vnā, aquarum de fumo terræ, borraginis, lupulorum, añ. vnciam vnā. Misce. Cæterum sequenti die quum grauius se habuerit, iterum sanguinis vnciæ quatuor extractæ sunt non nisi optimi, unde indicium accepi, hunc breui euasurum, & à febre liberatum iri: sexto phar.

AMATI LVSITANI

macum ebibit, & ter vel quater egeſſit: tunc in inguine panus extra prodiit, quem febris ingens maximo cum capitis dolore comitabatur: pro quo curando emplaſtrum maturans applicitum fuit, qui ad multos dies ex ſe diſruptus fuit: & poſtea ex eo depoſito purè ſyrupose bibit atrabilem reſpiciētes, & pharmacum optimè purgans: à quibus paulatim ſanitatē conſecutus fuit, ſæpe condito ex floribus fumiterræ comesto.

De oris diſtorſione ob neruorum diſſolutionem, paralyſin dictam eueniente,

CVRATIO LXXXVII.



Oannes Franciſcus publicus notarius, grauiſſimo & ſauiffimo dolore iuxta ſiniſtram aurem per aliquot dies afflictuſ eſt, ex quo dolore in oris torturā intra biduum lapſus eſt: quæ quod propter neruorū diſſolutionem, paralyſin dictam eueniret, non verò per conuulſionem ſive ſpasmus, ex iſſis ſignis probatū iri non dubito: primò, quia dolor quum ſiniſtrā occupauit aurem, factum eſt, quòd neruorum illius partem oris obſtricta à pituita ſint: vnde ſpiritus animales ſenſum & motum præſtan-

tes.

tes, per prædictos permeare non valentes
 nervos, vniuersa illa pars suis functioni-
 bus destituta est, & nerui dissoluti & laxa-
 ti: quo factum est, vt nerui partis dextræ
 partes sinistras traherent, & sic labrum si-
 nistrum à parte dextra attractum est, &
 oculi sinistri angulus magnus distractus
 à dextra parte sit, vt continuè vel inuitè la-
 crymetur, quæ omnia attestantur torturâ
 hanc per paralytim euenisse: quia si per
 conuulsionem facta esset, membra sinistra
 dextras partes ad se traherent, & contra-
 rio iis quæ euenerunt, contigerat: quibus
 adde id quod Galenus scriptum dimisit, vi-
 delicet, quod in tortura à paralyti facta al-
 terum trium in ea parte affecta reperiri
 necessum est, aut sensus, aut motus, aut
 vtriusque amissionem: quæ in viro hoc nõ
 deerant, vt latius hæc secunda Centuria
 curatione septima profecuti sumus. Sed
 iam curationem aggrediamur hanc, qua
 probus hic vir notarius curatus euasit:
 ægrotauit autem in hyeme, sed veris ini-
 tio curari cœpit, & primò victus huic
 turtur vel pullus columbinus assus in
 prandio erat: in cœna verò vua, passa Co-
 rinthiaca, & amygdalæ dealbatæ, sed panis
 nauticus semper ad mensam veniebat: vi-
 ni vice aqua mellita erat. Iis enim propo-

AMATI LVSITANI

itis, ac de alui respondentia cura semper
habita, syrupum hunc ebibere coepit: **R.**
Syrupi stœchados, betonica, de fumoter-
ræ, añ. vnciũ med. decoctionis stœchados,
betonica, fumiterræ cum semine fœnicu-
li paratæ vnc. quatuor, misce, fiat syrupus,
quem oñies repetat, post cuius potum ca-
tapotia hæc deglutit, **R.** Pilularum de
agarico, cochiarũ, añ. scriptulos duos, dia-
gridij grana quinq; cum syrupo de beto-
nica fiant pilulæ quinq; & inaurantur, quĩ
bus alius optimè respondit, & sequēti die
clyster lauās iniectus fuit: post quẽ omnia
scriba hic, vt primò se habebat: sequētibus
verò diebus errhynis medicamentis, & a-
pophlegmatismis caput iciuno stomacho
purgabatur: & decoctum hoc ebibebat in
aurora & vesp̃ri, quo multũ sudabat:
R. Polypodij recentis, vnc. quatuor, senẽ,
folliculorum senæ, seminis peronia, semi-
nis cartami, seminis vrticæ, syleris monta-
ni, ana, vnciam vnã, hermoadactylorum
drachmas sex, stœchados, maioranẽ, beto-
nica, saluia, origani, pulegij, dictami Cre-
tensis, coryzæ, ana, pugillum vnũ, vuz
passæ Corinthiacæ libram mediam, scobis
ligni guayaci vncias octo. In libris viginti
aquæ fiat decoctio secundum artem quo-
usque maneant libræ octo: facta colatura,
adde

adde mellis rosacei colatitij, libram med.
 & misce: cuius uncias decem in aurora ieiunio stomacho bibebat, & totidem tertia hora noctis: quibus optime sudabat, & alius aliquantulum respondebat. Cæterum quum apozema hoc finitum fuit, tunc catapotia hæc deglutiuit, quæ habent. *℞.* Pilularum foetidarum drachmam vnam, hermodactylorum scriptulum vnum, trochiscorum alandaal grana duo, diagridij grana tria, cum syrupo de betonica, fiant pilulæ quinque, in aurentur, capiat hora v. noctis, & dormiat. Sed tunc post hanc exactam purgationem vir hic melius habere coepit: & prædictum apozema denuo iteratū ebibere coepit, & caput tūc hoc fomēto lauabatur, quod habet: *℞.* Saluie, maioranæ, storchados, conyzæ, origani, pulegij, rutæ, foliorum lauri, ana. pugil. vnum, seminis foeniculi, ameos, melanthij, añ. vñciam vnam. In lixiuij libris quindecim fiat decoctio secundum artem: ex qua coma tōsa, & barba optime rasa, lauētur & postea linteolis absterfa ex vnguento de bdelio inungantur: modò in vnctione id seruetur, quod ad suum locum faciem frictionibus & manibus reducere curemus: cui prædicto vnguento, & de Agrippa, & de althea & martiatonis aliquādo miscebantur, qui-

AMATI LVSITANI

bus omnibus repetitis paulatim tortura
delit, & omnia membra ad suum locum
versa sunt adeo, vt breui vir hic ex toto sa-
nitatem cōsecutus sit. Fuere autem omnes
curationis dies quadraginta, in quibus æ-
ger hic semper ad speculum chahybeum
sepe se respiciebat, & pro posse oculum,
& membra eivicina ad locum suum retra-
here conabatur.

SCHOLIA.

ORis distortio hac repētē ferē fit, & plerunq;
ab q; febrī, vī hūc cōtigit notario: nā quan-
doq; post acutissimas febres, & sauos morbos len-
tē euenit de quo Cornelius Celsus agere videtur
libro sua medicina quarto, & Razza vltimis
verbis capituli huic rei dicati, libri nomi ad regem
Almansorem: sed tunc mortis presagium est,
quum spasmus cynicus, siue caninus appellatur.
Porro vt aliquid de nervis & musculis huic rei
feruentibus dicamus. Gall. audiamus lib. quar-
to De anatomicis administrationibus. vbi pro
coronide ita habet. Nunc verò de faciei & capi-
tis partibus opportunū videtur dicere: sunt autē
duo musculi tenues, simul & lati, in buccam &
labra descēdentes, à colli spina orti, vnde mēbra-
neum fibrosumq; ligamētū procedens substan-
tiam ipsorum constituit. Complures etiā fibra ex
scapularum spina regionibus, quemadmodū &
ex vniuersa clavicula sede, in buccā terminātur,
atq;

atque oportet hosce musculos, quum vsus aliquis postulauerit, pro fibrarum natura incidere: nam si experiatur magnam incisionem transversam, buccae ad alteram partem reuellunt. Caterum neruorum principum omnibus facies musculis, alijsq; propemodum omnibus ipsius partibus tertia neruorum est coniugatio, qui à cerebro profisciscuntur: quorum sanè distributio tam recta, sicuti & aliorum omnium equissima dispensatio non fortune aut casui, sed arti ac providentia debetur: vt latius hæc libro vndecimo De vsu partium leguntur, & studiosus lector percurrere poterit.

De pleuritide,

CVRATIO LXXXVIII.



Vi ruri agrotabat, vir diues, annos natus propè triginta: vt ex signis relatis deprehendi pleuritide laborabat: qua de re meo consilio illico interna eiusdem brachij locum affectum respicientis, vena illi secta fuit, & sanguis abundè extractus: & nonnulla alia, quæ pleuriticis debentur, sunt peracta. Caterum post sex elapsos dies ad eum accitus iam eum dolore liberum inueni: sed tussim difficilem patiebatur, & parum vel nihil expuebat, cum quibus intensissime fe-

AMATI LVSITANI

bricitabat, & noctu non dormiebat: imò,
 vt assistētes exponebant, noctu delirabat:
 huic vires parum constabant, & ad oblata
 malè se habebat, & urinam iumentorum
 modo turbatam emittebat. Protinus igitur
 quum ad hunc peruēni, ani venis hiru-
 dines duas admouere feci, quæ sanguinem
 abundè suxerūt. Cæterum quum ruri age-
 remus, vbi remedia ad morbum facientia
 deerāt, cœpi alioqui cunctatius hinc inde
 animo inquirere ea quibus probus hic vir
 sanus euadere posset: tandem quum agrū
 percurro, has fortè offendo herbas, & pri-
 mò capillū Veneris, quam ex putei ore col-
 legi: postea in farfaram, bechion herbam,
 quā officinarum seplasiarij vngulam ca-
 ballinā appellant, incidi: dein radices mal-
 uauisci eradicari feci, & vltimo summita-
 tes herbæ Kalendulæ dictæ, quæ in hortu-
 lo erat, lectæ sunt, quibus omnibus vua
 passa exacinata adiuncta fuit, & parū hor-
 dei excorticati, & violarū flores: quæ om-
 nia aqua excepta ad ignē, vt decet, cocta
 sunt: & excolato decocto parum mellis ad
 manus habiti, discosti, & expumati, mixtū
 fuit: quo decoctum dulcoratū euasit: & eo
 sepe gustato, & vt decet, capite supino de-
 glutito, magnū persensit iuuamen, & ex-
 pedire spuebat. Item ex hyosciamō, & al-
 tera

CVRAT. MEDICIN. 303

tera solani specie succus expressus fuit
paucoadiecto aceto, quo tempora, frons,
& aures, ac nares inunctæ breui somnus
in nocte conciliatus est: sed pectus paucō
recenti butyro, vel axungia gallinacea
inungebatur. demum octauo die eum per
cassiam Aegyptiacam purgauimus, & ex
gallinacei carnibus contusum paratum il
li dedimus, veluti in potu parū vini aquo-
si, quod tantopere in toto morbi discursu
appetebat: nam antea sola aqua hordea-
cea utebatur. In victu verò ptisana cremo-
re, aut amygdalino, aut leui panatella,
aut pane aqua lauato, & saccharo resper-
so: sic enim iis ad quatuordecim dies mor-
bus prorogatus est, & ager ipse postea sa-
natus.

De pleuritide sæua,

CVRATIO LXXXIX.



Vi ex Iadera ciuitate apud Dal-
matas Anconā venit, vir annos
natus triginta octo fortis & ru-
bicundus, repente pleuritide cor-
reptus fuit, & ea quidē sæua & forti: nam
ad sinistram mammā dolorem pernecan-
tem punctilem patiebatur, febricbat, tus-
siebat, & difficulter respirabat. Is igitur ex
se, quum sic morbo isto affligeretur, absq̃

AMATI LVSITANI

medicorum consilio per chirurgum venam axillarem eiusdem lateris, vbi erat dolor, aperire fecit, & sanguinem ad vncias octo demere: post quam sanguinis missionem eger hic non minus quam antea afflictabatur, & à dolore cruciabatur. Ad eum igitur perueniens ipse illico ex eodem facto foramine totidem sanguinis vncias fluere permisi, qui sanè non ita corruptione affectus vt primus, comparuit. Cæterum quum ad pharmacopolam diuerterem vt fomentum pro dolore sedando, & lambetium, ac nonnulla alia ad morbum facientia describerem, ecce, huius socij eum inuisum veniunt, & pro eo iuando vteri picati frustum quoddã afferunt, quod supra dolentem locum admouerunt, & dolor ex toto breui leuatus fuit, & paucis interiectis diebus ebibito leui pharmaco purgatorio, paulatim conualescere cœpit, donec integram consecutus fuit sanitatem: quo tempore Chyrosius nobilis Anconitanus à pleuritide quoque liber fuit, sed Petrus Hieronymus iuris ciuilis doctor Picenus ex Rocha contracta, ex eodẽ obiit morbo: coiuerat autem ea, qua ægrozare cœpit, nocte octies.

De angina,

CVRATIO

X C.

Ricca

Ricca mulier vidua, angina labo-
rare cœpit, nihil deglutiebat,
febricitabat, ad guttur dole-
bat, & difficulter respirabat,
sed multa & quidē saniosa expuebat, sed
eo tempore quo expuebat, caput à lateri-
bus manibus comprimebat, vt illi caput
dolere indicaret: nā tunc non loquebatur.
Ad hanc igitur ingressus ipse omnia præ-
dicta considerans, ac mulierem iuuenem
obesam, instante æstu, ex brachij cephalica,
exteriori dicta vena, sanguinis vncias
sex demere feci, neq; enim clystere vti o-
pus fuit, quando bis & ter sua sponte al-
uus quotidie respondebat: sed exterius col-
lo emplastrū hoc applicitū fuit: **R.** Nidi
hirūdinis numero vnū, altheæ, camomil-
læ, añ. pugillum vnū. in aqua fiat decoctio
sufficiēs, & in mortario postea omnia pi-
stentur: quibus adde farina hordei, vncias
duas, camomillæ vnciā vnā, olei rosati, ca-
momillæ, añ. vnc. vnā, croci, drach. vnā, cū
prædicto decocto, q. suff. misce, fiat empla-
strū, & tepidū collo applicetur. Gargarif-
mus quoq; is paratus fuit. **R.** Aquarū plā-
taginis, rosarū, añ. librā vnā, syrupi acetosi
simp. vn. vnā, diamoronis vn. vnā & mediā,
croci dra. mediā. Misce, fiat garga. Iis autē
ita optimē valuit, vt ad venarū sub lingua

AMATI LVSITANI

ectionem non opus fuerit deuenire: veluti in milite, qui bello Senen Anconā reuersus est, & iā a dysenteria liberaueramus.

SCHOLIA.

VT autem in presenti aliquid de angina ex Galeno dicamus, Hippocrates affectus omnes, qui cum spiratione difficili guttur, aut fauces infestāt, cynanchas, hoc est anginas appellat: ac sunt quidem anginae genera quinque; primum est, vbi inflammātur fauces, hoc est internus oris locus, vbi & gulae & gutturis partes extremae coeunt: secundum est, vbi neque fauces, neque reliquae oris partes, neque etiam externarū partiū vlla inflammata videtur, laborans tamen suffocationis periculū in gutture sentit: tertium vbi extrinsecus circa fauces inflāmatio apparet: quartum vbi gutturis partes tam externa quā interna similiter inflammata videntur: quintū denique quū ad anteriores partes colli luxātur vertebrae, id quod sanè contingit vel solis musculis, qui cum ipsis cōmunicant, tumore prae naturā affectis, vel nato ibi tuberculo, vel gula pariter vitata, nonnunquā musculis quoque, qui gulam gutturi iungunt, proprijsq; aliquando gutturis musculis, qui ipsum aperiunt oblaesis. Hec enim pro coronide ex Galeno libro quarto De locis affectis, capite tertio, sint dicta. Nidus hirūdinum, an per se totus anginis conueniat, olim in dubiū traximus, & meritò sanè: quia multi hodie celebres

bres medici ipsius admotionem pro emplastro ti-
ment, & formidant: quia terreus quū sit, reper-
cussorius videtur. Item quia prisci potius cinere
hirundinū pro hac cōplenda operatione uteban-
tur, quam ipsarum nido, ut ex Dioscoride colli-
gitur, & Galeno, & nos cōmentarijs nostris in
Dioscoridem editis diffusè diximus. Nos breui
huic quæsito respondemus, cinerē hirundinū pro
extirpandis anginis optimū esse remedium. si ta-
men non ita faciliē habetur, neque à seplasiarjs
in pyxide, ut eo uti possimus, depromptus: suadeo
integro nido terreo cū suis paleis simul & sterco-
re. pro cōficiēdo emplastro & medicamēto ang-
nis conueniente, medici utantur: quum, ut ex Ga-
leno percipitur, libro sexto. De cōposi. med. per lo-
ca, capite tertio, Nidus hirundinis præcipuē sylue-
stris, aridus, multam discussoriam vim habet. Id
quod Aetius quoque postea memoria cōmenda-
uit, & optimi medici norunt. Præter quā vim,
particulares quoque dotes pro cymanchicis inuan-
dis admirandas obtinet, ut experientia cotidia-
na testatur. Caterū pro vario huius morbi tem-
pore varia medicamenta & remedia applican-
da esse, sciunt docti medici.

De dentium dolore,

CVRATIO XCI.



Vi dentis dolore infestissimē
torquebatur, radicis hyosciamē
ramentum supra dolentem deo-

AMATI LVSITANI

tem admonit, ac intra horam ex toto dolore euauit, neque amplius rediit: ab humore autem calido dolorem ortum traxisse credere par est.

De euocando lacte ad ubera,

CVRATIO XCII.



Mulier quæ puerum lactabat, & lactis defectum patiebatur, nõ propter mamillarum aut corporis totius siccã intemperie, non quia sanguis altera quatuor qualitatum infectus erat, calida, frigida, humida, sicca, non quia puer imbecillis, vt non probè sugere ex mammis valeret, sed quia sanguis bonus paucus in corpore est. Vt igitur mulier hæc scopũ attingat, optimis cibariis bonum & multum sanguinẽ gignentibus vtatur consului: vt ouis recentibus, testiculis gallorum, carnibus gallinaceorum ficedularum, turdorum, perdicis, phasiani, artagenis, & similium, tum assis, tum etiã iurulentis alicuius oryza, vel cicere, vel ocymo, anetho, feniculo, malua, & lactuca, quibus quoque carnes veruecis, aut vituli, vel hœdi, & similium quadrupedum parari possunt: sed oryza lacte & saccharo parata, & amygdalis vel pistatiis, aut pineis adiectis multum com-
mea

mendatur: placentulæ sesamoides melle
vel saccharo confectæ præstantes in hoc
casu sunt, non minus ac ex melanthio ni-
gro, vel citrino paratæ: sed ferculum in
mensas magnatum passim veniens, albū
dictum, id quod Græci λευκαράγιον appel-
lant, per se solum sufficiens est multum
gignere lac: sed lac in hoc casu optimum
est, & butyrum, & vbera optimorum ani-
mantium, veluti pisces optimi, quibus ad-
dimus pinosaccharatum, Martios panes,
amygdalas saccharo incrustatas, semina
melonum saccharo cooperta, & vua passa,
& varia alia bellaria: sed vinum vermicu-
lum & odoriferum, optimum est: cum qui-
bus omnibus frictio lenis ad mammas se-
cunda hora post habitum cibum fiebat:
quibus omnibus lac intra octo dies re-
cuperatum fuit, & ad mammas attra-
ctum. Porro Anconitanæ mulieres hip-
pocampum pisciculum flexuosum, in pul-
uerem redactum, & vino exceptum ad lac
prouocandum bibunt, & optimè votis
respondet.

De febre catarrhali,

CVRATIO XCIII.

AMATI LVSITANI



Adriel Hebræorum hodie sum-
mus cōcionator, anno etatis sue
quingentesimo quinto, tēpera-
tura biliosa exusta, si qua alte-
ra, raucedine siue brācho, hoc est humore
in thoracem & asperam arteriā destillāte,
mense Maio leuiter affligi cōcepit: contra
quē pellendum saccharum Candum ore
tractabat, veluti tragacanthum, pilulas be-
chichas, & similia arteriaca: quibus humor
etsi parabatur, & obediebat: indies tamen
morbus magis hominem affligebat, vt cū
febre postea apparuerit: pro quibus pro-
pulsandis affectionibus medicorum consi-
lio pharmacum hoc illi propinatum fuit:
&. Hordei mundi, capillorū Veneris, flo-
rum violarum, añ. vnciam vnā, iuiuba-
rum, sebestē, añ. numero quindecim. In li-
bra vna aquæ fiat decoctio secūdum artis
ordinem, & coletur. Recipe prædicti deco-
cti vncias quinque, in quibus infunde agari-
ci optimi nouiter in pasta parati scriptu-
los duos, quos per noctem macerari sinas.
In aurora verò colatura facta, & agarico
abiecto, adde prædicto infuso mannae ele-
ctæ vncias duas & mediam, misce, fiat po-
tus: quem aliquātulum retinuit, sed post-
ea vomuit, & octies vel decies egeffit,
non nisi citrina biliosa: quibus viscida
non

non pauca pituitosa inum perentia mixta videbantur: à qua purgatione melius habuit. Cæterum quum extra domum veniret ira & furore percitus, grauius in morbum recidit, tussis frequens erat, cum qua aliquid semper screabat, quã febris intensa comitabatur, capitis dolor, & totius corporis lassitudo: tunc etiã, lotio rubro & crassiusculo apparẽte, interna brachij vena secta fuit, & sanguis ex ea ad vncias sex effluxit: qui in totũ corruptus, ac putredine maxima affectus erat: à qua sanguinis missione melius habere videbatur: nã tunc lecto decubebat, & clysteribus iuuabatur, & amygdalarum, vel ptisanæ cremorem, aut panatellam simplicem emulsione seminis mellonũ concinnatã pro victu habebat: in potu verò hordeacea iulepo violaceo mixta veniebat: sed singulis auroris singulos syropos bibebat, qui habent, *R.* Syrupi violacei vnc. j. capillorũ Veneris vnc. med. aquarũ violarũ, farfaræ, añ. vnc. j. Misce, & interdũ ac noctu ad sputũ facilitandũ aliquid semper pitissabat, vt syrupum violaceum, iuiubinum, loch de althea, de farfara, saccharũ Candum, violaceum, sanoneã, diatragacanthũ: sed successu syrupum de liquiritia, & huic similes. Cæterum quum morbus adhuc ingrauesceret, duobus in-

reiectis diebus à prima sanguinis missione, iterum sanguis ad uncias septē ex brachij vena emissus fuit, post quā sanguinis missionem melius habuit, & postea nonnullis interiectis diebus cassia Aegyptiaca epota conualescere cepit, donec integrā consecutus est sanitatem: fuere autem omnes ægitudinis dies duodecim.

*De dysenteria, philonij Romani
potione curata,*

CURATIO. XCIII.



Videtur inquit extra urbē negotiabatur, annos natus triginta, & febris ingenti corripiebatur. Anconā venit: quā quū nihil contra morbum ageret, in dysenteriam lapsus est, ipsa quoque vigēte febre. Cæterum elapsis quindecim diebus ad eum accitus, hunc adhuc dysentericū prædicta cum febre sed mitiori inueni: qui indies multa & sæpe egerebat, & non dormiebat, sed ietensē sitiebat: nam intestina tunc non adeo dolebant. Hunc igitur exactè considerans, & eius pulsum utcumque constantem inueniēs, hora tertia noctis Philonis antidotum dare iussi, in hunc modum: ℞. Philonij Romani drachmam vnam & mediā, trochiscorum de bolo Armeniæ drachmam mediā. Misce, & cum

& cum paucis vino bibat, vt dixi, hora tertia noctis. Ita enim medicamentum hoc contulit, vt ager ea nocte optime dormierit, & nihil fere egerit: adeo vt paucis postea clysteribus ex seuo hircino & rebus constringentibus concinnatis, immixtis, & ori stomachi roborante emplastro applicito intra octo dies anitatem obtinerit. Huic victus gallinacei carnes erant, quibus veruecis vel vituli pes vnus vel alter incoctus erat, aut panatella praedicto iure ex similagine parata, aut oryza, primo tosta, & postea iure praedicto cocta. Potus vinum rubrum stypticum erat, non nisi aqua chalybeata dilutum: sed aliquando conditum ex philotide herba lingua ceruina dicta, & saccharo paratum comederat, quod summopere valere in hoc casu, tum ex Dioscoride, tum etiam ex Galeno percipi potest, quum de philotide loquuntur: neque enim ambigas linguam ceruinam philitidem esse, vt proprio diximus capite.

S C H O L I A.

Philonis antidotus efficacissima à Philone medico Tarsensi descripta est, vt apud Galenum legimus, libro nono. De compositione med. secundum locos: qui carmine elegiaco, sed anigmatibus obscurato, eam posteritati scriptam reliquit: quam postea Galenus inibi candidè interpretatur.

ALATI LVISITANI

Alterum antidotum hoc vel hanc, Mesue
 suis antidotis describit: qui à Philonis descri-
 ptione per Galenum citata in hoc discrepat, vt
 vice euphorbii, castoreum admittat, in cete-
 ris verò conueniunt. Porro hoc antidotum Aui-
 cenna lib. v. sui Canonis, & Nicolaus, Philonium
 Romanum appellant, non ab inuentore Philone
 Romano, vt ineptè interpretes nugantur, sed for-
 tè quia Roma in cōtinuò & frequenti vsu era.
 Alterā verò huius antidoti descriptionē Mesue
 habet in eo capite, quo de fluxu sanguinis ab ore
 agit, sed longè à dicta diuersam: & Philonium
 Persicum appellat: fortè quod in Perside eius fre-
 quens erat vsus aut inuentio. Nos ad priscorum
 imitationē, vt ex Galeno didicimus lib. xij. Me-
 thodi med. cap j. ob tria opiata, & stupefaciētia
 medicamenta damus: aut propter dolores inge-
 tes, aut propter longas vigilias, aut propter rebel-
 les fluxiones, & cōtumaces destillationes: in quo-
 rum propinatione, vel Galeno teste lib. nono De
 compo. med. secundum locos, tria quoq; seruare de-
 bemus, nimirum vt sensus stupefiat: secundo vt
 nullum in posterum inde circa particulam nocu-
 mentum permaneat: tertio vt affectio ipsa maxi-
 me inde iuuetur. Stupefit autē sensus anodynorū
 improprie dictorum medicamentorū, immodica
 frigiditate: quæ frigiditas neruorū & meatuum
 spiracula, per quæ animalis spiritus sentiendi &
 mouendi vim habens distribuitur, densat, & ob-
 cludit. Quum igitur neruorum spiracula hæc cō-

tracta & preclusa sunt, spiritus extra trāsmitti non possunt, vnde membra sentire desinunt, & consequens partes nō dolent: quia dolor citra sensum tactus fieri non potest, vt docuit Hippoc. lib. De natura humana, & Gal. lib. De elementis, & duodecimo Methodi med. cap. viij. Secundum præceptum erat, vt nullum in posterū inde citius particulam detrimentū permaneat: securius autem opiata & stupefacientia admoventur, quā intus propinantur: & tutius correctā & refracta alijs medicamentis, quā per se sola: composita tamen, vt Philonis hæc antidotus, non nisi sexto elapso à cōpositione sua mēse, aut integro anno, vt placet Gal. in vsū medicū venire debēt, quæ post sex annos viribus minui incipiūt: vt suadet Gal. lib. xij. Methodi med. Ceterū hæc ventriculo vacuo dari cupiunt, neque post deuorata ad quinque horas comedi quicquam debet: imò non nisi post celebratas euacuationes vniuersales stupefacientia hæc medicamenta regulariter propinantur: secus autē necessitate cogente. Porro post horum operationē vno vel altero interposito die aromatica, & membra roborantia calida medicamenta concedimus, vt illorum malam impressam qualitatem frigidam extirpemus. Tertium autem propinationis præceptum est, vt affectio ipsa inde maximè iuuetur: pro quo à nobis in presenti vnum proponendū est dubium: an opiata et stupefacientia medicamēta tutius dentur in

AMATI LVSITANI

rigidis affectionibus, quàm calidis, vel contra-
rio. Mesue descriptione Philonij, indubitanter
securius & tutius Philonium frigidis affectio-
nibus dari, quàm calidis contendit: ut ex in pau-
cis verbis liquido constat, ita enim Mesue. An-
tidotus Philonis efficacissima, & expertissima
sedandos vehementes & letales partium do-
s ventriculi, coli, hypochondriorum, hepatis,
lienis, renū, uteri, excitatos à crudis humoribus,
aut flatu crasso, aut amborum causa intemperie
frigida: valet etiam ad suffocationis periculum,
singultum vehementem, urine difficultatem: ob
hac à morte impendete, vendicat, Hactenus Me-
sue: ex cuius verbis manifestò euadit, Philoniū
antidotum frigidis affectionibus magis subue-
nire, quàm calidis: cuius assertionem secuti sunt
viri hac etate iudicio, & doctrina celebres, &
eo magis quia Philonico antidoto calida medi-
camenta misceri videant: quibus addunt Galeni
ultima verba capitis primi libri duodecimi Me-
thodi med. quæ, ut ipsi putant, ipsis multum faue-
re videntur. Sed quòd ij hallucinentur, ac, ut
aiunt, toto aberrant cælo, paucis demonstrabimus:
quàm opiata & stupefacientia medicamēta tu-
tius affectiones calidas, & dolores à causa cali-
da procedentes sedant, quàm à frigida originem
trahentes, ut ratio ipsa indicat, & Galenus suf-
fragatur: quia opiata & stuporē inducentia me-
dicamenta, etsi affectionum frigidarum sympto-
mata, & dolores à causa frigida ortos infringāt,

CV RAT. MEDICIN.

parum tamē tuta sunt: neque adhiberi nisi summa necessitate debet: quia eorum causas augent, & curationi contumaces morbos reddunt: calidos verò affectus & dolores prædicta hæc medicamenta tutius & securius sedant, imò horum causas unā semper abigunt: unde tutius pro iis calidis affectionibus & doloribus profligandis, quàm frigidis, ea concedimus: neq; enim Mesue fides vlla hac in præpendenda est, quando Galeni non admodum feliciter intellexerit: quo factum est, multi hodie cum eo decepti in eadem erronea perseverent opinione: habent autem Galeni verba citato loco sic: Ergo sicuti cauendus est, quo ad fieri potest, eiusmodi medicamentorum torporem inferentium vsus ita, si necessitas vrget, neque admodum nova sunt offerenda: quòd frigida, quæ in iis sunt, prævalentes vires adhuc habeant, neq; ita antiqua, ut spem nostram frustrètur: sed uti comprehensum est, tandiu dimittenda sunt, quoad violentia refrigerantium ab eorum, quæ calfaciunt, vi mitigetur: & talium quidem medicamentorum vsus eorum, qui aduersus symptoma pugnans, est proprius, petissimum vbi ex frigida causa dolor est excitatus: ob sunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt. Hæc enim Galeni sunt verba, ob quæ Mesue & eius sequaces seducti sunt, credentes utique medicamenta torporem inferentia tutius dolores à causa frigida procedentes iu-

quod a causa calida: quod falsum esse ex
 sinet verbis indicabimus: quæ aliud nihil do-
 cent, quàm quod quæ inter ea medicamenta tor-
 pore inferentia, recentia sunt, periculo non va-
 cant, ac ideo propinanda non sunt, quoad violen-
 tia refrigerantium ab eorum, quæ calefaciunt, vi
 mitigetur: quod intra sex menses potissimum fit,
 ex alius & tutius (vt Galeno placet) post ela-
 psam annu. Ceterum his Galeni sequentibus ver-
 bis vniuersa consistit dubitatio, quæ habent, Et
 talium quidem medicamentorum vsus eorum, quæ
 aduersus symptoma pugnant, est proprius, potis-
 simum vbi ex causa frigida dolor est excitatus:
 quæ quum non intelligant, in fædum hunc dicti
 errorem labuntur, firmantes tutius quæ inferunt
 torporem medicamenta dari posse his, qui patien-
 tur morbos frigidos quàm calidos: quod quæ fal-
 sum & erroneum sit, Galeni sequentia verba indi-
 cant, quæ ita habent: Obsunt enim talia pluri-
 mum toti affectui, ac curationi contumacem eum
 reddunt. Sed multo clarius docuit Galenus hæc
 capite octauo eiusdẽ voluminis, vbi dolorum va-
 riorum curam prosequitur, & ita inquit: Si mor-
 dens humor est, qui affligit, aduersissima huic
 sunt, quæ extenuant & calfaciunt. Postulat
 namque huius generis affectus, si modo curandus
 est, vt ea quæ contristant, vacuentur: si id omni-
 no fieri nequeat, vt per epicrasin sanetur: si id
 quoque fieri non possit, vt quæ torpore inferant,
 medic

CV RAT. MEDICIN.

medicamenta exhibeantur: quæ quâquam sunt
 reliquorum cōmunia, minus tamen hos affectus
 quàm alios ledunt, quippe tenuis consistentiæ &
 calidarum viriū plurimi alium humorum sunt:
 quæ autem ex paucis succo, & alterco, & eo
 modo frigidis composita medicamēta sunt, simul
 omnino & refrigerant & siccant: quæ ratione
 non solum ut sensus torporem inducentia ianu-
 taria sunt, sed etiam ut humorum tenuitatem
 cogentia atque crassantia: præterea vehementē
 calorem refrigerantia: ubi verò crassi glutino-
 siq; humores habentur, alienissima sunt tor-
 pore inducunt: cauendusq; magnopere eius-
 modi affectibus eorum vsus est. Ex quibus ver-
 bis satis clarè percipitur id quod à nobis proposi-
 tum est: cui sententiæ adstipulatur Auerrois ille
 post Aristotelem philosophus admirandus, libro
 septimo sui collectorij cap. xvij. in quo agit de
 syncopi eueniente causa doloris: & hanc eandem
 sententiam omnes doctores medici ut verā am-
 plectuntur. Ceterum torporem inferentibus me-
 dicamentis calida medicamenta miscentur, &
 iunguntur: ob quæ non ita frigidis affectionibus
 ea obsunt: miscentur tamen calida medicamen-
 ta stuporem inferentibus, ut placet Galeno libro
 nono De compo. medic. secundū locos, ut citius
 distribuatur, & totum affectarū partium pro-
 fundum penetrent, simul ut nocentes humores
 discutiant, & viscosos extergant, vel potius dis-

ATTI LVSITANI

Et crassos attenuent, & ventosos flatus
 auant & euacuentur. Mesue, si quis eius
 entus deprehendat verba, Pbilonium antido-
 tum frigidis egritudinibus iam conuenire di-
 cit sed varijs calidis, vt Sydenham Parisiensis me-
 doctissimus, quum Mesuem interpretatur

De colica affectione,

CVRATIO XCV.

Il qui colica affectione grauiter
 cruciabatur, ad eum accitus folle
 abili, vt nosti, parato, & omni
 spiritu impulso, clysterem para-
 rum ex oleo communi ad manum habito
 iniici mandauit, & postea alterum ex ruta-
 ceo oleo, sed exterius ex stercore caballi-
 no recenti formato emplastro ad ignem
 in frixorio adiectis olei communis faci-
 bus, semineq; pseudonardi, lauandulæ di-
 ctæ, & loco dolenti admoto, breui à dolo-
 re liber & sanus euasit.

De febre,

CVRATIO XCVI.

Erma muscus insignis, annos
 natus triginta, temperatura bi-
 liosus, quum febrile coepit, ex sy-
 rupi rosacei solutiui vncijs qua-
 tuor, adiecta pauca aqua cicoreæ, primo
 purg

CVRAT. MEDICIN.

purgatus fuit, sed febris cōtinua, sed levis ipsum tenebat. Caterū singulis sequentibus diebus syrupi vice saccharū rosaceum eiusdē anni pondere vnius vnciæ comedebat, & postea parum aquæ endiuivæ bibe-
bat, quibus multum sudabat, sed febris instabat: vnde iis de causis ex brachij curatūra iecoraria secta fuit vena, & sanguinis vnciæ sex extractæ: tūc alius ex se respondebat, & ex pectore per sputū ager viscida quardam emittebat: & altero interiecto die optimè sudavit, & tandem febris remissa est: sequenti verò die levi pharmaco epoto optimè egeffit, & sanatus est: sed postea roborandi ventriculi gratia ex diamargaritone vnum vel alterum rotulum ieiuno stomacho comedebat. Hoc eodem tempore simili febre correptus fuit Rosatus, & Stroganus aurifex, & plures alij, veluti Arij Valascij, olim apud Paulum tertium pontif. max. astrologi frater: sed hic tertiana laborabat, & prioribus paroxysmis, in auriginem morbum arquatum dictum incidit, sed celebratis euacuationibus, vt decet septimo paroxysmo sanatus est.

De quodam qui se egrotare simulabat,

ATI LVSITANI

CVRATIO XCVII.



Onachulus, qui Anconam ex Monte sancto venerat, & iterū ad parentes reuerti desiderabat, se agrotare simulabat, & ventrem dolere dicebat. Ego verò mona-
versutiam veris coniecturis depre-
eum verberibus affici, ac lecto le-
si: huic pulsus optimus erat & lotiū
imum, & quandoque plorabat, & ge-
nebat: tu Zerbi cautelis, vt similes digno-
scas, ornari, & Galenū proprio libro huic
rei facienti, cui titulus est, Quomodo mor-
bum simulantes sint deprehendendi, non
prætermittas, veluti plures eius historias
lectu dignas huic rei facientes.

*De quodam tertiana laborante, cui
initio paroxysmi cibum
elargiebamur,*

CVRATIO XCVIII.



Vuenis annos natus viginti
quinq; natura biliosus ad vstio-
nem vergens, colore nigello,
corporis habitu gracili, & bir-
to, & ad tactum calido, & qui nunquā an-
tea agrotauerat, in tertianam simplicem
non longè ab exquisita, lapsus est: is quum
primum in paroxysmum veniebat, multū
afflige

CVRAT. MEDICINIA

affligebatur, angustia batur: ve: bilem me-
ram vomebat, oris amarorē sentiebat, &
syncopim patiebatur: vnde vt tanta effu-
geret mala, paroxysmi initio, semper pa-
nem lotum & aliquali agresta respersum
(qua multum se delectari dicebat) in victu
concedebamus, hoc enim ordine inceden-
tes, & clystere quandoq: iniecto præcurren-
tibus symptomata æger hic fugiebat: tandem
syrupis refrigerantibus epotis, & leui phar-
maco propinato sanitatem intra septem
paroxysmos obtinuit. Dicuntur autē huic
similes calidi & sicci, biliosi, picrocholi: de
quibus Galenus libro octauo Methodi me-
dendi capite secundo, Hippocratis senten-
tiam secutus libro De victus ratione
in morbis acutis, multa dixit, veluti libro
Artis medicinalis, & vndecimo Methodi
medendi: non igitur ægrotantes quietiori
paroxysmi aut morbi tempore semper ci-
bandi sunt.

De cephalæa, id est antiquo capitis dolore,

CVRATIO XCIX.



Vrelius Passer, vtriusq; iuris Do-
ctor, vir annos natus triginta-
quinque, temperatura biliosus,
ab hinc tres annos seuiſſimo &

ATTIOLVS LTANI

acutissimo capitis dolore cruciari co-
 mpetit qui dolor vna cum febre parua & len-
 ta initium habuit, & altam capitis partē
 occupabat, & (quod mirū dixerim) oculo-
 rum radicibus nunquā respondit: sed eum
 vitis magnus pulsus caliditatē præsefe-
 re semper comitatus est: delitescere au-
 tem dolor hic, aut non ita fortiter in æsta-
 te sicuti hyeme cruciabat: erant autē huic
 renes supra modum calidi, & conse-
 quens iecur, sed stomachus optimē conco-
 quebat. Cæterum hic quum per triēnium
 continuō creduli hoc dolore vexaretur, &
 diues satis esset, vniuersam oberrauit Ita-
 liam doctos quosq; medicos querendo, vt
 remedium pro tanto profligando dolore
 inueniret. Demum quum Anconā venit,
 ad eum sum vocatus anno 1553. à quo
 quum multa & varia interrogo, quæ ad
 suam faciunt valetudinē, ille quoq; multa
 in mediū affert, & præcipuē per alios ma-
 chinata medicos, præcipuē Romanos, in-
 ter quos Franciscum Nursinū vt præcipuū
 nominabat senē capularem, Romæ alterū
 habitū Hippocratem: quē quum hæc scri-
 beremus animā egisse ab amicis Romanis
 accepimus: qui varia illi propinauerat apo-
 zemata, & syrupos plures, quibus addebat
 Guayacī toties repetitū decoctū, vt catapo-

CVRAT. MEDICIN.

tia & varia pharmada prætereamus, & ex
 herbis innumeras super caput irrigatio-
 nes cōfecerat, non minus apophlegmatif-
 mata, & per nares injecta medicamēta va-
 ria inculcabat, ac supra ipsum quoq; caput
 varios sinapismos, & multa rubricantia:
 imò eo, quo ad manus nostras peruenit
 pore, varia foramina & vlcuscula per
 causticis medicamentis oborta, per eius vni-
 uersum caput disseminata habebat. Huius
 igitur tēpera terrā cū reliquis considerans,
 quæ calida & sicca est, eius quoq; procerā
 staturā contemplamur, faciē pallidam, ad
 hæc capitis antiquum dolorē, partem inte-
 riorē, semper tam ante prādium, quā post
 prandiū æquē affligentē, quanquā & capi-
 tis exteriorē partem quandoq; prehende-
 rat: sed tunc foras tubercula prominebāt,
 & vt multa paucis dicam, dolor hic pulsa-
 riuus semper erat profundus, ob quē tristi
 lamentatione & eiulatu querebatur diu
 & noctu, & insomnis semper ferē agebat,
 & eius vnūuersum caput plus iusto calidū
 reperiēbatur, & à prandio febricula illum
 detinebat, quæ ipsum in maciem traxerat,
 vt eum in heticam febrē tunc breui lapsu-
 rum non admodū difficile esset diuinare.
 Cæterum dolorē hunc per consensum, an
 primogeniā capitis affectionē fieri, varia

ATI LVSITANIO

ninum iudicia item à causa cali-
 da, vel potius frigida originē traxisse, non
 minus inter se digladiabantur: neq; enim
 rationes pro vtraque fulcienda assertione
 deerant, quando multa ex relatis habita
 caliditatem attestantur, utpote dolor pul-
 sus, febris, tēperatura calida & sicca,
 validus, capitis ad tactū ingens cali-
 ra item quòd calidis medicamentis pe-
 us semper habuit, quibus addunt, nō con-
 temnendū argumētum, quòd humor cali-
 dus arteriis contentus hūc gignebat do-
 lorem: quia dolor magna cum capitis pul-
 satione fiebat: qui aliunde quā ab arte-
 riis malè affectis euenire nequit: vnde de
 secandis arteriis ex ipso capite sermo in-
 stabat, ut Galenus agendum suadet libro
 sexto de sanitate tuenda, & latius vltimis
 verbis libri De sanguinis missione. Iis ve-
 rò contrarij, quòd morbus à causa frigida
 originem traxit, morbi ipsius diuturnita-
 tem adducunt: qui tandiu, nisi à causa fri-
 gida dependentiā haberet, perduraret: itē
 quòd in hyeme morbus violētior est, quā
 in æstate, imò æstate aliquādo ita debili-
 ter affligit, ut quandoque ex toto delite-
 scat. Sed horum rationes, primæ partis do-
 ctiores facilè solvunt, quia aëris ambientis
 ratione æstate spiramenta operiuntur, &

mate

CVRAT. MEDICIN.

materia calida morbū fouens, & gignens
dissoluitur: hyeme verò ob frigus contra-
hantur, densantur, & consequens materia
tanquā carcerata manens, dolores gignit,
malā qualitatem & solutionem continui
inducendo. Ego verò prædicta omnia con-
siderans, & ventris eiusdem constructio-
nem cōspiciens, vt qui per triduum & quā-
triduum cōsuetā nō respondebat, iudico
circa nutritoria membra plurimū atræ bi-
lis aggeratū habere, ex qua sumi, tum san-
guis atrabiliaris per venas ad caput nu-
triendū ascendentes, malā qualitatem in
eo imprimunt & solutionem continui: ex
quibus dolor conflatur, & homo tristatur,
& in ægitudine tandiu perseuerat: pro
qua ægitudine leuanda, & homine à tam
sæuo morbo liberādo, mense Iunij, in quo
calor non adeò vigeat, imò vniuersa illa
æstas temperata, vel non adeò acris fuit,
quum acerbissimè à dolore cruciaretur,
ad radicem synarū eum traxi, cuius deco-
ctum per viginti quinq; dies illi bibendū
dedi ita magno iuuamento, vt omnibus
admirationi fuerit, imo rem incantationi
plures similē dixerint: quū elapso quarto
à potu die illico dolor abierit, & non am-
plius redierit, & æger se sanū dixerit: quū
alius sua sponte excrementa reddere co-
-

ATI LVSITANI

ut, ut in successu curationis purgatione non
indiguerit: initio tamen morbi ante quā
radicis potū aggredieretur æger, decoctū
bibit describendū, & ex syrupo rosaceo
solutiuo adiecto electario de sene purga-
us fuit: habet autem decoctū sic: ℞. Fo-
m & folliculorum senæ vnciā vnam,
odij quercini recentis & contusi vn-
ciā, thymi, epithymi, seminis carta-
mi, myrobalanorum Indorū, ana vnciam
mediā, prunorum pinguiū numero quin-
decim, florum borraginis, fumiterræ, añ.
vnciam mediā, seminis foeniculi, anisi, car-
ui, añ. drachmas duas, carnis caponis vnus
optimè exantherati. In libris octo aque fiat
decoctio ad medias, facta colatura, ℞. Pre-
dicti decocti vncias quatuor, syrapi de po-
mis vnciā vnā, de fumo terre vnciā mediā,
Misce, fiat syrupus, quē ieiuno stomacho
frigidū bibat, & in nocte hora somni eū ite-
ret, ac ex toto epoto decocto prædictū bi-
bat pharmacū. Nūc autē pancreaticè valet,
veluti Capitaneus Augustinus Pisanus, vir
me hercle, ut nobilis, ita bonus & huma-
nus, qui cum à morbo antiquo Senas tra-
heret affectiones ut vlcera serpentia, do-
lores ingentes, & insomnia multa, ita post
huius radicis potum illico ex omnibus
liber euasit. Modum verò tradendi deco-
ctum

CVRAT. MEDICIN.

Etum radice huius synarum ex secunda
pete Centuria.

Docetur hic quomodo puer scauola, hoc
est manum sinistram agiliorem habens,
nequaquam dexter reduci potuit, simulq;
de pondere ossium humanorum, et
corio humano,

CVRATIO

C.



Illustri & generosus Ranconus
filium quatuor annos natū ha-
bet, qui quum læuam manum
dextra ad omnia magis agilem
haberet, omnia ea conficit, vt sinistri no-
mine mereatur. Caterum pater illustris
ægre ferens pueri vitium, remediū querit,
quo puer dexter euadat. Porro quum mul-
ta machinata sint, & per plures dies ma-
num alligarent, & vincirent, vt dextram
exerceret, & ea functiones cunctas obiret,
nihilominus tamen puer sinister semper
mansit: Sed qua ratione nemo (quod scia)
dixit, quum id ex anatomia diligentius,
quàm ex rationibus philosophicis depre-
hensum sit. Quum igitur superioribus an-
nis plura & varia corpora dissecaremus,
anatomiae exquisitā cognitionem deside-
rantes, non tantum corporum sectione, &

MATI LVSITANI

icularum cognitione contenti euade-
 oamus: sed etiam eorum vascula siphone,
 siue syringe impulsu spiritu, primo alicu-
 bi dissecta, impellebamus: vnde multa &
 varia nunquam antea scripta, neque fando au-
 inuenimus: vt Centuria prima, quum
 ritide egi, dixi: sed non hac tantum
 nabamur, sed ossa ponderabamus,
 extra sinistris conferendo: ex qua libra-
 tione quæsitæ ratione inuenimus: nam quum
 os brachij dextri & sinistri à cubito ad hu-
 merum incedens, æqua bilance librarem,
 dextrum in vno latere, sinistrum in altero
 ponēs, dextrum siue brachij dextri longè
 plus grauitare os sinistri osse inueni: quod
 tunc considerās, ac in dubiū trahēs, forte
 id euenire ob dextrū exercitatū brachiū,
 ad quod nutrimentū maiori in quantitate
 confluit, hæsitabam: neque pro hac robo-
 randa affectione exēpla mihi deerāt, prout
 ex Amazonibus, hoc est sine mammis mu-
 lieribus Scythiæ desumitur: quibus dex-
 tra mamma vrebatur, vt omnis vis ac ro-
 bur in dextrum humerū & brachiū defera-
 tur, vt meminit Hippocrates libro De aë-
 re, aquis, & locis. Cæterum restabat id ex-
 periundum in puero paruo, qui nondum
 brachium exercuerat: quū eius dissecandi
 corporis occasio daretur: sed ecce, quum
 pericu

CVRA T. MEDICINA.

periculū facio, id quoque in puellulo eue-
nire, prout in homine inueneram; depre-
hendi: unde iudicium facio, eos qui à natu-
ra dextrum brachium robustius habēt, ra-
rò vel difficulter ambidextros euadere: si
tamen contingat brachio dextro non ad-
modum additamentū illud plurimū esse:
tunc exercitatione, & longa cōsuetudi-
ne ita bene sinistra manu ac dextra v-
hic, cui hæc euenerint, & tūc ambide-
xter euadet: vt multis euenire experimur, &
Galenus notat enarratione quadragesima
quarta libri septimi Aphorismorū: quibus
tu addas Aod Hebræorum ducē ambide-
xterum: qui octogesimum superuixit annū,
vt libro Iudicum legitur. Porro si, vt à na-
tura brachio dextro additamentum illud
semper ferè elargitur, brachio sinistro eue-
nire cōtingat, tūc vir sinister omnino eua-
det: & vt dixi, ambidexter quoq; erit, mo-
dò tamen nō magna intersit ponderis di-
sparilitas: est namque brachiū dextrum (si
modo Hippocrati fides habenda est) sini-
stro robustius, quā vniuersa dextra mem-
bra sinistris robustiora libro tertio De
morbis dixerit: neque me latet Galenum
prædicta enarratione libri septimi Apho-
rismorū oppositū dixisse, sed Hippocrati
experientia ipsa suffragatur, quæ tum ab

IATI LVSITANI

ne, tum ab anatomia desumitur.
 Galenus quum nunquam corpora hu-
 mana secuerit, neque hæc ita ad vnguem
 scrutatus fuerit, philosophorum more di-
 xit, dextrā manum natura suā debile esse,
 scilicet ratione. Vnde eorum multi
 sinistram manum firmiorem esse
 tenendum, dextram verò ad om-
 nis agilem: sed & contra Hippocra-
 ti dicunt, sinistrū oculum dextro
 & robustiorem esse: ex quibus
 Aristoteles libro Problematum vnus est:
 sed re vera oculus dexter sinistro fortior
 & robustior est, vt apud Hippocratem le-
 gimus. Cæterum quum de iis ago, in men-
 tem venit, quum hominū ossa ponderare,
 vnius vel alterius pellē me parare iussisse
 eo, quo pelles albæ euadūt, modo: vt post-
 ea nigra vel coloris alterius ab artifice
 fiant: quæ sanè pellis humana ita appa-
 ra, crassa, sed intus tomentosa euasit, simi-
 lis omnino pelli ceruinæ, quam Hispani
 & Neapolitani parare solent, vt ex ea cal-
 ceos æstiuales conficiant, & gestent. Erat
 autem pellis hæc humana extrā porosa:
 sed quum sicca absque confectura aliqua
 exiccatur, latis spiramētis & foraminibus
 amplis redditur, vt ad tectoria inutilis om-
 nino sit: id quod Oribasius ex Historia di-
 xit equar

CVRAT. MEDICIN.

xit enarratione Aphorismorum, inquit
Iussit quidam Persidis imperator cor-
à quodam tolli, atq; inde aliquas
tegumenti fieri. Vnde probatur
res texturæ cauernas hominē hab-
cetera animalia: de quibus &
plura quandoque, modo Deus
votis nostris respondeat, sumus
Nunc verò quartæ huic Centuriæ
phonē imponamus. Anconæ 17. Calend.
Sept. anni millesimi quingentesimi quin-
quagesimitertij, quo tempore bellum in-
testinum inter Carolum quintum Impe-
ratorem, & Henricum Galliarum Regem
apud Belgas flagrabat, & classis Turcica
pro Rege Galliarum Corsicam insulam
Ligurum dominio subiacentem occupa-
uit, & ætatis authoris annò quadragesi-
mosecundo.

FINIS.

LUGDVNI,
EXCVDEBAT
Petrus Fradin,

M. D. LVI.

